BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8
30 G
8

E
A VI a 118 f 30

Digitized by Google

[illegible] Google

Pertinet ad locum S.ti Ioani de Urbe.

SERMONES QVADRAGESIMALES IN SACROSANCTA Dei Euangelia

IN QVIBVS VARII CONCEPTVS, VT vocant, & Diſcurſus, tam Scripturales, quam Morales, Exemplaresq; non copioſè minus, quam Methodicè & ad amuſſim trutinatæ perpenſęq; traduntur;

Cum Allegoricis, Anagogicis, ac Tropologicis SS. Patrum expoſitionibus, pijs Meditationibus, & dignis conſideratu ac imitatione exemplis, quibus vndique conſperſi, aucti, adornatiq; non ſine fructu fidelium conſpiciuntur.

Adiunctis multiplicibus Anthiteſis, Inuentionibus varijs, & obſcurorum Textus Euangelici locorum dilucidis Interpretationibus ex Sacræ Scripturæ limpidiſſimis fontibus deriuatis.

Nunc recenter in Diuini Verbi præconum gratiam ex vulgato Hiſpanorum Idiomate nitida Latinitati donati,

Auctore R. P. F. Didaco Morillo

Theologiæ inter Fratres dictos Minores de Obſeruantia Lectore profundiſſimo, & Prouinciæ Arragoniæ Definitore optimè merito.

Scripturarum aequè ac materiarum Indice duplici locupletiſſimo accedente.

SVPERIORVM CONSENSV, ET PRIVILEGIO.



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

VENETIIS, MDCXIII.

Digitized by Google

ILLVSTRISS.MO CARDINALI MADRVCCIO

Principi Tridentino, Domino, & Mæcenati ſuo Clementiſſimo,

Doct. Hupp. Faber, Vbius, Agrippinas, F. P.

INTER *omnes quotquot à tot iam ſæculis extitere ſcriptores, Illuſtriſſime Cardinalis, Princeps clemẽtiſſime, illos proculdubio qui Diuinarum ſemina doctrinarum in agrum Domini, qui fidelium eſt cœtus, felici dextera ſpargere ſunt conati, & viam Dei*

by Google

in veritate populum ſibi concreditum docere aggreſſi fuere, omnes qui ſummis (vt aiunt) tantum labris litteras deguſtarunt in primis eſſe laudandos affirmant. Propoſuerunt namque nobis vitæ innocenter traducendæ, & præmia æternæ felicitatis aßequenda quaſi quoddam, & illud quidem infallibile, exemplar; Quorum in numero primas ſanè partes ſibi optimo vendicant iure ij qui Concionandi munus ſubeuntes quæ coram voce in publico diſſeruere, ea ad poſteros typis euulgando plurimorum commodis ſubſeruire cupidi tranſmiſere. In hoc ſcribendi genere inter veteres, vt plurimi ſempiterna digni memoria fuerunt, ita inter hos quos præſens hoc noſtrum tulit ſæculum, non pauci etiam ſunt reperti, qui antiquos Doctores illos licet non ſuperarint, multorum tamen cenſura aliquos ex illis ita ſunt conſectati, vt parum ab illorum perfectione videantur diſtare. Tulit ſuprema ætas illa, Gregorios, Hieronymos,

Am-

Ambroſios, Auguſtinos; Medium illud ſeculum Dominicos, Aquinates, Bonauenturas, Franciſcos, Noſtra hæc tempora Oroſios, Soarez, Zanchos, Murillos, feliciſſimo haudubiè partu prognatos. Quantum autem hic noſter Didacus hoc ſcribendi genere, & valuerit, & meruerit, omnes qui eius ſcripta legent facillimè cognoſcent: cum hic egregiè dicta publicataque ab alijs, ſummo donata auctario, mirabili methodo diſpoſita, ad eorum qui concionandi onus ſuſtinent ſummam vtilitatem poſteritati conſecrarit. Huius volumen quod Quadrageſimale inſcripſit, cum mea caſtigatum opera, & mendis quibus ſcatebat, doctiſſimi Patris cuiuſdam Dominicani, non incelebris etiam Diuini Verbi præconis ſynergæ auxilio perpurgatum, pulcherrimis excudendũ typis curauerim, Tuo nomini Illuſtriſſimo Cardinalis Ampliſſime ſummo benefactori, & promotori meo, nuncupaui. Suſcipe igitur hoc leuidenſe licet, & cartaceum

manus hilari fronte, quo te eum à cæteris vacas ſtudijs, oblectes. Et me Ampliſſimæ Celſitatis tuæ felici Clientela frui in futurum (quæ tua ſingularis erit humanitas) vt benignè patiaris, obnixè rogo.

IACO-

Digitized by Google

IACOBVS SARZINA BIBLIOPOLA VENETVS

LECTORI CANDIDO Felicia precatur.

NVNQVAM eorum inſtitutum probaui, qui eo animo ſe ad litteras conferunt, vt præter ſuam vtilitatem nihil curent; Quo enim pluribus communicatur, eo nobilior eſt virtus. Accedit illud, quod fama nominis noſtri & propagatur ſcriptis, & perpetuo cuſtoditur: qui eſt vberrimus ac præſtantiſſimus litterarum fructus. Quamobrem eo ſemper cogitationes meæ ſpectarunt, vt ea præſtare poſſem quæ ſtudioſis omnibus vtilitatem aliquam afferrent, meumq; nomen cum aliquali memoria induſtrij conatus poſteris etiam proderent; in quo multorum

qui typographicam hanc artem exercent veſtigia cum ſequar, ſi me dignum illis non præbuero,imbecillitas mea culpā ſuſtineat: voluntas quidem reprehendenda non videtur. Quæ verò præſtare mihi licet, ea omni meo ſtudio, diligentiaq; & curaui antea, & curabo donec viuam; Quod quidem in eo verſatur, vt bonos autores, & eos quidē claſſicos admultorum ſupellectilem litterariam quātum in me eſt augendam in publicum prodam.Qui hactenus mea euulgati induſtria Scriptores fuerunt,ſummo ſtudioſorum cum applauſu recepti, eorum quotidie manibus teruntur. Hi variæ ſortis prodiere; humanioris literaturæ & cultioris elegantiæ profecto impreſſi, auidè arrepti omnes in præſens vſque diſtracti ſunt: præcipuè verò pijs voluminibus edendis operam dedi, quorum etiam perpauca mihi reliqua ſuperſunt exemplaria.Nunc hic Didacus Tuo addictus commodo meis ſumptib. tibi ſeſe offert, grauitate ſententiarum, eruditione ſolida,& varijs Conceptibus,vt vocant,locupletiſſimus. Tu eo ſi quid in rem tuam feceris,fruere,& me tibi perpetuo addictum fore exiſtimato. Vale ex Calcographia noſtra Veneta, Anno partus Virginei M DC XIII. Ipſis Calendis Ianuarij.

COPIA

GLI Eccellentiſs. Sig. Capi dell'Eccelſo Conſ. di X. Infraſcritti hauuta fede dalli Signori Reformatori del Studio di Padoa, per relatione à loro fatta, dalli dui à queſto deputati, cioè dal Reuerendo Padre Inquiſitore, & dal circ. Secretario del Senato Gio. Maraueglia, con giuramento, che nel libro intitolato R. P. Fr. Didaci Murillo Conciones Quadrageſimales, non ſi troua coſa contra le leggi, & è degno di ſtampa, concedono licentia, che poſſa eſſer ſtampato in queſta Città.

Dat. die 25. Octobris 1612.

D. Coſtantin Renier
D. Marc'Ant. Valareſſo } Capi dell'Eccelſo Conſ. di X.
D. Franceſco Corer

Illuſtriſſimi Conſilij X. Sec.
Barthol. Cominus.

1612. adi 30. Octob.
Reg. in libro à carte 115. ter.

Ant. Laured. Officij
Con. Blaſph. Not.

Digitized by Google

INDEX

SINGVLARVM

CONCIONVM PER TOTAM Quadrageſimam occurentium hoc volumine contentarum.

IN die Cinerum: *Cum ieiunatis nolite fieri* &c. folio. 1.

Feria Quinta Quinquageſimæ, *Cum introiſſet Ieſus Capharnaum* &c. fol. 16.

Feria Sexta Quinquag. *Audiſtis quia dictum eſt antiquis* &c. fol. 29.

Sabbato Quinquageſ. *Cum ſero eſſet factum, erat nauis in medio mari* fol. 42.

Dom. Prima Quadrag. quæ Inuocauit dicitur: *Ductus eſt Ieſus à Spiritu in deſertum* fol. 55.

Feria Secunda poſt Dom. Inuoc. *Cum venerit Filius hominis in Maieſtate.* fol. 66.

Feria

Feria Tertia poſt Dom. Inuoc. *Cum intraſſet Ieſus Hieroſolymam, commota eſt vniuerſa ciuitas.* fol. 78.

Feria Quarta poſt Dom. Inuoc. *Acceſſerunt ad Ieſum Scribæ & Phariſæi.* fol. 90.

Feria Quinta poſt Dom. Inuoc. *Egreſſus Ieſus ſeceſſit in partes Tyri & Sidon.* &c. fol 102.

Feria Sexta poſt Dom. Inuoc. *Erat dies feſtus Iudæorum* fol. 114.

Sabbato poſt Dom. Inuoc. *Aſſumpſit Ieſus Petrum & Iacobum & Ioannem fratrem eius* &c. fol. 127.

Dom. Secunda Qudrageſ. quæ Reminiſcere dicitur: *Aſſumpſit Ieſus Petrum, Iacobum,* &c. fol. 140.

Feria Secunda poſt Dominicam Rem. *Ego vado & quæretis me, & in peccato veſtro moriemini.* fol. 154.

Feria Tertia poſt Dom. Rem. *Super cathedram Moyſis ſederunt Scribæ.* fol. 166.

Feria Quarta poſt Dom. Rem. *Aſcendit Ieſus Hieroſolymam.* fol. 179.

Feria Quinta poſt Dom. Rem. *Homo quidam erat diues,* &c. fol 191.

Feria Sexta poſt Dom. Rem. *Homo quidam erat Paterfamilias.* fol. 205.

Sabbato poſt Dom. Remin. *Homo quidam habuit duos filios,* &c fol. 217.

Dom. Tertia Quadrageſimæ quæ Oculi dicitur: *Erat Ieſus eijciens Dæmonium, & illud erat mutum.* fol. 229.

Feria Secunda poſt Dom. Oculi: *Dixerunt Phari-*

ſæ ad Ieſum, quanta audiuimus facta in Capharnaum. fol. 242.

Feria Tertia poſt Dom. Oculi: *Reſpiciens Ieſus in Diſcipulos ſuos.* fol. 253.

Feria Quarta poſt Dom. Oculi: *Acceſſerunt ad Ieſum Scribæ, &c. quare Diſcipuli* &c. fol. 265.

Feria Quinta poſt Dom. Oculi: *Surgens Ieſus de Synagoga, introiuit in domum Simonis.* fol. 275.

Feria Sexta poſt Dom. Oculi: *Venit Ieſus in ciuitatem Samariæ.* fol. 284.

Sabbato poſt Domin. Oculi: *Perrexit Ieſus in montem Oliueti.* fol. 296.

Dom. Quarta Quadrageſimæ quæ Lætare dicitur: *Abijt Ieſus trans mare Galilææ.* fol. 307.

Feria Secunda poſt Dom. Lætare: *Prope erat Paſcha Iudæorum.* &c. fol. 318.

Feria Tertia poſt Dominicam Lætare: *Iam die feſto mediante, aſcendit Ieſus in templum.* fol. 336.

Feria Quarta poſt Dom. Lætare: *Præteriens Ieſus vidit hominem cæcum,* fol. 341.

Feria Quinta poſt Dom. Lætare: *Ibat Ieſus in ciuitatem quæ vocabatur Naim.* fol. 353.

Feria Sexta poſt Dom. Lætare: *Erat quidam languens Lazarus à Bethania.* fol 365.

Sabbato poſt Dom. Lætare: *Ego ſum lux mundi.* fol. 279.

Domin. Paſſionis quæ aliàs Iudica dicitur: *Quis ex vobis arguet me de peccato, ſi ueritatem dico uobis?*

uobis? fol. 291.

Feria Secunda poſt Dom. Iudica: *Miſerunt Scribæ & Phariſæi miniſtros, ut comprehenderent Ieſum.* fol. 408.

Feria Tertia poſt Dom. Iudica: *Ambulabat Ieſus in Galilęam, non enim uolebat in Iudęam ambulare.* fol. 420.

Feria Quarta poſt Domin. Iudica: *Facta ſunt Encęnia Hięroſolymis, & hyems erat.* &c. fol. 433.

Feria Quinta poſt Domin. Iudica: *Rogabat Ieſum quidam Phariſęus, ut manducaret cum illo*, &c. fol. 444.

Feria Sexta poſt Dom. Iudica: *Collegerunt concilium Pontifices, & Phariſęi*, &c. fol. 458.

Sabbato poſt Domin. Iudica: *Cogitauerunt Principes Sacerdotum ut & Lazarum interficerent.* fol. 474.

Dominica Palmarum: *Cum appropinquaſſet Ieſus Ieroſolymis, & ueniſſet Bethphage ad montem Oliueti.* fol. 486.

Feria Secunda Septimanæ Sanctæ: *Ante ſex dies Paſchę uenit Ieſus Bethaniàm* &c. fol. 500.

Feria Tertia Septimanæ Sanctæ: *Videns Iudas quod Ieſus damnatus eſſet, pœnitentia ductus, retulit triginta argenteos*, &cet. fol. 513.

De inſtitutione Venerab. Sacram. deque pedum lotione: *Ante diem feſtum Paſchę, ſciens Ieſus quia uenit hora eius*, &c. fol. 524.

Feria Sexta Septimanæ Sanctæ: *Recogitate eum qui talem ſuſtinuit à peccatoribus aduerſus ſemetipſum contradictionem.* fol. 537.

Sab-

Sabbato Septimanæ Sanctæ: *Stabat iuxta crucem mater eius.* fol. 582.

Dominica Paſchæ: *Maria Magdalena, & Maria Iacobi, et Salome, abeuntes emerunt aromata,* &c. fol. 598.

Feria Secunda Paſchæ: *Duo ex Diſcipulis Ieſu ibant ipſa die in caſtellum nomine Emaus,* &cæt. fol. 609.

Feria Tertia Paſchæ: *Stetit Ieſus in medio Diſcipulorum ſuorum, & ait illis: Pax uobis.* fol. 623.

INDEX RERVM

QVAE IN HOC QVADRAGESIMALI Didaci Murillo pertractantur.

A

ABrahę obedientia, pagina 201. *eiuſque ſacrificium.* 401. *& ſeq.*
Abraham in figura videns quod Iſaias deſiderabat, quare gauiſus fuerit. 404
Abnegatio propria voluntatis. 96
Abſentia Dei quid, & quomodo intelligenda. 212
Abſentia amicorum quid. 530
Abuſus corrigendi. 84
Achilles per plantas pedum læſus occubuit, 62
Acta in domo Caiphę. pag. 559. *Pilati, & Herodis pag.* 560
Adam quid pag. 7. *eiuſque myſterium.* *ibid. & p. ſeq.*
Adoleſcentes comparantur auibus. 220
Adulterium, & eius proprietates. pag. 100. *&* 101. *eius ſubtilitates. pag.* 301. *peius homicidio. pag.* 303. *pœna huic peccato decreta.* 302. *& ſeq.*
Aemulatio inflexibilis eſt. 361
Afflictiones huius mundi tranſitoria. 324 *& ſeq.*
Agnus quid. 185 *&* 243

Agonia

Digitized by Google

Agonia Chriſti in quo ſita fuerit. 551
Alæ Aquilina, & columbina quid. 58
Alcyon auis eiuſque proprietates. 630
Altitudinis, & profunditatis vnio. 494
Altiſſima myſteria feria Quinta inſtituta. 525
Ambitio aſtuta. 147
Amicorum omnia ſunt communia. 369
Amor amarum dulce. 532
Amor requirit amorem. pag. 100. ſimilis igni p. 374. & ſeq. vide charitas.
An B. Virgo lacrymata fuerit. 594
Angeli nolunt adorari ab hominibus pag. 26. altiorum claſſium myſteria detegunt inferioribus. 82
Angeli nomen quid. 114
Angelus cuſtos. 95
Anima humana comparatur igni, pag. 4. ſignificat hominem. 167.
Annulus qui vulgo cordis digitus appellatur. 101
Antiochi Regis immanitas. 325
Appelles eiuſque geſta. 345
Apophtegmata Regum. 429
Aporiatus quid ſignificet. 445
Apoſtoli Principes Angelorum. 82
Aqua effectus quotuplex. 416
Aquila repraſentans Diabolum. 93
Argentum, & numi perditio adoleſcentum. 222
Ariditas ſpiritualis ſuperatu difficilis. 111
Aries figura Saluatoris pag. 67. figura Chriſti. pag. 403. & ſeq.
Arrogantia, & ruina plurimorum. 339
Arrogantia, & ſuperbia Moab deſcribitur. 313
Arſenius vocem de cælo audiens, quid. 59. & ſeq.
Aſcenſus leoninus Chriſti. 610
Aſina Iudæos, pullus gentiles præfigurat. 496
Auari frequenter ſuo malo bonum commune prætendunt. pag. 465. ſemper ſe excuſant. 511
Auaritia quantum ſit malum. ibid.
Aurora lucis ac ſolis prænuncia. 383
Aurum, & argentium ſæpius contrectant manus maculant. 195

Digitized by Google

B

Balena Diabolum repræſentat. 57
Beatus Iob cur vitam ſuam militiam appellarit. 356
Behemoth figura Diaboli. 56
Belli euentus incertus. 488
Beſtiarum recompenſatio laboribus defatigatus. 23
Bibliotheca Chriſtianorum Paſſio Dom. 188
Bombus, eiuſque oua. 246.& ſeq.
Bonum conſilium neceſſarium adoleſcentibus. 312.& ſeq.

C

Caiphas ſimul à Diabolo & S. Spiritu afflatus pag. 467.
eius prophetia explicatur. 468
Concilium eius quale fuerit. 466
Caluaria mons quomodo ſit inuerſus paradiſus. 591
Caprea quid eiusque proprietas. 20
Carnifices Iudæ qui? 518
Cathedra quid. 169
Cæco viſus reſtituitur. 344
Cælum opus digitorum Dei. 233
Ceruus quid eiusque proprietas. 20
Charitas Dominorum erga ſeruos. 23
Charitatis præceptum Chriſtianis omnibus commune. pag. 256 *quot habeat obiecta pag.* 117. *eius laus. pag.* 163. *eſt duplex.* 340
Choreæ Spirituales. 294
Chriſtus cur dicatur vnicus. pag. 469. *quomodo hic vnus pro nobis mori potuerit pag.* 470. *cur prius honorari quam contemni voluerit. pag.* 481. *poſt honores ignominiam ſuſtinuit pag.* 483. *eſt peculiariter filius Dei viui. pag.* 484. *quomodo victoriam obtinuerit, & de quibus triumpharit. pag.* 487 *ſe omnium Dominum demonſtrat. pag.* 499. *à primo inſtanti fuit vnctus.* 501
Chriſtus circa finem vitæ ſuis plurima amoris ſigna exhibuit, pag. 529. *non tam mortem quam à ſuis auulſionem doluit. p.* 530.

530. eius finis, & dilectio cur coniunguntur p. 531. omnia ſuo loco reſtituit p. 534. eius ſumma humilitas. p. 536. fuit nobis in exemplum, p. ibidem quem dolorem ex mortis contemplatione conceperit p. 542. inuite à ſuis auellitur p. 546. cur paſſionem ſuam calicem appellet, p. 547. initio orationis ſuę nullam conſolationem accipit. p. 549. cur Pontifex. 623

Chriſtus ab Angelo confortatur & quomodo. p. 549. à militibus conſtringitur p. 557. alapa percutitur. p. 558. traditur crucifigendus. pa. 575. crucem ſuam baiulat. pag. 576. & poſt eum ſimon. Cyrenęus. pag. 577

Chriſtus nauclerus noſter. p. 599. Infernum ſpoliat, & mortem abſorbet. p. 606. primo apparet matri. pag. 603. dicitur catulus leonis. p. 609. dicitur leæna. p. 612. ſuſcitatus vt leo. 612.

Chriſtus primitiæ & arrha reſurrectionis. pag. 626. peregrinus. 615.

Chriſtus Cur in medio Diſcipulorum. pag. 627. cur in vita pauper in morte diues. pag. 509. clauſo ſepulchro reſurrexit pag. 605. vulnera ſunt nobis conſolationi, p. 632. ſibi gloria. ibid.

Chriſti cum ſampſone comparatio. pag. 559. eius denudatio. pag. 579. ſanguineus ſudor. pag. 552. & vnde cauſatus. pag. ibid. eius captiuitas. pag. 554. eius amor & ſolicitudo erga ſuos. p. 555. cur in eius triumpho omnes palmas geſtent pag. 497. eius coronatio. 565. & ſeq.

Chriſtum in deſertum abeuntem comitari oportet. pag. 472

Chriſtianum decet operibus ſe talem eſſe demonſtrare. 443

Cincinnatum prodire quantum ſit peccatum. 453

Cineres ac eorundem ceremonia. 1. & 7.

Circumſtantia orationis Chriſti. 554

Circumſtantia coronationis Chriſti. 566

Clauis quid. 90

Codri charitas. 33

Comparatio hominis & arboris. 3

Comparatio Spir. S. cum aqua 417

Comparatio feriæ Quintæ morituri Chriſti & naſcentis mundi. 524.

Comparatio inter Chriſtum & Lazarum reſurgentem. p. 606. Bruti & Iudæ, Chriſti & Cęſaris. p. 556 Chriſti & Sampſonis. 559

Conciliorum vtilitas. 458

Concioni ſacræ quomodo auſcultandum. 178

Con-

Concionatores ac Confeſſarij Eccleſiæ dentes appellantur. 492
Concionatoris ſymbolum in ſcript. S. quod. 66
Concordia ac vnio fraterna quantum ſit bonum. p. 366. & cui comparetur. ibid. & ſeq.
Concubina illorumque miſeria. 290
Concupiſcentia quando peccatum patiat. pag. 24
Confeſſio quid. 238. & 240
Confeßarij. ibid.
Confiteri peccata, idem quod vites putare. 211
Conſiderationes perſonę patientis. 540
Conſideratio mortis. 355
Conſiliarios decet eſſe ſenes. p. 459. debent eſſe maturi, charitatiui & paſſionibus dominantes. 460
Conſilium voluntatis ſuę. 141
Conſilia priuata inſtar vulpium Sampſonis Rempub. incendunt. 464
Conſolatio puſillanimum. 517
Conſuetudo peccati quam periculoſa. 278
Contraria contrarijs curantur. 349
Conuerſio peccatoris opus manum Dei. 233
Cooperari cum Deo neceſſarium. 53. & 114
Corda peccatorum cui comparentur. 377. & ſeq.
Cornu ſymbolum fortitudinis. 41.
Corona ſymbolum victoriæ. 567
Corpus domus lutea & tabernaculum appellatur. 427
Corporis humani pulchra conſideratio. 6
Corpora Sanctorum quando reſuſcitanda. 281
Coruorum vox, eorumq; alimentum. 315
Cicatura quotuplices. 309.
Creſcentibus donis, creſcunt debita. 494
Crudelitas humana. 496
Inſatiabilis Iudæorum. 574
Crux Seruatoris quid præfiguret. 423
Crux Chriſti gloria eius. 462
Crux quotuplex ſit. 585
Cupreſſus ſignum ſterilitatis. 299
Cur in diuino officio Domine dicatur. 371
Cur tempus Paſſionis, hora, & dies Chriſti appelletur. 527
Cur dicatur tranſitus. 528
Cur pœnitens Pellicano, Nycticoraci, & Paſſeri comparetur. 456

Cur bona ſuperflua capillis comparentur. 505
Cur ex Diſcipulis duo mittantur. 492

D

Dedicatio templi. 435
Dei verbum ſcuto ſimile. 64
Dei decretum bonum hominum malitia exequitur.pag. 443.*bonum decernit,malum permittit.* *ibid.*
Dei erga nos ſummus amor. *ibid.*
*Dei,& amoris amicum bellum,pag.*503.*eius longanimitas, & tarditas ad puniendum.* 521
*Deus hominem quot,& quibus oculis intueatur.p.*483.& 484. *breuiloquium in oratione quare nobis adeo inculcet.pag.*372. *omnium bonorum autor. p.*419. *flagellum correctionis in manus quis illi porrigat.* 327
*Deus nullis medijs alligatur.p.*461. *media maximè in idonea ſini optimè aptare nouit.p.*462.*quomodo inuidos puniat.p.*481. *hominem deijcit vt eleuet.p.*483.*non doni nec donantis dignitatem ſed affectum eſtimat.* 503
Deus nouacula non ſua ſed conducta vtitur. 524
Deus non ſolùm eſt ſumme miſericors,ſed etiam liberalis. 445
Dentes ſerpentem proſemina. 265
Diaboli ſuſurrones ac mancipia. 266
*Diabolus à ſcriptura faber appellatur.p.*230 *mutus.p.* 234
Diabolus vnum pedem ſolummodo offert aut ſaltem prapoſtere. 518.
Diabolorum diuerſa genera. 415
Dies feſti quare inſtituti. 331
Dies Saluatoris noſtri qualis. 401
Differentia transfigurationis Dom.& Moſaica. 149
Diſcipulorum liberalitas,& plebis. 495
Diuina Miſericordia iuſtitię eſt admiſcenda. 515
Diuina prouidentia omnia noſtra negotia ſunt permittenda. 464.
Ditiſſimus Chriſti ad mortem apparatus. 509
*Diuitum felicitas in hoc mundo.p.*161.& *ſeq.Eleemoſyna pauperibus eroganda.* 341
Doctores Eccleſia decet eſſe humiles. 69

Do-

Doctrina Salomonis. 538
Dolores paſſionis qui ſint. 486
Dolores B. Virg. depinguntur. 583
Dolor Iudæ quia ſpe veniæ caruit, contritio non fuit. p. 518
Dorſum columbæ deauratum. 299

E

EBoris, & Sapphiri comparatio. 376
Eccleſia monti comparatur. pag. 307. quomodo fundata, p. 205. & ſeq. uxori comparatur. pag. 384. comparatur mari. 598
Eccleſiæ prælati Principes noſtri lux mundi appellantur. p. 433. debent exemplo prælucere. p. ibid. ac eſſe virga amygdalina vigilantes. ibid.
Eccleſiaſticis non licet theſaurizare. 318
Electio Chriſtianiſmi, ſignum prædeſtinationis. 118
Eleemoſynarum merces. pag. 306. etiam temporalem mercedem habet. 307
Eleemoſynæ laus. 344. pauperibus eroganda. 341
Elias & Moyſes tranſfigurati. 149
Eloquentiæ vis. 408. & ſeq.
Excæcatio cordis. 319. & 320
Exceſſus ſumptuum fugiendi. 313
Ex defectu humilitatis contentiones oriuntur. 493
Exemplorum vis. 16

F

FAbri nomine quid ſubintelligatur in SS. 312
Fabula de Cadmo. 265
Fames Redemptoris. 62
Fatui nomine qui deſignentur. 364
Fœmina fugienda. pag. 294. maxime curioſa. pag. 231. lunæ comparantur. 363
Feſtiuitas Paſchæ. 604
Fidei Chriſtianæ neceſſitas. pag. 18. eſt fundamentum omnium virtutum. ibid.

Digitized by Google

Fides opera præcedat oportet. pag. 20. ſola non ſufficit. 443
Fides reſurrectionis maxima conſolatio. 624
Fideles in S.S. appellantur veſtimenta Dei. p. 149. appellantur palmites. 156
Filiarum ſuperfluus ac vanus ornatus. 191
Flagellatio Chriſti. 562
Flere ſuper mortuos non prohibemur. 364
Fratres Chriſtiani qui. 255
Fratrum diſcordia. 368
Fraterna correctio. 258
Fuga tempore perſecutionis permiſſa. 424
Fundamenta quot ſint, in quibus nobis eſt ſperandum. pag. 372
Fundamentum templi Chriſtus. pag. 436. nos ſuperædificamus opera. ibid.

G

GEnera rerum quot reperiantur in hoc mundo. pag. 366.
Gloria cæleſtis magnitudo. pag. 158. eiusque comparatio. 130
Gloria vana fugienda. 14
Glorificatio ac paſſio Saluatoris. 175
Granum ſynapis Fidei ſymbolum. 21
Gula vitium quid. 199

H

HErinacius quid. 82
Heri officium erga ſeruos. 25
Homo comparatur arbori. 3. & ſeq.
Homo tripliciter eſt in manu Dei. 566
Hominis inclinatio ad carnalia deſideria Diabolo pro laqueo ſeruit. 93. & ſeq.
Hominum eſt & maximè ſacerdotum peccantibus condolere. 516
Honor Deo quis debeatur. 168
Honorem nemo ſibi vendicet. 147. & ſeq.
Hoſpitalitas, eiusque merita. 374

Hu-

Humilitas generat ſcientiam. pag. 83. *eiusque gradus. pag.* 50
Humilitas Christi captum humanum ſuperat. pag. 526.

I

Ieiunium neceſſarium. 12. & 13
Ignorantia humana. 379
Incarnatio Saluatoris, eiuſque effectus. 33. 42. 83. 130.
Ingratitudinis vitium quale. 251.
Ingreſſus Chriſti in hortum. 543
In concilijs vnus debet præſidere. 459
In honore abſque dolere eſſe eſt impoſſibile. 490
Inimici: ignoſcendum . p. 38. *& ſequen. chriſtianis proprium ibid.*
Inobedientia mirabile exemplum. 275
Inſignia diuerſarum nationum. 179
Inſtabilitas amicorum exemplificatur. 498
In ſummis honoribus humilitatis meminiſſe decet. p. 493
Interpretatio ſcripturarum fructus Paſſionis Chriſti. p. 609
Interula C. Iulij Cæſaris quid. 391
Interceſſio Sanctorum. 281
Introitus Seruatoris in hunc mundum. 79
Inuidus ſemper triſtis. 250
Inuidia vitium Diaboli pag. 247. *&* 250. *vipara comparatur. ibid. eſt morbus incurabilis ibid. vnicum in ſe habet laudabile. pag. ibid. eſt vitium iniuſtiſſimum, & iuſtiſſime iuſtiſſimum.* *ibid.*
Iob cur vitam ſuam militiam nominarit. 356
Iona inobedientia. 98
Ira quomodo locus detur. 424
Ira vitium graphicè depingitur. p. 424. *eius vehementia. p.* 476. *eius triplex offenſa.* 480. *& ſeq. eius exempla.* *ibid.*
Ira ſimilis Ebrietati. 479
Iratus abrepitio ſimilis. *ibid.*
Iuda peccatum expenditur. pag. 518. *eius ſuſpendium, pag.* 520. *cur in aere mortuus. p.* 522. *cur ſuſpenſus crepuit. ibid. num. ſuſpendio ſuperuixerit. ibi. infamis eius mors depingitur.* 523
Iudæorum ſumma ira. 481
Iudæi proximi noſtri non fratres. 258

Iudicij dies magnus. 74
Iudicij nomine quare mors in SS. denotetur. 352
Iudicium temerarium. 389 & *ſeq.*
Iuſtitia, & miſericordia ſymbolum. 514
Iuſtificatio ſanctorum. 275

L

Labor præmium præcedit. p. 132. *neceſſarius.* 45
Lachryma B. Virg. nihil eius conſtantia derogant. p. 595
Laus obedientiæ. 168
Laus in ore proprio vileſcit. 388. & *ſeq.*
Leo quando rugiat. 439
Leuiathan Diabolum repræſentant. 56. & *ſeq.*
Lex gratiæ eſt excellentior Moſaica. 149
Lilia rubra. 395
Lotio pedum. 533
Luciferi ſuperbia. 288
Luctaturi quare inungantur. 501
Luna quando ſoli directe oppoſita. pag. 387. *quando creſcat.* 432.
Lux in Domino quid. 382. & *ſeq.*

M

Magdalena cur ad diſcumbentem veniat. p. 447. *eius peccati grauitas depingitur.* 448
Magdalena tacendo hoſtes ſuperat p. 502. *eius deuotio. ibid. cur alabaſtrum attulerit. p.* 452. *quomodo dicatur, capit rigare. p.* 454 *quo modo tres illas aues expreſſerit, Pellicanum, Nycticoracem, & Paſſerem.* 457
Magnanimum eſt iniuriarum obliuiſci. 607
Magnitudo triſtitiæ Chriſti. 545
Mala punica ſymbolum charitatis. 31
Maledictionis vis. pag. 271. & *ſeq. matribus erga proprios infantes propriiſſima. pag.* 271. *in benedictionem conuertitur* 373.
Mancipia ſcytharum. 60

Mane Deus querendus eſt. 604
Mare ſedatum quando à Seruatore. 45
Maria amarum dolorum mare. 585
Maria ſub cruce non defecit ſed ſtetit. 593
Matrimonium maximum Sacramentorum. 303
Maurorum pietas. 321
Maxima miſeria eſt felicem fuiſſe. 482
Maximi lapſus ex præfidentia naſcuntur. 449
Memoria Paſſionis Dom utiliſſima. 613
Mendacium fugiendum. 400
Menſa Euangelica qualis pag. 708. Euchariſtia ibid. Chriſtianis ſepius frequentanda. 281
Mercurij ſtatua. 178
Myrrha duo genera. 268
Miſericordia & miſeria quomodo conueniant. 306
Miſericordia quot portas habeat. 120
Miſericordia Dei multiplex. pag. 297. omnia reliqua opera excellit. 217
Miſericordia diuina eiusque laus. pag. 444. varijs metaphoris declaratur. pag. 445. & ſeq. iuſtitia eſt admiſcenda. 514
Myſterium quid ſignificet. 301
Myſteria coronationis Chriſti. 567
Myſticatio vocis Pax. 631
Moyſes & Elias transfigurati. 349
Mons Caluaria. 577
Moraliſatio ſudoris Chriſti. 553
Mors nemini parcit. 358
Mors Chriſti omnibus fuit neceſſaria. 468
Mortui extra ciuitatem quare ſepeliantur. 358. cur etiam iuxta Baſilicas & templa. 359
Mortuorum quot genera. 478
Mortificatio carnis pag. 240. & 294 neceſſaria. 60
Multi ex aliorum factis gloriam quærunt. 478
Multi exaltantur vt grauius ruant. 482
Mundi vanitas. 499

N

Nabuzardan ruina Hieruſalem. 200
Nardus quale genus herbarum & quid ſignificet. 440

Natura & culpa quomodo inter ſe diſtincta. 32
Neceſſitas lachrymarum. 455
Nomen IESVS ſelectum & quare. 430
Non ſunt facienda mala vt eueniant bona. 467
Non credere reſurrectionem cauſa eſt multorum peccatorum. 623
Noſocomia templis vicina. 117
Nox quotuplex. 383
Nubes quid. 89. & 142
Nullus ſanctorum omnia illa miracula fecit quę Chriſtus. 442
Nunc vocula quid ſignificet. 355
Nux arbor, iuſtorum ſymbolum. 30

O

OBambulatio diuina in ſuo templo. 437
Obedientiȩ laus pag. 168. & 171. propria Deo. 269
Obſtinata Iudaeorum malitia p. 475. & caeca ſauitia. ibid.
Occaſiones peccati fugiendȩ. 58. 83. & 107
Oculi eorumque artificium. 345
Oculi diuini eorumq; reſpectus vtilis. 70 & ſeq. & 228. & 345
Odium quod carpat vbique inuenit. 319
Odoribus vti quam dedeceat. 453
Officium liberorum erga parentes. p. 272. boni iudicis pag. 306
Officium Seruatoris quotuplex. 66
Oliua ſymbolum fertilitatis. 299
Onocratulus auis voraciſſima. 203
Opera voluntaria Deo grata. pag. 268. obligatoria voluntarijs potiora. 269
Opera Chriſti dupliciter eius diuinitatem aſtruebant. pag. 441
Oratio ſpiritum transfigurat. 137
Oratio Chriſti in horto. 547
Orationis apud Deum efficacia. 103. & ſeq. & 137
Orationis comites ſolitudo, & humilitas. 546

P

PApa in fide errare non poteſt. 170
Parentum munus erga filios. 269
Paſſio ſaluatoris voluntaria p. 182. Bibliotheca Chriſtianorum p. 185. quid nobis circa eam meditandum. p. 188 & ſeq.
Patientia Saluatoris. 401
Patientia beluina. 100

Pau-

Pauperibus ſubueniendum. 203
Pax ex iuſtitia oritur p.629. eius effectus. 630
Peccata principum facilius notantur, & ſunt grauiora. p. 434
Peccator per pœnitentiam mutatur. 352
Peccatores mutari debent. 351
Peccati occaſio.p.83. unde naſcatur. 242
Peccati filiorum Heli exaggeratio. 316
Peccati quatuor gradus. 426
Peccatum cur ebrietas appelletur. 477
Peccatum vt euitemus, eius occaſiones caueamus. ibid.
Pedes Domini iuſtitia, & miſericordia. 514
Pœnitentia non eſt procraſtinanda. 450
Pœnitentia dilata, peccandi conſuetudinem generat. p.452. requirit dolorem ſed moderatum. 517
Pœnitentię gradus, quot, & qui. 454
Pœnitentia Iudæ quid defuerit. 516
Per baptiſmum conſecramini in templum Dei. 436
Peregrinorum, & hoſpitum differentia. 426
Pes terræ impoſitus poſſeſſionem ſubindicat. 43
Pietas quid. 273
Pilatus Chriſtum liberare conatur. p.560. ſed fruſtra. pag.561. & ſeq.
Porta orientalis templi. 434
Præcipuus amoris effectus quis. 529
Prælati debent medium obtinere. 628
Principum officium. 434
Pro peccatis carnalibus peculiariter debentur lachrymæ. 456
Proditionis ſymbolum quod. 556
Promiſſa Dei patienter expectanda. 617
Prophetarum admirabilis vnanimitas. 442
Propitiatorium ædificatum ex præcepto Diuino.p. 218
Pudor quotuplex. 234
Pulchra adhortatio. 373
Punitio diuina vnde proueniat. 327 & 328

Q

QVæ ſit voluntas Diaboli. 475
Quadrageſima Ver Eccleſiæ appellatur. 210
Qualis fuerit confeſſio Iudæ. 518
Quam grauiter peccent qui ex malitia peccant. p. 474

Quando leo rugiat. 439
Quanta puritas eſſe debeat in ſuſcipientibus vener. ſacr p. 533
Quanti meriti ſit apud Deum nos hoſpites fateri. 427
Quantum ſit peccatum cincinnatum prodire. 453
Quatuor cauſa honoris. p. 535. omnes quatuor in Chriſto fuerunt. ibid.
Qui quod habet offert ſummum offert. 504
Qui peccati initijs non reſiſtit, in grauiora prolabitur. p. 476. & iram Dei theſaurizat. 477
Qui mundo notus, Deo ignotus eſt. 431
Quid ſit Seruatorem noſtrum ſequi. 382
Quid populus pracedens, & ſubſequens ſignificet. 496
Quid in ſolitudine cum Chriſtum meditandum. 475
Quinam ſint templum Dei. 436
Quomodo vera gloria ſit obtinenda. 430
Quomodo templum Dei polluamus. 437
Quomodo templum profanatum renouetur. 438
Quomodo Iudai Chriſtum circumdederint. p. 439. ac inſtar taurorum oculos claudant. 440
Quomodo Iudas ad immane flagitium, & infelix ſuſpendium ſit inductus. 513
Quomodo Deus inuidos puniat. 481
Quomodo de Paſſione Chriſti debeamus dolere. 539
Quomodo ſit Chriſtus peregrinus in cordibus noſtris. 617
Quomodo Magdalena ad tantam turpitudinem peruenerit. 449

R

Radij ſolis quare plumæ appellentur. 381
Recreatio ſacerdotum qualis. 491
Rectores ſeu Præſides canes à SS appellantur. 258
Reges, & ſacerdotes vngi ſolent. 501
Reguli auiculæ aſtutia. 264
Reuelationes S. Brigittæ. 538
Ruina Adam vnde promanet. 339

S

Sacerdotibus Seruator noſter, cur carnem coctam non crudam dari voluerit 316
Sacerdotes à quo reprehendendi. 329

Sa-

Sacrificia Linguarum. 200
Salterræ qui appellentur à Domino. 170
Salomonis encomium de 7. ſap. p. 99. eius templum tripartitu p. 134. honoratum à Seruatore. 83
Saluatoris noſtri dies qualis. 402
Sancti glorioſam mortem quærunt. 510
Sancta Mater Eccleſia quale vexillum vſurpet. 145
Sanctificatio ſabbathi. p. 333. in quo conſiſtat. 333
Sanguis Chriſti quam ſit pretioſus. 519
Sathanę vires. 36
Sceptrum arundineum quid deſignet. 508
Scientia Saluatoris quotuplex. 338 & ſeq.
Scorpio, & illius proprietas. 92
Scriptura S. quid in extructione templi Salomonis obſeruet. 321
Sepulchra quare monumenta appellentur. pag. 358. duo nos docent. ibid.
Sermo ſubiecto debet accommodari. 370
Seruatoris noſtri officia quatuor, & quare p. 66. eum ſequi quid ſit. p. 382. eius deſcriptio. 394 & ſeq.
Sic vocula quomodo intelligenda. 389
Signum S. Crucis inſigne Chriſtianorum. 389. & ſeq.
Silentium in Eccleſia habendum. 175
Sinape fidei ſymbolum. 25
Sola fides non ſufficit. 443
Sol eiusque plumę. 381
Solitudo quanta ſit pœna. 589
Solitudo, & humilitas comites orationis. 546
Speculum eiusq́; proprietas. 138. & ſeq.
Spes in Deo collocanda. p. 618. debet eſſe perſeuerans. p. 618
Spiritus S. cum aqua comparatio. 417
Spiritualia conſilia cum amicis carnalibus non ſunt comparanda. 431
Statuę Mercurij. 178
Status Eccleſię mortuo Chriſto. 602
Status Eccleſię poſt reſurrectionem Chriſti. 603
Stulti quomodo reprehendendi. 99
Stulti, & lunę comparatio. 431
Stultitię, quot genera. 478
Superbię tria capita & fontes. 8
Superiorum exempla maximè ſubditos mouent. pag. 495

Tau-

T

Taurus Iudæorum figura & quare. 239
Templum Salomonis tripartitum. 134
Tempus omnibus commune. 86
Tenebrarum quot genera. 383
Tentationes Diaboli quotuplices. 63
Theſaurus Niuis quis. 175
Theſauros quare Ethnici in ſepulchris abſconderint. pag. 294
Timor cuius eſt neceſſarius. 623
Traditiones quando reprahenſibiles. 268
Transfiguratio quid. 142
Tribulationes huius mundi leues. 524. & ſeq.
Triumphus Chriſti ab Iſaia prædictus. 486
Turtur eiuſq; proprietas. p. 210. *viduitatis ſymbolum pag.* 211

V

Vallis Ioſaphat locus extremi iudicij. 71
Vana gloria fugienda. 14
Vas Alabaſtri humanitatem Chriſti ſignificat. pag. 507. *morte frangendum fuit, vt orbem repleret.* 508
Veneris ſtatua quid. 212
Vera gloria virtute ac labore acquaritur pag. 429. *virtute genere muneratur.* ibid.
*Verbum diuinum quomodo ſit audiendum. p.*176. & 410. *eius vtilitas.pag.* 175. *audientibus illud quid apprime obſeruandum.*419.*cur non recipiatur.* 397.
*Veritas quare non recipiatur.p.*398. *Soli comparatur. pag.* 399.
*Veritas ab inuitis aliquando exprimitur.pag.*389.*nunquam tamen vita emendatio.* 474
Verus amor fraternus in quo conſiſtat. 375.
Via cæleſtis quotuplex. 198
Via Cain qualis. 249
Viduitatis ſymbolum quod. 362
*Vinea charitatis ſymbolum pag.*30.214.*vide Amor repræſentat Eccleſiaſt.* 204
Vinea combuſta pag. 84. *florentes.* 212
Vita humana quotuplex. 298
Vita hominis ſimilis igni. p. 5.*breuis.* 411. & *ſequen.*
Viuendum hic quaſi moriendum, id eſt in Tabernaculis. 425

Vn-

Vnctio quotuplex. 243
Vnctio Chriſti quid præfiguret. 500
*Voluntas propria ardens in inferno,pag.*98. *laudabilis pag.* 184
tenetur pro facto. 121
Vox Domini quid. 408.& 409
Vox Vnus quomodo interpretetur. 469
Vox Mater expenditur. 595
Voracitas Inferni. 601
Vrſus lingens fœtum ſuum quid. 271
Vtilis lectio pro Religioſis. 73
Vtilitas conciliorum. 458

Z

Zelotes quid. 360

FINIS INDICIS.

Cur bona ſuperflua capillis comparentur. 505
Cur ex Diſcipulis duo mittantur. 492

D

DEdicatio templi. 435
Dei verbum ſcuto ſimile. 64
Dei decretum bonum hominum malitia exequitur. pag. 443. bonum decernit, malum permittit. ibid.
Dei erga nos ſummus amor. ibid.
Dei, & amoris amicum bellum. pag. 503. eius longanimitas, & tarditas ad puniendum. 521
Deus hominem quot, & quibus oculis intueatur. p. 483. & 484. breuiloquium in oratione quare nobis adeo inculcet. pag. 372. omnium bonorum autor. p. 419. flagellum correctionis in manus quis illi porrigat. 327
Deus nullis medijs alligatur. p. 461. media maximè in idonea fini optimè aptare nouit. p. 462. quomodo inuidos puniat. p. 481. hominem deijcit vt eleuet. p. 483. non doni nec donantis dignitatem ſed affectum eſtimat. 503
Deus nouacula non ſua ſed conducta vtitur. 524
Deus non ſolùm eſt ſumme miſericors, ſed etiam liberalis. 445
Dentes ſerpentem proſemina. 265
Diaboli ſuſurrones ac mancipia. 266
Diabolus à ſcriptura faber appellatur. p. 230 mutus. p. 234
Diabolus vnum pedem ſolummodo offert aut ſaltem prepoſtere. 518.
Diabolorum diuerſa genera. 415
Dies feſti quare inſtituti. 331
Dies Saluatoris noſtri qualis. 401
Differentia transfigurationis Dom. & Moſaica. 149
Diſcipulorum liberalitas, & plebis. 495
Diuina Miſericordia iuſtitię eſt admiſcenda. 515
Diuinæ prouidentiæ omnia noſtra negotia ſunt permittenda. 464.
Ditiſſimus Chriſti ad mortem apparatus. 509
Diuitum felicitas in hoc mundo. p. 161. & ſeq. Eleemoſyna pauperibus eroganda. 341
Doctores Eccleſiæ decet eſſe humiles. 69

Doctrina Saluatoris. 532
Dolores paſſionis qui ſint. 486
Dolores B. Virg. depinguntur. 583
Dolor Iudæ quia ſpe veniæ caruit, contritio non fuit. p. 518
Dorſum columbæ deauratum. 299

E

EBoris, & Sapphiri comparatio. 376
Eccleſia monti comparatur. pag. 307. quomodo fundata. p. 205. & ſeq. auroræ comparatur. pag. 384. comparatur mari. 598
Eccleſiæ prælati Principes noſtri lux mundi appellantur. p. 433. debent exemplo prælucere. p. ibid. ac eſſe virga amygdalina vigilantes. ibid.
Eccleſiaſticis non licet theſaurizare. 318
Electio Chriſtianiſmi, ſignum prædeſtinationis. 118
Eleemoſynarum merces. pag. 506. etiam temporalem mercedem habet. 507
Eleemoſynæ laus. 344. pauperibus eroganda. 341
Elias & Moyſes tranſfigurati. 149
Eloquentiæ vis. 408. & ſeq.
Excæcatio cordis. 319. & 320
Exceſſus ſumptuum fugiendi. 313
Ex defectu humilitatis contentiones oriuntur. 493
Exemplorum vis. 16

F

FAbri nomine quid ſubintelligatur in SS. 312
Fabula de Cadmo. 265
Fames Redemptoris. 62
Fatui nomine qui deſignentur. 364
Fœmina fugienda. pag. 294. natura curioſa. pag. 231. lunæ comparantur. 363
Feſtiuitas Paſchæ. 604
Fidei Chriſtianæ neceſſitas. pag. 18. eſt fundamentum omnium virtutum. ibid.

Fides opera præcedat oportet. pag. 20. ſola non ſufficit. 443
Fides reſurrectionis maxima conſolatio. 624
Fideles in S.S. appellantur veſtimenta Dei. p. 149. appellantur palmites. 156
Filiarum ſuperfluus ac vanus ornatus. 191
Flagellatio Chriſti. 562
Flere ſuper mortuos non prohibemur. 364
Fratres Chriſtiani qui. 255
Fratrum diſcordia. 368
Fraterna correctio. 258
Fuga tempore perſecutionis permiſſa. 424
Fundamenta quot ſint, in quibus nobis eſt ſperandum. pag. 372
Fundamentum templi Chriſtus, pag. 436. nos ſuperædificamus opera. ibid.

G

GEnera rerum quot reperiantur in hoc mundo. pag. 366.
Gloria cæleſtis magnitudo. pag. 158. eiusque comparatio. 130
Gloria vana fugienda. 14
Glorificatio ac paſſio Saluatoris. 175
Granum ſynapis Fidei ſymbolum. 21
Gula vitium quid. 199

H

HErinacius quid. 82
Heri officium erga ſeruos. 25
Homo comparatur arbori. 3. & ſeq.
Homo tripliciter eſt in manu Dei. 566
Hominis inclinatio ad carnalia deſideria Diabolo pro laqueo ſeruit. 93. & ſeq.
Hominum eſt & maximè ſacerdotum peccantibus condolere. 516
Honor Deo quis debeatur. 168
Honorem nemo ſibi vendicet. 147. & ſeq.
Hoſpitalitas, eiusque merita. 374

Humilitas generat ſcientiam. pag.83. eiusque gradus. pag.50
Humilitas Chriſti captum humanum ſuperat. pag. 526.

I

Ieiunium neceſſarium. 12. & 13
Ignorantia humana. 379
Incarnatio Saluatoris, eiuſque effectus. 33.42.83.130.
Ingratitudinis vitium quale. 251.
Ingreſſus Chriſti in hortum. 543
In concilijs vnus debet preſidere. 459
In honore abſque dolere eſſe eſt impoſſibile. 490
Inimici: ignoſcendum .p. 38. & ſequen. chriſtianis proprium ibid.
Inobedientia mirabile exemplum. 275
Inſignia diuerſarum nationum. 179
Inſtabilitas amicorum exemplificatur. 498
In ſummis honoribus humilitatis meminiſſe decet.p. 493
Interpretatio ſcripturarum fructus Paſſionis Chriſti.p. 609
Interula C.Iulij Caſaris quid. 391
Interceſſio Sanctorum. 281
Introitus Seruatoris in hunc mundum. 79
Inuidus ſemper triſtis. 250
Inuidia vitium Diaboli pag.247. & 250. vipara comparatur. ibid. eſt morbus incurabilis ibid. vnicum in ſe habet laudabile. pag. ibid. eſt vitium iniuſtiſſimum, & iuſtiſſime iuſtiſſimum. ibid.
Iob cur vitam ſuam militiam nominarit. 356
Iona inobedientia. 98
Iræ quomodo locus detur. 424
Ira vitium graphicè depingitur.p.424.eius vehementia. p.476. eius triplex offenſa.480.& ſeq.eius exempla. ibid.
Ira ſimilis Ebrietati. 479
Iratus abrepitio ſimilis. ibid.
*Iudæ peccatum expenditur.pag.518.eius ſuſpendium.pag.520. cur in aere mortuus.p.522. cur ſuſpenſus crepuit.ibid. num ſuſpendio ſuperuixerit.ibi.infamis eius mors depingitur.*523
Iudæorum ſumma ira. 481
Iudæi proximi noſtri non fratres. 258

Iudicij dies magnus. 74
Iudicij nomine quare mors in SS. denotetur. 352
Iudicium temerarium. 389 & *ſeq.*
Iuſtitia, & miſericordia ſymbolum. 514
Iuſtificatio ſanctorum. 275

L

LAbor præmium præcedit. p. 132. neceſſarius. 45
Lachryma B. Virg. nihil eius conſtantia derogant. p. 595
Laus obedientiæ. 168
Laus in ore proprio viloſcit. 388. & *ſeq.*
Leo quando rugiat. 439
Leuiathan Diabolum repræſentant. 56. & *ſeq.*
Lex gratiæ eſt excellentior Moſaica. 149
Lilia rubra. 395
Lotio pedum. 533
Luciferi ſuperbia. 288
Luctaturi quare inungantur. 501
Luna quando ſoli directè oppoſita. pag. 387. *quando creſcat.* 432.
Lux in Domino quid. 382. & *ſeq.*

M

MAgdalena cur ad diſcumbentem veniat. p. 447. *eius peccati grauitas depingitur.* 448
Magdalena tacendo hoſtes ſuperat. p. 502. *eius deuotio. ibid. cur alabaſtrum attulerit. p.* 452. *quomodo dicatur, capit rigare. p.* 454 *quo modo tres illas aues expreſſerit, Pellicanum, Nycticoracem, & Paſſerem.* 457
Magnanimum eſt iniuriarum obliuiſci. 607
Magnitudo triſtitiæ Chriſti. 545
Mala punica ſymbolum charitatis. 31
Maledictionis vis. pag. 271. & *ſeq. matribus erga proprios infantes propriiſſima. pag.* 271. *in benedictionem conuertitur* 373.
Mancipia ſcytharum. 60

Mane Deus querendus eſt. 604
Mare ſedatum quando à Seruatore. 45
Maria amarum dolorum mare. 585
Maria ſub cruce non deficit ſed ſtetit. 593
Matrimonium maximum Sacramentorum. 303
Maurorum pietas. 321
Maxima miſeria eſt felicem fuiſſe. 482
Maximi lapſus ex præſidentia naſcuntur. 449
Memoria Paſſionis Dom vtiliſſima. 613
Mendacium fugiendum. 400
Menſa Euangelica qualis pag. 708. Euchariſtia ibid. Chriſtianis ſæpius frequentanda. 281
Mercurij ſtatua. 178
Myrrhæ duo genera. 268
Miſericordia & miſeria quomodo conueniant. 306
Miſericordia quot portas habeat. 120
Miſericordia Dei multiplex. pag. 297. omnia reliqua opera excellit. 217
Miſericordia diuina eiuſque laus. pag. 444. varijs metaphoris declaratur. pag. 445. & ſeq. iuſtitia eſt admiſcenda. 514
Myſterium quid ſignificet. 301
Myſteria coronationis Chriſti. 567
Myſticatio vocis Pax. 631
Moyſes & Elias transfigurati. 149
Mons Caluariæ. 577
Moraliſatio ſudoris Chriſti. 553
Mors nemini parcit. 358
Mors Chriſti omnibus fuit neceſſaria. 468
Mortui extra ciuitatem quare ſepeliantur. 358. cur etiam iuxta Baſilicas & templa. 359
Mortuorum quot genera. 478
Mortificatio carnis pag. 240. & 294 neceſſaria. 60
Multi ex aliorum factis gloriam quærunt. 478
Multi exaltantur vt grauius ruant. 482
Mundi vanitas. 499

N

NAbuzardan ruina Hieruſalem. 200
Nardus quale genus herbarum & quid ſignificet. 440

Natura & culpa quomodo inter ſe diſtincta. 32
Neceſſitas lachrymarum. 455
Nomen IESVS ſelectum & quare. 430
Non ſunt facienda mala vt eueniant bona. 467
Non credere reſurrectionem cauſa eſt multorum peccatorum. 623
Noſocomia templis vicina. 117
Nox quotuplex. 383
Nubes quid. 89. & 142
Nullus ſanctorum omnia illa miracula fecit quę Chriſtus. 442
Nunc vocula quid ſignificet. 355
Nux arbor, iuſtorum ſymbolum. 30

O

OBambulatio diuina in ſuo templo. 437
Obedientiæ laus pag. 168. & 171. propria Deo. 269
Obſtinata Iudæorum malitia p. 475. & cæca ſæuitia. ibid.
Occaſiones peccati fugiendę. 58. 83. & 107
Oculi eorumque artificium. 345
Oculi diuini eorumq; reſpectus vtilis. 70 & ſeq. & 228. & 345
Odium quod carpat vbique inuenit. 319
Odoribus vti quam dedeceat. 453
Officium liberorum erga parentes. p. 272. boni iudicis pag. 306
Officium Seruatoris quotuplex. 66
Oliua ſymbolum fertilitatis. 299
Onocratulus auis voraciſſima. 203
Opera voluntaria Deo grata. pag. 268. obligatoria voluntarijs potiora. 269
Opera Chriſti dupliciter eius diuinitatem aſtruebant. pag. 441
Oratio ſpiritum transfigurat. 137
Oratio Chriſti in horto. 547
Orationis apud Deum efficacia. 103. & ſeq. & 137
Orationis comites ſolitudo, & humilitas. 546

P

PApa in fide errare non poteſt. 170
Parentum munus erga filios. 269
Paſſio ſaluatoris voluntaria p. 182. Bibliotheca Chriſtianorum p. 185. quid nobis circa eam meditandum. p. 188 & ſeq.
Patientia Saluatoris. 401
Patientia beluina. 100

Pauperibus ſubueniendum. 203
*Pax ex iuſtitia oritur p.*629. *eius effectus.* 630
Peccata principum facilius notantur, & ſunt grauiora. p. 434
Peccator per pœnitentiam mutatur. 352
Peccatores mutari debent. 351
*Peccati occaſio.p.*83 *.vnde naſcatur.* 242
Peccati filiorum Heli exaggeratio. 316
Peccati quatuor gradus. 426
Peccatum cur ebrietas appelletur. 427
Peccatum vt euitemus,eius occaſiones caueamus. ibid.
Pedes Domini iuſtitia,& miſericordia. 514
Pœnitentia non eſt procraſtinanda. 450
*Pœnitentia dilata,peccandi conſuetudinem generat. p.*452. *requirit dolorem ſed moderatum.* 517
Pœnitentię gradus,quot,& qui. 454
Pœnitentia Iudæ quid defuerit. 516
Per baptiſmum conſecramini in templum Dei. 436
Peregrinorum,& hoſpitum differentia. 426
Pes terræ impoſitus poſſeſſionem ſubindicat. 43
Pietas quid. 273
*Pilatus Chriſtum liberare conatur.p.*560.*ſed fruſtra. pag.*561.*18 & ſeq.*
Porta orientalis templi. 434
Præcipuus amoris effectus quis. 529
Prælati debent medium obtinere. 628
Principum officium. 434
Pro peccatis carnalibus peculiariter debentur lachrymæ. 456
Proditionis ſymbolum quod. 556
Promiſſa Dei patienter expectanda. 617
Prophetarum admirabilis vnanimitas. 442
Propitiatorium ædificatum ex præcepto Diuino.p. 218
Pudor quotuplex. 234
Pulchra adhortatio. 373
Punitio diuina vnde proueniat. 327 & 328

Q

QVæ ſit voluntas Diaboli. 475
Quadrageſima Ver Eccleſiæ appellatur. 210
Qualis fuerit confeſſio Iudæ. 518
Quam grauiter peccent qui ex malitia peccant.p. 474

Quando leo rugiat. 439
*Quanta puritas eſſe debeat in ſuſcipientibus vener. ſacr p.*533
Quanti meriti ſit apud Deum nos hoſpites fateri. 427
Quantum ſit peccatum cincinnatum prodire. 453
Quatuor cauſa honoris. p. 535. *omnes quatuor in Chriſto fuerunt.* ibid.
Qui quod habet offert ſummum offert. 504
Qui peccati initijs non reſiſtit, in grauiora prolabitur. p. 476. *& iram Dei theſaurizat.* 477
Qui mundo notus, Deo ignotus eſt. 431
Quid ſi Seruatorem noſtrum ſequi. 382
Quid populus præcedens, & ſubſequens ſignificet. 496
Quid in ſolitudine cum Chriſtum meditandum. 478
Quinam ſint templum Dei. 436
Quomodo vera gloria ſit obtinenda. 430
Quomodo templum Dei polluamus. 437
Quomodo templum profanatum renouetur. 438
Quomodo Iudæi Chriſtum circumdederint. p. 439. *ac inſtar taurorum oculos claudant.* 440
Quomodo Iudas ad immane flagitium, & infelix ſuſpendium ſit inductus. 513
Quomodo Deus inuidos puniat. 481
Quomodo de Paſſione Chriſti debeamus dolere. 539
Quomodo ſit Chriſtus peregrinus in cordibus noſtris. 617
Quomodo Magdalena ad tantam turpitudinem peruenerit 449

R

Radij ſolis quare plumæ appellentur. 381
Recreatio ſacerdotum qualis. 491
Rectores ſeu Præſides canes à SS appellantur. 258
Reges, & ſacerdotes vngi ſolent. 501
Reguli auiculæ aſtutia. 364
Reuelationes S. Brigittę. 538
Ruina Adam vnde promanet. 339

S

Sacerdotibus Seruator noſter, cur carnem coctam non crudam dari voluerit 316
Sacerdotes à quo reprehendendi. 329

Sacrificia Linguarum. 200
Salterræ qui appellentur à Domino. 170
Salomonis encomium de 7. ſap p 99. eius templum tripartitu p. 134. honoratum à Seruatore. 83
Saluatoris noſtri dies qualis. 401
Sancti glorioſam mortem quærunt. 510
Sancta Mater Eccleſia quale vexillum vſurpet. 145
Sanctificatio ſabbathi. p. 333. in quo conſiſtat. 333
Sanguis Chriſti quam ſit pretioſus. 519
Sathanę vires. 56
Sceptrum arundineum quid deſignet. 508
Scientia Saluatoris quotuplex. 338 & ſeq.
Scorpio, & illius proprietas. 92
Scriptura S. quid in extructione templi Salomonis obſeruet. 321
Sepulchra quare monumenta appellentur. pag. 358. duo nos docent. ibid.
Sermo ſubiecto debet accommodari. 370
Seruatoris noſtri officia quatuor, & quare p. 66. eum ſequi quid ſit. p. 382. eius deſcriptio. 394 & ſeq.
Sic vocula quomodo intelligenda. 389
Signum S. Crucis inſigne Chriſtianorum. 389. & ſeq.
Silentium in Eccleſia habendum. 175
Sinape fidei ſymbolum. 25
Sola fides non ſufficit. 443
Sol eiusque plumę. 381
Solitudo quanta ſit pœna. 589
Solitudo, & humilitas comites orationis. 546
Speculum eiusq́; proprietas. 138. & ſeq.
Spes in Deo collocanda. p. 618. debet eſſe perſeuerans. p. 618
Spiritus S. cum aqua comparatio. 417
Spiritualia conſilia cum amicis carnalibus non ſunt comparanda. 431
Statuę Mercurij. 178
Status Eccleſię mortuo Chriſto. 602
Status Eccleſię poſt reſurrectionem Chriſti. 603
Stulti quomodo reprehendendi. 99
Stulti, & lunę comparatio. 431
Stultitię, quot genera. 478
Superbię tria capita & fontes. 8
Superiorum exempla maximè ſubditos mouent. pag. 495

Tau-

T

TAurus Iudæorum figura & quare. 239
Templum Salomonis tripartitum. 134
Tempus omnibus commune. 86
Tenebrarum quot genera. 383
Tentationes Diaboli quotuplices. 63
Theſaurus Niuis quis. 175
Theſauros quare Ethnici in ſepulchris abſconderint. pag. 294
Timor cuius eſt neceſſarius. 623
Traditiones quando reprahenſibiles. 268
Transfiguratio quid. 142
Tribulationes huius mundi leues. 524. & ſeq.
Triumphus Chriſti ab Iſaia prædictus. 486
Turtur eiusq́; proprietas. p. 210. viduitatis ſymbolum pag. 211

V

VAllis Ioſaphat locus extremi iudicij. 71
Vana gloria fugienda. 14
Vas Alabaſtri humanitatem Chriſti ſignificat. pag. 507. morte frangendum fuit, vt orbem repleret. 508
Veneris ſtatua quid. 212
Vera gloria virtute ac labore quæritur pag. 429. virtute genere muneratur. ibid.
Verbum diuinum quomodo ſit audiendum. p.176. & 410. eius vtilitas.pag. 175. audientibus illud quid apprime obſeruandum.419.cur non recipiatur. 397
Veritas quare non recipiatur.p.398. Soli comparatur. pag. 399.
Veritas ab inuitis aliquando exprimitur.pag.389.nunquam tamen vitæ emendatio. 474
Verus amor fraternus in quo conſiſtat. 375
Via celeſtis quotuplex. 198
Via Cain qualis. 249
Viduitatis ſymbolum quod. 362
Vinea charitatis ſymbolum pag.30.214.vide Amor repræſentat Eccleſiaſt. 204
Vinea combuſta pag. 84. florentes. 212
Vita humana quotuplex. 298
Vita hominis ſimilis igni. p. 5.breuis. 411. & ſequen.
Viuendum hic quaſi moriendum, id eſt in Tabernaculis. 425

Vn-

Vnctio quotuplex. 243
Vnctio Chriſti quid præfiguret. 500
Voluntas propria ardens in inferno,pag. 98. *laudabilis pag.* 184
tenetur pro facto. 121
Vox Domini quid. 408.& 409
Vox Vnus quomodo interpretetur. 469
Vox Mater expenditur. 595
Voracitas Inferni. 601
Vrſus lingens fœtum ſuum quid. 271
Vtilis lectio pro Religioſis. 73
Vtilitas conciliorum. 458

Z

Zelotes quid. 360

FINIS INDICIS.

Digitized by Google

R. P. Fr.

DIDACI MVRILLO,

Ordinis S. Franciſci de Obſeruantia, Sacræ Theologiæ Lectoris & Prouinciæ Aragoniæ Definitoris.

Concionum Quadrageſimalium Sermo Primus.

In die Cinerum.

Cum Ieiunatis nolite fieri ſicut Hypocritæ triſtes, &c. Matth. 6. verſ. 16.

CVM Sancta Mater Eccleſia hodierna die ad ferias de ſalute noſtra curas ſuſcipiendum nos excitare, & quibuſdam veluti ſubiectis facibus inflammare vellet, tribus admodum eam ad rem Scripturæ Sacræ teſtimonijs vtendum ſibi eſſe exiſtimauit: Quorum primum ex temporibus Legis naturæ, ſecundum ex Lege ſcripta, ac tertium denique ex Lege Gratiæ petitum eſſet: vt ſicut quælibet mundi ætas & Lex hominis bonum vtilitatemq; ſpectabat, ita per ſe ſingulæ ad eam procurandam, &

promouendam ſubſidij aliquid conferrent & adiumenti. Horum PRIMVM ex tertio Geneſeos capite deſumptum in cinerum cæremonia verſatur, & partem ſermonis illius continet quo Creator DEVS ad humani generis protoplaſtos vſus fuit, quando in eoſdem læſæ Maieſtatis reos ſeueriſſimam mortis ſententiam pronunciauit. Adhibet autem id Eccleſia, vt in progenitorum noſtrorum memoriam digredientes, & quemadmodum ex infidelibus & immorigeris parentibus oriundi ſumus reminiſcentes humiliemur: & puluerem, cineremque tantum nos eſſe intelligentes, de generis familiæque noſtri humilitate facilem planè coniecturam faciamus. SECVNDVM teſtimonium, quod loco Epiſtolæ canitur, ex ſecundo Ioelis capite depromptum eſt: vbi DEVS populum ſuum commonefacit & exhortatur quatenus in ieiunio & planctu ad ſe conuertatur: Ipſa autem Eccleſia non aliam ob cauſam filijs id ſuis prælegit ac recitat, quam vt eos ad ſalutares Pœnitentiæ fructus faciendos exhortetur: ſcindendo non veſtimenta ſua (quemadmodum veteribus quibuſdam patribus cum ſummo acerbiſſimoque dolore conficerentur, in more poſitum fuiſſe accepimus) ſed corda, quæ omnium peccatorum fontes & perennes quædam ſcaturigenes ſunt. TERTIVM ex capite ſexto D. Matthæi, cuius Euangelium hodierno die Eccleſia nobis proponit, petitum mutuatumque eſt: In quo Seruator noſter CHRISTVS ieiunijs boniſque noſtris operibus optimè conſulturus, ne ve ea ſperatorum ſuorum fructuum iacturam faciant operam daturus, non propter inconſtantes vanæ gloriæ rumuſculos & aucupium, ſed vt ſoli Deo qui ſolus etiam ſibi impenſa rependere & remunerari ſcit, placeatur, ſuſcipienda illa eſſe docet & frequentanda. PORRO cum ego tria iſthæc Sacrorum Codicum teſtimonia penſiculatiùs aliquanto & adhibita in conſilium ratione examinarem, ſatisfacturus mihi non videbar, niſi de eorum ſingulis ad gloriam & honorem Sacroſanctæ Trinitatis vobis audientibus in medium aliquid exprompſiſſem. Conſecrabimus proinde primam partem DEO PATRI, cuius potentia in hominis è puluere excitati creatione eluxit: Secundam DEO FILIO, qui præſentiſſima ſalutis noſtræ media nobis adornauit, & vires quæ ad bona opera

exer-

exercenda ſufficerent, per Sacramenta à ſe inſtituta vniuerſo humano generi ſubminiſtrauit, ac eo denique modo infinitos Sapientiæ ſuæ theſauros manifeſtauit. Tertiam DEO SPIRITVI SANCTO inſcribemus, cuius bonitas detecta tunc fuit, quando eum Magiſtrum ac Præceptorem nobis aſſignauit, qui incredibili amore & beneuolentia nihil eorum docere nos intermiſit, ad quæ ſi veluti ad ſcopum aliquem bona noſtra opera collimarent, longè ſibi gratiſſima efficerentur. Quo autem facilius inſtituto propoſitoque huic noſtro, quod volumus, aliqua minimum ex parte reſpondeamus, operæ pretium, imò neceſſarium fuerit ad id Omnipotentiam Patris, Sapientiam Filij, & gratiam Spiritus ſancti implorare. Cumque Dei para Virgo Maria tribus iſtis in Deitate perſonis admirabili quodam (vt ita loquar) neceſſitudinis vinculo illigata ſit, quippe quæ Filia Patris, Mater Filij, & Sponſa Spiritus ſancti eſt, eam quoque vt Mediatricem noſtram & ſingularem apud DEVM aduocatam ſupplicibus votis conueniamus. *Aue Maria.*

Memento homo, &c. Geneſ. 3.

INTER celeberrimas laudatiſſimorum quorũlibet Philoſophorum de homine differentium ſententias, ea mihi pulcherrima longè videtur, quæ Empedocli vulgo adſcribitur. Cum enim is humanum corpus conſideraret, arbori id ſimile eſſe dicebat, cuius radices capilli, truncum corpus, & ramos brachia ac crura referrent. Idem cum incredibilem animæ motum intueretur, & calorem naturalem quem illa corpori infundit admiraretur, igni ſibi eam eſſe comparandam exiſtimabat. Quod ſapientiſſimi hominis iudicium quam nihil alienum à veritate ſenſerit, vel inde ſatis conſtat, quod in totis ſacris litteris nihil vulgatius eſt, quam hominem arborem appellari: nihilque iuxtè efficacius eſt, quo manifeſtius hominum inconſtantia poſſit demonſtrari. Hinc Dauid & Ieremias iuſtum arborem fructiferam & iuxta decurſus aquarum plantatam appellant: & cæcus ille à Seruatore noſtro viſu recepto, ſenſus ſanati experimentum facturus

Cõparatio Hominis et arboris.

Pſal. 1. *Iere.* 18.

Mar. 8. ctus homines ſe videre dicebat *velut arbores ambulantes*: Nec vana illius opinio: neceſſe enim erat vt oculi illi (quemadmodum Sanctus Petrus Chryſologus Epiſcopus Rauennatum animaduertit) quos Dominus Noſter Diuinitus illuminarat, res ita vt erant conſpicerent. Iam & Eſaias improbos quercus folijs carentes appellat. *Eritis tamquam quercus defluētibus folijs*. Et S. Iudas inquit: *Arbores autumnales, infructuoſæ, bis mortuæ: eradicatæ*. Adeò vt æquè bonos ac improbos arborum in Diuinis literis nomine affectos fuiſſe intelligas. Quin & Plato & Ariſtoteles gemina Philoſophiæ lumina hominis inconſtantiam ac leuitatem admirati non alio quam arboris nomine eum inſigniuerunt. Etenim quid tu arbore mutabilius aliquando conſpexiſti: quæ modo folijs onuſta, modo ijſdem exuta cernitur: Iam viridis, iam arida: Iam hilaris, iam effœta ſpectatur? Quid autem & homine inconſtantius eſt, quem modo lætari, modo triſtari: nunc deuotioni vacare, nunc diſtrahi: iam valere, iam ægrotare conſpicis: Et qui denique ſecundum Beatum Iob. *Nunquam in eodem ſtatu permanet*. Porrò ſi homines adeò appoſitè arboribus comparantur, illud neutiquam admirationem habere debet, quod eorum corpora ligna appellamus: ſiquidem ipſa arbor præter viride, ac viuum lignum, nihil eſt. Quemadmodum ergo arbor aliqua vegetatiua adhuc anima prædita viret & germinat; eadem autem deſtituta exareſcit: Ita homo ſimul ac anima ex eo euolarit omnibus pariter potentijs & conſuetis functionibus deſtituitur. Vnde manifeſtè intelligis præclarè omnino Empedoclem ſentiuiſſe qui humana corpora ligni nomine afficiebat: neque minus appoſite eorundem animas igni comparauit; ſiquidem & ipſe Spiritus ſanctus per Sapientem ſermones noſtros ſcintillas appellat, præſupponens interim in ipſo homine ignem latere oportere: cum omninò impoſſibile ſit illic ſcintillas erumpere, vbi ignis nullus aſſeruetur. Intellexerunt hoc veteres etiam Poetæ, qui ſicut Fulgentius refert, aiebant Promethea corpus hominis ex terra coagmentauiſſe, cumque quo illi vitam afflaret inuenire in terris non poſſet, cœlum aſcendiſſe, & ope Mineruæ Ioui ignis aliquid ſuffuratum formatum a ſe corpus animauiſſe. Adeò tam veterum Philoſophorum quam Poetarum opinionem ſecuti hominum animas ignis cœleſtis, Diui-

Cap. 14. 12.

Sap. 2. 3. Sermo. Scintilla

In Mythologijs.

ni, & hominem naturæ Diuinæ participem efficientis ſcintillas poſſumus appellare.

Cumque etiam veteres illi cœleſtium ignem Mineruæ induſtria è cœlo delatum, & hominibus infuſum comminiſcerentur, aliud indicare noluerunt quam Diuinæ ſapientiæ cuius præſes & Dea Minerua habebatur proprium fuiſſe corpus cum anima perfecta vnione copulare. Quis enim, abſque Deo fuiſſet, qui res adeo differentes ac à ſe inuicem diuerſas ſicut anima & corpus ſunt, ſociauiſſet? aut ignem cum ligno admirabili prorſus & ſtupenda ſocietate compoſuiſſet? Nunc quoniam cum Empedocle ſatis ſuperque philoſophati ſumus. mecum etiam aliquantiſper philoſophari incipite.

Si corpora noſtra ligna tantum, animæ autem rationales ignes quidam ſunt, quid aliud vitam noſtram quam continuum incendium poteſtis exiſtimare? Et ſi aliquando hominem mori conſpicientes anima emigrante corpus frigeſcere ſentiuiſtis: quid amabò aliud ceſuiſtis quam ignem illum animalem qui corpus viuificabat extinctum eſſe? Meminiſtis credo Deum animam cum corpore vnientem protoplaſto inſufflauiſſe; dicente ſcriptura: *Inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ.* Gen. 2. 7 Quod ſpiraculum non aliter quam folijs ignem corpus humanum animauit & viuificauit. Idem autem ſpiraculum ſi vel ad momentum temporis in nobis deficiat, tum verò confeſtim igne vitali extincto, corpora etiam noſtra diſſolui neceſſum eſt. Argumentabatur ad hunc modum Beatus Iob cum diceret: Sap. 34. *Si direxerit ad eum cor ſuum, ſpiritum eius & flatum ad ſe* 14. *trahet, deficiet omnis caro ſimul*, &c. Ac ſi dicat: Si Deus irritatus ſeuerius & acerbius in hominem animaduertere conſtituat, continebit tantum aliquantiſper ſpiritum ſuum quo vitam illi afflat, ſicque confeſtim caro illius ad interitum verget, & admodùm in nihilum reſoluetur. Quid agimus homines? Omnium noſtrum vita ab vnico Dei afflatu ſpiraculoque dependet: ac interim tumidi & inſolentes eum offendere ac irritare non veremur?

O miſerabilem vitam quæ à ſpiritu & flatu dependet!

O miſeros nos & infelices qui fortunas & beatitudinem noſtram in vita adeò fragili & caduca collocamus! eſt nimirum vita hæc noſtra carbonibus non abſimilis: In quos ſi ſuffles conſumentur, ſi non ſuffles extinguentur;

ſicque quo illos accenderis, eodem extinguere poteris & conſummare. Quin niſi ore ſpiritum attrahas, aerem haurias, cor refrigeres, & calorem naturalem foueas: fieri omninò non poterit, quin continuò lucis vſura priueris. At ſi eundem ſpiritum licenter emittas, & hoc modo pectus exhaurias, quid calore naturali conſumpto reliquum eſſe poteſt niſi vt è vita decedas? Maneat ergo vna eademque via mortem & vitam pariter incedere, ac Senecæ illud veriſſimum longè eſſe. *Quotidie morimur, quia quotidie demitur pars aliqua vitæ noſtræ*; ac idem omninò ignis qui nos viuificat, is etiam corpora noſtra conſumit.

Itane verò auditores? ardemus, & tamen id non ſentimus? igne conſumimur, & nihili facimus? Puluiſculus ille qui de veſtris capitibus inter pectendum decidit, quid amabò aliud eſt quam fauillæ ignis illius continuò ardentis ac conſumentis?

Quin & cera illa lutea, ſeu ſi mauis aureola quæ ex auribus veſtris defluit, nunquid aliud eſt quam cinis ſempiterni illius in vobis æſtuantis incendij? halitus autem & reſpiratio quid aliud ſunt quam fumus æternæ illius flammæ, humidum radicale indeſinenter in te depaſcentis? Et aſſentitur huic loco Sapiens cum ait: *Fumus afflatus eſt in*
Sap. 2. 3. *naribus noſtris*; id eſt, halitus & reſpiratio noſtra aliud non ſunt quam fumus ab igne illo procedens qui aſſiduè in cordibus noſtris ardet, & per narium fumibula exhalatur. Neque verò tu etiam conqueri mihi potes, quod monitus non fueris antequam domus tua naturali illo incendio abſumpta fuerit & concremata.

Nam quid tu aliud cordis tui aſſiduum illum pulſum eſſe putas, niſi ciuicam quandam conclamationem, qua excitus ad ignem illum præpropere curras? Ipſorum autem pulmonum indeſinentem motum quid omninò aliud interpretari potes, quam repetitos campanæ pulſus qua ad ignem illum euocaris? Porro ſi quod hactenus oſtendimus corpus hominis lignum, anima ignis, & vita ipſa continuum incendium eſt; quid tu mihi de immani quorundam faſtu, & Aphricana inſolentia dicturus es? Reuera vt ignis aliud quam cinerem producat ex eorum numero eſt quæ fieri non poſſunt.

Et adfert hanc eandem concluſionem Spiritus ſanctus in libro Sapientiæ dicens: *Ex nihilo nati ſumus, & poſt hæc*

erimus tanquam ſi non fuerimus, quoniam fumus afflatus eſt in naribus noſtris, & ſermo ſcintillæ ad commouendum cor noſtrum. Aut quemadmodum græcus textus habet: *Spiratio in naribus noſtris fumus, & ſermo eſt ſcintilla in motu cordis noſtri: & extinctus cinis erit corpus noſtrum.* Hoc nimirum illud eſt quod quotidiana experientia nos docet.

Hoc ſancta Mater noſtra Eccleſia hodierna die in memoriam nobis reuocat, quando vniuſcuiuſque frontem (quæ pudoris ſedes eſt) cineribus aſpergens dicit: *Memento homo quia puluis es & in puluerem reuerteris.* Et nota quod documentum illud, non vt inſolens & inauditum, ſed vt notorium ac vulgare nobis proponitur. Quotus enim quiſque noſtrum eſt auditores, qui non aliquando neceſſariorum, aut conſodalium ſuorum aliquem in ſepulchro putreſcentem, & quod veteres dicebant cinefactum conſpexerit? non eſt ergo hæc culpa intellectus, ſed memoriæ: dum videlicet certiſſimam illam infallibilemq; veritatem aſſidua recordatione nobiſmet non refricamus. Non vult ergo nos docere ſancta Mater Eccleſia ceremonia iſthac ſua, puluerem nos eſſe, cum id luce meridiana clarius ſit; conatur autem nobis excitare memoriam noſtram, & idcircò vocem *Memento* adhibet: ſubindicatura iuxta naturæ noſtræ labilem nimis memoriam & obliuioſam. Ob hanc enim plane cauſam inter cætera quibus ſcriptura ſacra hominem nominibus afficit, Enos eſt appellatus, quod præter alias ſignificationes obliuioſum interpretamur. Vnde ſicut primum protoplaſto nomen impoſitum Adam terrenum ſonat, & nos abiectæ noſtræ conditionis ac originis commonefacit: Ita ſecundum quod inditum illi fuit nomen obliuioſum ſignat, vt videlicet intelligeremus ea nos minimè & rariſſimè cogitare, quæ identidem in mente ac memoria habere oportebat. Perungit ergo nobis frontem Eccleſia cineribus, vt & quod ſumus intelligamus, & quod adeo facilè obliuiſcimur tenacius deinceps memoriæ infigamus. Ac ne etiam in hac ceremonia aliquid defuiſſe videatur, viua nos voce compellat & inquit: *Memento homo quia puluis es & in puluerem reuerteris.* Memento principij ac finis tui vt progreſſus à duobus extremis non diſſentiat: Eſto humilis in vita, quia eius & finis & principium humiliora eſſe non poſſunt. *Memento homo quia puluis es.* Quæ verba quantum reconditæ in ſe doctri-

Tria Superbiæ capita, & fontes. Quæ habeant & quam potenter ad humilitatem nos incitare valeant, ex ijs quæ dicemus facilè elucebit. Cum enim tria omninò ſint propter quæ homines inflari ſolent ac ſuperbire, habet ſimiliter hæc ſententia tres voces quæ quantumlibet inſolentem animum humiliare & ad ſanctam & Chriſtiano homine dignam modeſtiam poſſint inflammare. Ac prima quidem ſuperbiæ ſcaturigo eſt ortus ſui & natiuitatis meminiſſe. Fieri enim admodum raro ſolet vt qui ſummo loco natus eſt, is modeſtum ſapiat & humilem præſeferat. *Ioan. 8.* Laborabant hoc vitio Iudæi quando ſe ab Abrahamo oriundos pueriliter iactabant. Secunda ſuperbiæ cauſa eſt, locum ac dignitatem in qua conſtitutus es ſpectare: Ita namque plerique mortalium afficiuntur, vt tametſi probè intelligant humili ſe loco natos eſſe, nihilominus mirabiliter inflentur quando aliquam ſe ſibi inter homines exiſtimationem peperiſſe animaduertunt. Iſtud videlicet & Ciceroni animum adijciebat, qui cum à generis ſplendore ſe laudari non poſſe agnoſceret, mirabili cum audacia dicebat: *Ego maioribus meis mea virtute praluxi, vt ſi prius noti non fuerint, à me habeant initium memoria ſua.* Dubitari adhæc non poteſt quin excelſos admodum ſpiritus ille gerat, qui intra breue temporis ſpacium dignitatem aut fortunas aliquas ſpe fuerit complexus. Verum videamus iam nunc vtrum tria iſthæc in homine reperiantur facilè vt omninò inde ſuperbire poſſe debeat exiſtimari. Certè ſi generis nobilitatem ſpectas eam in protoplaſto non inuenis, qui ex luto vel ad cæmentum faciendum inutili fuit efformatus. Et teſtatur hoc ipſum nomen illius quod terrenum ſonat; & quoniam ex quattuor literis componitur, quæ quatuor mundi partium primas & capitales literas (*Anatole, Dyſis, Arctos, Meſembria*, id eſt, *Oriens, Occidens, Septentrio, Meridies*) conſtituunt: Ideò nonnulli Doctores Deum ex quatuor orbis angulis in formam crucis accepta terra hominem creauiſſe exiſtimant. Quod vt ſit, ipſe homo facilè intelligit ſe de terra ſumptum & infinitis malorū ac ęrumnarum crucibus ſubiacere: ſicque à genere & origine nihil magnoperè habet vnde inflari poſſit & ſuperbire. Bene itaque Eccleſia hoc illi in memoriam reuocare volens ait. *Memento homo.* At nec ſecundum ſuperbiendi caput præſens videlicet dignitas ac ſplendor in homine locum habet, ſequitur enim *quia puluis es;*

uis es; ac ſi dicat. Filioli mei non tantum generis veſtri vilitas & humilitas intra modeſtiæ terminos continere vos debet, ſed ipſe etiam præſentium rerum ſtatus: Cum omninò aliud nihil ſitis quam puluis & cinis. Id autem quoniam aliquanto obſcurius eſt, ſimilitudine manifeſtius euadet. Vidiſtis vos credo ſæpè ſub crepuſculum matutinum in ſummis montibus exoriente ſole ac illius vibrantibus radijs percuſſas nubeculas mirabiliter collucere & oculis ſpectantium lenocinari: cum nihilominus eædem illæ nubes depulſo ſole à quo irradiantur, pice nigriores ſint & obſcuriores. Ita ſicut tu hominem vita adhuc præditum, à Deo viuificatum, & , ab informante anima bellè exornatum facilè miraberis: ita eundem ſi anima priuaueris, puluerem eſſe & fuiſſe deprædhendes: Quemadmodum argillacea imago aliqua etſi colore illita ſit, argillacea nihilominus eſt. Maneat ergo nihil hominem etiam dum viuit in ſe habere vnde magnoperè extolli poſſit ac inflari: Potius autem vberrimam modeſtiæ ac humilitatis cauſam illi relinqui. Deus enim mentiri non poteſt, qui ad protoplaſtum noſtrum dixit, *puluis es*; Et Eccleſia idipſum vobis inſinuat, quando vniuſcuiuſque veſtrum frontem cineribus perſpergit. Porrò ſi etiam præter hæc viuum aliquod exemplum deſideratis, proponite vobis ob oculos Patriarcham Abraham, qui cum Deo chariſſimus eſſet, & nihilominus Diuinam Maieſtatem compellare vellet, ab humillima infirmitatis ſuæ confeſſione orationem ſuam ita exorſus fuit: *Loquar ad Dominum meum cum ſim puluis & cinis*. O inſinuationem ad Dei beneuolentiam capiendam apprimè accommodatam! ſiquidem ipſe Deus ad compaſſionem ſemet excitaturus vtilitatem noſtram intuitus fuit dicente Pſalmiſta Dauid: *Recordatus eſt quoniam puluis ſumus*: Et Iob qui Deum ad miſericordiam commoturus clamabat: *Memento quæſo quòd ſicut lutum feceris me, & in puluerem reduces me*; Ac ſi dicat. Si videas ô Deus ærumnas me meas perferre non poſſe, & ſub laborum faſce deficere: Memento quæſo quod ex luto me formaueris, & quod mirabile non ſit ſi teſtaceum vaſculum rumpatur & confringatur. Agnoſcamus ergo & nos auditores quod Patriarcha Abraham, quod Iuſtus Iob, & quod Rex Dauid agnouerunt, videlicet puluerem nos eſſe, & nec de præteritis nec de præſentibus gloriari quicquam poſſe.

[Margin: Gen. 18. 27. — Pſ. 102. 14. — Cap. 10.]

Quin

Quin ne etiam futura animos ac ſpiritus addere nobis poſſint, pergit Eccleſia dicens: *Et in puluerem reuerteris*. Nihil enim in vniuerſo mundo ita naturæ affine & vſitatum eſt, quam videre quomodo quælibet res ad ſuum principium reuertatur. Nos ergo cum de terra formati ſimus, in terram etiam neceſſario reuertemur; Quemadmodum id Iob confitetur dicens. *Nudus egreſſus ſum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc*. Eidem neceſſitati & naturæ legi flumina etiam ſubiacent. De quibus ſanctus Spiritus ait: *Ad locum vnde exeunt flumina reuertuntur*. Idem ſoli accidit de quo dicitur: *Oritur Sol & occidit, & ad locum ſuum reuertitur*. Maneat ergo è puluere factos nos eſſe. Maneat puluerem nos eſſe, & in puluerem reuerſuros. Maneat nec propter ea quæ fuimus, nec propter ea quæ ſumus, nec propter ea quæ futuri erimus inflari nos poſſe. Deus enim non ideo argillam excitauit vt contra illum ſe extolleret, ſed vt humi remaneret, & pedibus vniuſcuiuſque protereretur. Docet ergo nos ſancta Mater Eccleſia ceremonia iſthac ſua quemadmodum noſtram infirmitatem agnoſcere & humilitati deinceps ſtudere debeamus: quæ ſpiritualis ædificij fundamentum eſt, in quo quiſquis non ædificat, is in arena domum extruit, & aliud quam ædificij ſui ruinam expectare non poteſt. Vnde pulchrè S. Auguſtinus nobis conſulit dicens: *Si vis magnam fabricam conſtruere, de fundamento prius cogita humilitatis*. Qui enim boni architecti ſunt, ij quo altius domum educere cogitant, hoc profundius fundamentum iacere conſueuerunt. Et proceriſſimæ quæque arbores tanto profundius radicibus terræ inhærent, quanto altius ramis illam ſupereminent. Ita ergo Chriſtianus mihi quiſpiam, qui toto quadrageſimæ decurſu in virtutibus ſe exercere vult, ab humilitate incipiet, cogitans puluerem ſe eſſe, & in puluerem reuerſurum iri. Verum hæc pro prima concionis meæ parte ſufficiant: Nunc ad alteram age tranſeamus.

Sermonis 10. de verbis Dom.

Conuertimini ad me in toto corde veſtro; clamat per ſcripturam ſanctam Deus. Vbi in primis mirabilem primæ & ſecundæ concionis noſtræ partium affinitatem, ac pulcherrimum deinde artificium quo ſancta Mater Eccleſia eas conciliat attentius paulò conſideremus, ac ante obſeruemus etſi naturale nobis ſit puluerem cineremque eſſe, illudque etiam per ſe conſtet hanc miſeriam homini etſi

non

non peccauiſſet eſſe adhæſuram, tamen neceſſitas illa in puluerem ac cinerem redeundi non niſi peccato adſcribenda eſt: Sine quo ſi fuiſſet, homo nunquam morti aut corruptioni ſubiacuiſſet. Hac autem veritate ita præſuppoſita, ſecundum Angelici, & plurimorum Doctorum ſententiam, peccare nihil aliud eſt quam faciem creaturis, & humeros Creatori obuertere. Vbi conſiderate quemadmodum Adam in ſtatu gratiæ adhuc conſtitutus, oculos ſuos aſſiduè in Deo defixerit; & indeſinenter illum contemplatus fuerit. Cum ecce tibi Deus è veſtigio illi præcipit dicens: *De ligno ſcientiæ boni & mali ne comedas, in quacunque enim hora comederis, morte morieris.* Audiuit hæc Sathan & illi à tergo in aures inſuſurrauit; *Comede, nequaquam enim morieris.* Ita ergo Adam Sophiſtæ verbis credens faciem ſuam maligno ſpiritui, dorſum autem per Diuinæ legis contemptum Deo creatori obuertit. Et faciunt omninò idem quotquot homines ſunt, quando videlicet creatorem ſuum aduerſati ad creaturas adulteri cõuertuntur. In huius autem inobedientiæ mulctam hanc pœnam, mortis neceſſitati ſubiacemus, & id continuo expectamus, aliquando vt in puluerem conuertamur. Neque enim Deus Adamo antequam peccauiſſet dixit: *Puluis es & in puluerem reuerteris.* Quo etiam elegantius Eccleſiæ artificium eſt quæ cum cineribus vnumquemque perſpergens illud nobis in memoriam reuocaſſet, in puluerem videlicet nos reuerſuros: Eidem malo remedium adhibitura, ſub perſona Dei nos alloquitur dicens: *Conuertimini in toto corde veſtro*; ac ſi dicat. Poſtquam ipſimet perniciem vobis machinati eſtis, & in puluerem ac cinerem redeundi neceſſitati ſubiacetis, quia videlicet dorſum mihi obuertiſtis: Omittite quæſo iam nunc inciuilitatem iſtam, illudque vobis perſuadete quod quemadmodum obuerſio hæc omnium malorum cauſa vobis extitit, ita è contra ad me conuerſio omnium bonorum fons, & origo erit.

1. Par. 8. 3. 73. ar. et 16. ad 1.

Gen. 2.

Eccl. 2.

At obſeruate, quod conuerſio iſta in toto corde veſtro fieri debet. Nolo ego altero vt oculo me, altero Diabolum, carnem, aut mundum intueamini; volo autem vt directè me aſpiciatis. Non patior ego quenquam cordium veſtrorum partem ſibi aliquam vendicare: Quemadmodum enim ego illa ſolus & totaliter acquiſiui, ita nonniſi mihi, & integrè illa volo repræſentari. Quæ ego audito-

ſia cum nos cinerem tantum ac puluerem eſſe oſtendiſſet, ad lachrymas etiam nos inuitat. Quid enim amabo in vniuerſo mundo cinere, ſolum ſi eum ſumas, vilius aut inutilius potes reperire? Certè nemini inſeruit, aut nulli rei vſui eſt. Eundem autem ſi cum aqua coniunxeris, lixiuiam inde efficies, qua quaslibet ſordes eluere ac pannos poſſis lauare. Et recordamini mihi hoc loco aſperſionis illius cum cinere factæ quæ in lege antiqua obtinebat, & cuius Apoſtolus Paulus ad patriotas ſuos ſcribens commeminit. Verum ad eleuandas maculas irregularitatis, non ſufficiebat aſperſio cinerum, niſi etiam expiationis aqua acceſſiſſet. Ita cum Eccleſia cineribus perſperſura nos eſſet, ante aqua luſtrali eos irrigauit: volens videlicet nos docere, ſi perfectè lauari velimus, cineres cum aqua adhibendos eſſe. Quis namque inter nos eſt, qui gloriari poſſit abſque peccati macula ſpiritum ſe ducere? *Nemo mundus, à ſorde,* inquit Sanctorum quiſpiam, *neque infans cuius eſt vnius diei vita ſuper terram.* Omnes ergo nos lauari neceſſe eſt, quo mundi coram ipſa munditia Deo illa in Ciuitate appareamus, in quam nihil inquinatum poteſt intrare. Quiſquis ergo Chriſtianorum ſe lauare deſiderat, hic Cineres ſecum habeat, quia præter cinerem nihil eſt. Quærat itaque mihi lachrymarum aquam, & cognitioni propriæ vilitatis planctus & gemitus ab imò corde hauſtos coniungat: ſicque cognoſcens quemadmodum cum cinis tantum ſit, Deum tamen ſuum offenderit, artificioſiſſimam lixiuiam faciet, qua lotus niuem candore ſuperabit. Teſtatur hoc Propheta Dauid qui artem hanc optimè callens inquit: *Cinerem tanquam panem manducabam, & potum meum cum fletu miſcebam.* Adeo cum cognitionem illam qua cinerem ſe eſſe intelligebat velut panem haberet, & lachrymas ceu aquam adhiberet: duo iſthæc confundens acerrimam lixiuiam efficiebat, per quam ab omnibus peccatorum ſordibus purgabatur. Imitemur nos hunc Chriſtiani mei, & implebimus mandatum illud quod Deus in Epiſtola nobis cantata imponit: quodque Eccleſia primo quadrageſimæ die nobis ſuggerit; quo videlicet ab omnibus peccatis mundi ac repurgati acceptum Deo ſacrificium offerri valeamus. Nunc quoniam aliquanto prolixiores in ſecunda hac concionis parte fuimus, ad tertiam tranſeamus. *Cum ieiunatis nolite fieri ſicut hypocritæ.* Quibus verbis Ser-

Nu. 19. *Heb. 9.* *Iob 25. 4.* *Apoc. 21* *Pſ. 101.*

probos illa ac ſapientes inter differentia; quam Salomon nobis aſſignat dicens: *Oculis ſapientis in capite, ſtultus autem in tenebris ambulat*. Vbi tu nequaquam Salomonem de naturalibus, ſed potius de immaterialibus oculis loqui exiſtima: ſiquidem æquè ſtultus ac Sapiens oculos in capite circunfert. Intellige itaque mihi per oculos intentionem cum qua homo operatur: Quemadmodum etiam Seruatorem IESVM per caput intelligit, quià S. Paulo Eccleſiæ caput nominatur. Cum proinde ſapiens ait ſapientem oculos in capite habere, ſignificat iuſtos, verè tantùm ſapientes continuò Dominum intueri, nec aliquid niſi ad illius honorem, & gloriam machinari. Stultus autem idcirco in tenebris ambulat, quia maior cæcitas non eſt quam hominibus placere velle, & bona ſua opera non ad determinatum aliquem finem dirigere. Quiſquis enim hoc modo agit, is laboris ſui fructum amittit, *Acceperunt mercedem ſuam*, inquit Seruator noſter in Euangelio; ac ſi dicat. Vnicum hoc ſtuduerunt vt mundo placerent: Et quoniam id præclarè conſecuti ſunt, aliam mercedem expectare non debent. Itane verò? Poteſtne ſtultitia aliqua maior reperiri, quam hominem quempiam ieiunare, plorare, corpus, & animam macerare, ac nihilominus bonorum operum fructus amittere: cælum cum terra, & gloriam æternam cum caduca & momentanea commutando? In hanc ergo miſeriam ne ſimiliter nos prolabamur, in præſentiarum, & priuſquam templo egrediamur omnia noſtra bona opera quæ per totius Quadrageſimæ decurſum facturi ſumus, Deo offeramus, illi tantum placere velle conſtituamus, & quotidie ſanctum hoc noſtrum propoſitum renouemus. Quod ſi etiam aduerſarius Diabolus vanæ alicuius glorioſæ ſpem nobis obijciat, nos continuò quemadmodum puluis ſimus cogitemus, ſicque omnem laudis humanæ ventum declinantes, ad Deum conuertamur, quodque illum offenderimus plorare incipiamus. Ita namque humilitatis cineribus cum pœnitentiæ lachrymis confuſis lixiuiam efficiemus, qua omnes peccatorum maculas eleuamus, ſicque puri & mundati coram Deo apparere valebimus, *quod mihi & vobis præſtare, &c.*

CON-

CONCIO SECVNDA PRO FERIA QVINTA QVINQVAGESIMAE.

Cum introiſſet I E S V S *Capharnaum, acceſſit.* Matt. 8.

INTER omnia ea quibus magni, & excelſi animi viri ad bene, & fortiter agendum ſolent excitari, nihil eos perinde commouet atque inflammat, quemadmodum virorum Illuſtrium, & laudatorum geſta ac exempla. Vt enim inuidi, & abiecti quique animi homines cum egregia aliorum facinora percenſeri audiunt, turbantur ac inuidia conſumuntur: Ita è contra ad magna, & Heroica natus animus ad paria faciendum inflammatur, dum aliorum præclarè facta audit & admiratur. Oſtenderunt hoc nobis Themiſtocles, & Alexander Magnus: quorum hunc Achillis laus, illum Miltiadis trophæa & victoriæ è ſomno excitabant: Adeò vt ſibijpſis ſatisfacere non poſſent, aliquam niſi rationem Illuſtrium illorum virorum decus, ac ſplendorem imitandi excogitarent. Quin & Iulius Cæſar nunquam eam laudem conſecutus fuiſſet, niſi eum Alexandri Magni illuſtria facinora irritauiſſent. Hinc Lacedæmonij, & poſtea etiam Romani, cum feſta, ac conuiuia celebrarent, iuuentuti Heroica maiorum geſta, cum eorundem magnificis ac liberalibus præmijs, præcinere conſueuerant, vt ita mercedis deſiderio ad bene, & fortiter faciendum excitarentur. Verum quid ego ad externa iſthæc abeo, quaſi non ipſa ſcriptura ſacra liquidò, ac manifeſtè etiam idipſum demonſtret? Cui enim bono tot ſanctorum hominum in Biblijs decantatorum geſta, & exempla ſunt, niſi vt nos ad ea imitandum incitemur, ac inflammemur? Plane enim vnicuique illorum id nobis inſcriptum eſſe perſuadebimus, quod Deus ad Moyſen dicebat, cum illi modum, & formam tabernaculi exędificandi demonſtraret: *Inſpice,* inquit ille, *& fac ſecundum exemplar,* quod

Exemplorum vis.

Val. Maxi. lib. 5. c. 3.

Plu. li. 1. Apoph. Plut.

Exo. 25.

quod tibi in monte demonſtratum eſt : Ita D Paulus Hebræos ad fidei exercitium exhortaturus, maiores illis ſuos repræſentat, qui hac duce, & auſpice mirabilia ſæpe fecerunt, & patrauerunt: *Vicerunt Regna, operati ſunt iuſtitiam, obturarunt ora leonum*, inquit ille capite vndecimo, & decimotertio idem argumentum pertractans. *Mementote præpoſitorum veſtrorum qui vobis locuti ſunt verbum Dei*, ac ſi dicat. Quo facilius omnes difficultates quæ in hoc negotio forſitan vobis occurrent deuoretis, cogitate mihi maiores veſtros, qui verbum Dei vos docuerunt; & oculos veſtros non tam in eorum labores, quam in laborum mercedem, & recompenſationem conijcite, *quorum intuentes exitum, conuerſationis imitamini fidem*. Et bene omninò Apoſtolus inquit; vt enim & virtutem amplectaris & peccatum deteſteris, non faciem, ſed humeros, ac dorſum eorum inſpicias oportet. Cum enim virtus in difficillibus tantum deſudet, ac occupetur, ideò ſi eam in facie intuearis, aſperam & ingratam poſſis exiſtimare; quemadmodum etiam vitium, quod non niſi delicias, ac voluptates conſectatur, obiter tantum, & prima fronte inſpectum mirabilem ſuauitatem, & dulcedinem præſefert. Hinc qui exteriorem tantum formam, ac ſpeciem intuebitur, is difficulter admodum virtutem conſectabitur, & vitium è contra non amplectetur. Eorundem autem vim ac naturam retrò, & à tergo intuenti, ac ſimul vtriuſque finem, & exitum conſideranti (quemadmodum Hercules in biuio conſtitutus faciebat) mihi crede impoſſibile videbitur virtutem continuo non amplecti, & à peccato diſcedere, cum pariter intelligat iſtius portum vitam æternam, huius autem brauium ſupplicia ſempiterna eſſe. Atque hoc reuera illud eſt, quod nobis S. Paulus inſinuat, quando nos ad maiorum noſtrorum fidem imitandam exhortaturus oculos conſiderationis in vitæ illorum exitum conijciendos eſſe monet; cogitandumque ſimul quemadmodum eos labores, ac ærumnæ ad ſempiternam vitam perduxerint. Intelligens idipſum S. Mater noſtra Eccleſia, quantum videlicet Illuſtrium virorum exempla ad ſui imitationem nos ſoleant excitare, hodierna die ad exercitium virtutum Chriſtiano homine digniſſimum nos inflammatura, Ethnici capitanei, ſeu centurionis exemplum

Heb. 11 & 13.

nobis proponit; vt ſicut is Heroicis ſuis actionibus ipſum Seruatorem noſtrum in ſtuporem dedit, ita nos oculos noſtros in Ideam iſtiuſmodi defigentes, laudatiſſimum hunc ducem ſequi, & ſub illius ſignis atque auſpicijs certare conſtituamus. In primis itaque Eccleſiæ hoc conſilium, inſpicientes, illud Propheticum in memoriam nobis reuocabimus: *Reſpicite ad petram vnde exciſi eſtis, & ad cauernam maceriæ vnde præciſi eſtis.* Conſiderate quales maiores veſtri fuerint, & quam admirabiles ſeſe præſtiterint. Erubeſcite inquam tanto genere indigni, ac degeneres, qui veſtrorum maiorum, ac fidei veſtræ authorum virtutem imitari non allaboratis. Nunc quoniam hodierni Euangelij ſenſum, & inſtitutum ſatis vt opinor cognouimus, ipſum textum, & hiſtoriæ ſacræ ſeriem aggrediamur. *Cum intraſſet, &c. acceſſit ad eum centurio.* Acceſſit inquam fide duce, & præeunte: Abſque hac namque homo, vt aliquis Deum accedat fieri non poteſt, dicente Apoſtolo: *Accedentem ad Deum credere oportet quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator eſt.* Duo enim admodum ſunt, quæ vt Deum quæramus, & inueſtigemus mirabiliter nos impellunt atque inflammant. Alterum eſt credere, quod Deus verè ac realiter, & non ſecundum hominum doctrinam, ac opinionem exiſtat, nam quis omnino adeò emotæ mẽtis erit, eum vt pertinaciter quærere velit, quem vtrum reperturus ſit neſciat, & vtrum exiſtat ignoret? ſecundum eſt firmiter conſtituere, eos qui Deum quæſiuerint, multo quam prolixiſſimè eſſe recompenſandos. Cum enim ita pleraque mortalium habeantur, omnia vt vtilitate & lucro metiantur; Quis omnino Deum perſe, qui & inueſtigare vellet, ante niſi intelligeret, gratis, id ſe nequaquam facturum eſſe? Non immeritò itaque nec abſque cauſa S. Paulus inquit. Fidem neceſſariam eſſe ei, qui Deum accedere cogitat, & ad inſtar primi paſſus ſe habere quem Deum adituros facere oportet. Et eſt omninò hæc cauſa præcipua inter eas, propter quas fides reliquarum virtutum fundamentum appellatur. Vt enim fundamentum primum eſt, quod in domo exſtruitur, & in quo poſtea reliqua moles conquieſcit; Ita in ædificio ſpiritali, primus lapis. Fides eſt, de qua Apoſtolus dicit, quod ſit *ſperandarum ſubſtantia rerum*, quemadmodum videlicet, ſubſtantia eſt

Eſa. 52. 2.

Fidei neceſſitas.

Heb. 11.

Fides fundamentũ.

Heb. 11.

eſt fundamentum accidentium. Nec immeritò: ab hac enim ſpes proficiſcitur, quippè cum Fides quam Dei promiſſionibus adhibemus, illud in nobis efficiat, præmium vt etiam, & mercedem nobis promittamus, ſi in Diuino ſeruitio perſeueremus. Ex hac Fide promanat Charitas: Dum enim Deum infinitè bonum eſſe credis, quid tu amabò aliud facere potes, quam eum diligere,& ſuper omnia amare? Ex hoc fonte timor etiam profluit. Dum enim credis Deum Omnipotentem, ac ipſam iuſtitiam eſſe, facere aliud non potes, quam eum reuereri,& ne aliquando illum offendas, formidare. Iam quemadmodum Fides reliquarum Virtutum fundamentum eſt,ita eadem primum animæ ornamentum eſt,ſine quo ſecundum D.Paulum impoſſibile eſt placere Deo. Hinc ſub initium ſtatim Canticor.Sponſus ſponſæ aliud non promittit quam murenulas aureas, & vermiculatas argento. Dixerat illa ante, *Nigra ſum ſicut Tabernacula Cedar*,quia videlicet Sol Idololatriæ faciem illius vſtulauerat; dum videlicet propriæ vineæ oblita, alienam curaret; id eſt, dum verum Deum auerſata Idolis inſeruiret. Hinc ergo Sponſus ei reſpondet, *murenulas aureas faciemus tibi, Vermiculatas argento*, ac ſi dicat. Noli idcirco contriſtari dilecta mea,ego enim huic malo prouidebo. Dabo tibi videlicet murenulas aureas,argento vermiculatas,eas tu ex auribus ſuſpendes, quo amplius oculis meis allubeſcas, & omnis turpitudo à te depellatur. *Fides*,inquit S.Paul.*ex auditu eſt, Auditus autem per Verbum Dei*. Hinc dum Sponſæ dicitur, *Rom.10* eam murenulis aureis, auribus appendentis ornatam iri, nihil aliud quam Fides appromittitur: &, dum dicitur aureas eas futuras, & argento vermiculatas,oſtenditur fidem à charitate, quæ auro ſignificatur, & mediante verbo Dei, quod *eſt argentum igne examinatum*, debere *Pſal. 10* informari. Denique dum ei hoc ornamentum præ reliquis promittitur, illud quod in principio dicebam,ſignificatur, fidem videlicet primum animæ ornamentum eſſe, Dei vt oculis grata efficiatur. Hæc ergo fides illa eſt, qua duce, & auſpice Centurio iſte Seruatorem noſtrum adiuit, &,ſanitatem ab eo efflagitauit. Et miramur ſi quod petijt, impetrauit? illud nos potiùs hoc loco obſeruemus, quemadmodum fides prima eſſe debet, reliquæ vt

Cap.1.

virtutes Deo gratæ ſint: ita eiuſdem fidei exercitium reliquarum virtutum actiones debere præcedere, quo videlicet eo modo plus meriti acquirant. Et quamuis articulus iſte plus omnibus neceſſarius ſit, attamen vix vllum reperias, æquè qui inter Chriſtianos obſoleuerit, & corruptus ſit: Ego ſanè perſuaſiſſimum mihi habeo, vnam hanc tanti teporis, & oſcitantiæ inter Chriſtianos cauſam eſſe.

Cant. 2. 9. *Similis eſt dilectus meus capreæ, Hinnuloque ceruorum ſuper montes Bethel.* Ad hunc locum Origines bene, & ſubtiliter admodum obſeruauit, Sponſam non abſque cauſa dilectum ſuum, primum Capreæ, ac deinde Ceruo comparare; tametſi Ceruus animal, quam Caprea longe perfectius ſit Caprea tamen acutiſſimi viſus eſt, & in inteſtinis humorem quendam admirabilem, ac oculorum defectibus apprimè conducentem, circumfert: adeo vt non ipſa tantum viſu acri, & bono polleat, ſed eundem alijs etiam conferat, ac impertiatur. Hinc fidem nobis repræſentat, cuius ea acies eſt, vt inuiſibilia etiam penetret, ac transcurrat Ceruus autem qui continuò cum virulentis beſtijs luctatur, & locis ſublimibus delectatur opera bona nobis repræſentat, per quæ vitia oppugnamus, quæ animam inficiunt, & ad culmen perfectionis aſpiramus, quæ nobis per Montes Betel ſignificatur. Porrò cum duo etiam ſint, ait Origenes ad ſalutem magnopere nobis neceſſaria, videlicet Cognitio quam Fides nobis ingenerat, & Perfectio operum: Hinc etiam non omninò malè, Sponſus ante Capreæ, quam Ceruo comparatur, quo videlicet intelligamus Fidem opera præcedere oportere. Quod ſi etiam hoc loco quæras, quomodo Fidei exercitium opera præcedat, & comitetur, Dico nihil aliud illud eſſe, quam per conſiderationem eius, quod credimus, opus quod facturi ſumus præuenire. Id exemplo manifeſtiùs euadet, ne videlicet tanti momenti doctrina, quia malè intellecta fuit, perijſſe videatur. Ecce pauperem, Ecce mendicum Eleemoſynam à te petentem. Hic tu ſi conſideres, quemadmodum fides te docet, Chriſtum ſub perſona mendici ſtipem à te efflagitare, & ſi hac conſideratione inſtituta propter Dei amorem aliquid ei elargiaris, nō aliter quam ſi ipſi Seruatori tuo, id in manus porrigeres: tunc videlicet Fides Eleemoſynam præcedit, & comitatur. Rurſus

Hom. 1. expoſ. 2. in Cant.

Cerui proprietates.

In loco citato.

Fides opera debet præcedere.

ſus ſi Eccleſiam ingrediens, domum Dei illam eſſe cogites, diuināque Maieſtatem realiter Altaris Sacramento aſſiſtere conſideres, ſicque hac conſideratione inſtructus, templum ingrediaris, non vt in hoſpitium aliquod, ſed velut in templum Dei, honorem illi pariter, & reuerētiam adhibendo: tum verò Fides actum Religionis, quem Templum ingrediens exerces, præcedit, & comitatur. Et eſt omninò hæc Fides illa cui S. Paulus, ad Hebr. ſcribens, & Seruator etiam noſter adeo admiranda, & ſtupenda effecta attribuit, dum ait: *Si habueritis Fidem ſicut granum ſinapis, dicetis monti huic tranſi hinc illuc, & tranſibit.* Ita ne verò? Cum Fides adeò illuſtris, & excellens virtus ſit, quid tu cauſæ eſſe opinaris, cur Seruatori noſtro, Grano ſinapi eam placuerit comparare? Reſpondet D. Ambroſius, maximam inter Fidem & Granum ſinapis ſimilitudinem eſſe, præcipuè propter vim & efficaciam, quam adeò exiguum granum in ſe continet. Hoc ſi integrum ſit vim illius cognoſcere non potes, ſi autem ori illud impoſueris, & dentibus maſticare, tum verò confeſtim cerebrum tibi inuadit, caput occupat, lachrymas elicit, ſternutare te facit, totumque adeò corpus concutit Idem Fidei accidit, quæ, niſi per conſiderationem à te conteratur, & maſticetur non plus in te operatur, quam ſi eam non haberes, tametſi continuò ad bonum vergat atque propendeat. Simulac autem animæ palato illam obtuleris, & quod ab ea doceris accuratè conſideraris, tum tibi verò illa caput confeſtim inuadet, cogitationes verſus caput tuum, qui Redemptor noſter eſt, eleuabit: tunc deuotionis lachrymas excutiet, cum quid Seruator tuus pro te ſuſtinuerit, recogitabis: tunc lachrymis contritionis te proluet, quando quoties cum offenderis cum pœnitentiæ remorſu conſiderabis: tunc vniuerſum corpus tibi ſuccutiet, quando Maieſtatem Iudicis quem offendiſti perpendes, & timorem pœnarum te præſtolantium cum animo tuo cogitabis: tunc denique ſexcenta alia effecta in te operabitur, quæ idcirco tu non ſentis, quia granum ſinapis iſtud dentibus non ſubigis, nec commolis. Vis Chriſtiane homo intra breue temporis ſpatium mirabiliter proficere: Fidem exerce. Vis innume a tibi merita conquirere? Fidem exerce: nec cum friuolis nonnullis,

Cap. 1.

Mat. 17.

Granū ſinapi ſi dei ſymbolum.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

In Dialogo cõtra Luciferũ. ac imprudentibus mihi dic, Fidem habeo tantam, quantam S. Petrus. Sed confitere mihi potiùs, idem quod S. Hieronymus refert, de ſua Fide Sermonem inſtituens. Nolem ego, inquit S. ille Doctor, & Eccleſiæ columen, cum aliquid à Deo efflagito idem mihi reſponderi, quod Centurioni huic dictum fuit, fiat tibi ſicut credidiſti. Si enim ſecundum Fidem meam fiat mihi peribo: Et certe credo in Deum Patrem, in Deum Filium, & in Deum Spiritum ſanctum. Etſi enim tres perſonas in Trinitate credam, quid illud mihi magnoperè proderit, ſi Diabolus tantum loliginis ſuperſeminat, Fides vt opprimatur, & bonum ſemen ſuffocetur? Si veram fidem haberem qualem Seruator noſter hic requirit, cum ad Orationem acceſſero conſiderarem Dei oculis me expoſitum eſſe, & hunc me iudicem habere. Hæc conſideratio illud in me efficeret aliquanto vt attentius animum ad ea referrem, quæ dico, vt maiore cum dolore, & reuerentia peccata mea deplorarem, vt ad Dei pedes me abijcerem, nec ab ijs ante recederem, donec omnium delictorum venia impetrata cum Magdalena audirem, *Vade in pace, Fides tua te*
Luc. 7. *ſaluam fecit*. Sed proh dolor, ait S. Hieronymus, cum Orationi vaco, inutilibus ſæpè, vanis, & nonnunquam etiam perniciosis occupationibus diſtineor. Reuera non maiore cum cura, quam ſi in eum non crederem, cum quo loquor. Cui ergo bono Fides illa eſt, ita ſi eam habeo ac ſi illam non haberem? Totus hic diſcurſus D. Hieronymi eſt, Auditores, qui clarè ac euidenter nobis demonſtrat diſtractiones, & defectus Reuerentiæ, in oratione, à Fidei defectu promanare. Nihil itaque mirari vos oportet, ſi omnem teporem, oſcitantiam, & ſocordiam in Sacris Chriſtianorum hinc procedere dico, quod fidem non excolunt ac exercent, quodque ea illorum opera non anteit & comitatur. Obſecro itaque vos per amorem Dei viuificate opera veſtra per fidem, exercete illam Sancto iſto Quadrageſimali tempore, imitamini inquam Centurionem, cuius fides Seruatori noſtro adeò grata fuit, vt propter eam nihil ipſi denegarit, eius petitioni ſatisfecerit, & illam omnium Iſraelitarum fidei præpoſuerit.

Nolite autem exiſtimare huius Centurionis fidem alijs virtu-

virtutibus fuiſſe deſtitutam: vt enim Fides ordinare alias
virtutes ad ſe trahit ac pellicit. Ita Centurio iſte, ſi quis
alius, bene ab ijs inſtructus fuiſſe exiſtimandus eſt. Eluce-
bat autem præcipuè in eo Charitas, abſque qua ſi fuiſſet,
nunquam equidem ſcio dixiſſet: *Domine puer meus iacet in*
domo. Iubet videlicet præceptum charitatis proximum ſi-
cut ſeipſum diligere & ſi, ſecundum D.Gregorium *proba-* *Hom.*
tio dilectionis eſt exhibitio operis, quod amabò luculentius *30. in*
ac euidentius charitatis ſignum Centurio noſter edere po- *Euang.*
tuit, quam ediderit? Primo enim ſeruum ſuum morbo
affectum non in Noſocomio habet, ſicut multi, ſed in pro-
pria ſua domo. Exigit namque hoc ratio & æquitas ipſa Chari-
poſtulat illic vt homo benè habeatur & curetur, vbi mor- tas erga
bum contraxit, & illic ſubſidia opemque inueniat, vbi va- ſeruos.
letudinis ſuæ iacturam fecit. Narrat Plinius Athenienſes cū
delubrum quoddam exædificauiſſent, opere iam abſoluto *Lib.8.c.*
equos quorum opera in templi extructione vſi fuerant, 44.
effætos iam tum & labore confectos, emeritos eſſe voluiſ-
ſe. Cum autem eorum quiſpiam propter Heri rem fami-
liarem minus amplam ac opulentam laboribus ſolitis
fungeretur, præceptam fuit vt is publico ſumptu in otio
deinceps ſuſtentaretur, adeò videlicet indecorum eſſe ar-
bitrabantur, eum mercede ſua non affici, publico qui bo-
no aliquando inſeruiuiſſet.

Simile eſt quod de ijſdem Athenienſibus Plutarchus
commemorat, eos videlicet canem quendam qui neſcio
quam operam in templo nauauerat, publico ære ali & ab
ipſis flaminibus ſeu ſacerdotibus curari voluiſſe. Quod ſi
Ethnici adeò diligentes in beſtijs etiam remunerandis ex-
titerunt quomodo Chriſtiani licere ſibi exiſtimant, ſeruos
ſuos cū morbo aliquo conflictantes è domo propellere, &
operæ quam ſani ſibi locauerunt nō reminiſci? Audite me
D. Pauli ad Timotheum ſcribentis de iſtiuſmodi ingra- *6. Tim.*
tis iudicium. *Si quis ſuorum maximè domeſticorum curam* *5.*
non habet, fidem negauit, & eſt infideli deterior: ſiquidem in-
fideles naturam tantum aurigantem ſecuti, beſtias etiam à
quibus neſcio quid aliquando emolumenti acceperant,
remunerati ſunt, ac illas amplius cum ſibi vſui eſſe non
poſſent, aluerunt, prout in Athenienſibus liquet: & Chri-
ſtiani non modo lumine naturæ, ſed Fidei etiam luce in-

ſtructi,id hominibus facere recuſant, quod illi beſtijs aliquando præſtiterunt? An non eſt hoc fidem quam compaſſioni naturali debemus, & quam ipſa natura nobis inſeuit, negare; Quid eſt infidelibus peiorem eſſe, ſi hoc non eſt? Ecce tibi Centurio iſte confuſio Chriſtianorum eſt. Hic ſeruum ſuum infirmum in domo ſecum retinet, cum diligenter curat, ipſemet medicum pro eo conuenit, poſtquam videlicet id per Sacerdotes,& per ſpectatos aliquot viros factitauiſſet. S. Lucas eandem hiſtoriam recenſens pediſſequum ſiue ſeruū iſtum in magno pretio apud Centurionem fuiſſe oſtendit, dum ait: *Erat illi pretioſus*. Eſt namque omninò non leuis res ſeruum fidelem, & obſequentem habere: vnde etiam magnifaciendus eſt, quo videlicet intra fidelitatis & obedientiæ limites contineatur. Seneca non abſque cauſa ſui temporis heros nonnullos reprehendit,qui dicere ſolebant. *Tot inimicos habe-*
Cap. 7. *mus quot ſeruos.* Magnus hic loquēdi abuſus eſt,inquit Philoſophus, ſerui enim non noſtri inimici ſunt,ſed quia nos eos vt tales tractamus, & quia ijs non fidimus,ideo tales efficimus. Mihi credite auditores, facilè omnino eſt hero alicui ſeruum fidelem habere, modo ipſe velit, & laborē exiguum nō ſubterfugiat. Tametſi etiā hoc loco non inficier ſeruorum delicta, & culpas, cauſas plerumque eſſe propter quas odio habeantur & inclementius tractentur. Videamus itaque quænam ſeruorum partes ſint, quas ſi impleuerint ab heris ſuis diliguntur. Eas nos ſanctus Pau-
Cap. 6. lus in Epiſtola ad Epheſios accuratè docet, vbi præcepta ad regulas traditurus ſecundum quas domus ac familia aliqua rectè inſtitui poſſit ac gubernari, primum ſeruos, deinde verò heros alloquitur Quod dum facit, & quia plus circa Dominos informando occupatur, idcirco demonſtrare mihi velle videtur culpam ac defectum ſeruis potiſſimum adhære. Vnde ait, *Vos ſerui obedite dominis veſtris carnalibus cum timore & tremore.* Ad quē locum Theophylactus obſeruat,ideo dici carnalibus, quo videlicet ſerui conſolationem aliquam accipiant, cogitantes ipſorum ſeruitutem diuturnam eſſe non poſſe, ſiquidem in carne fundata ſit quæ facili negotio interit. Inter animas autem nec ſeruus eſt nec herus, ſed omnes liberæ ſunt Quoniam ergo ait Apoſtolus ſeruitus veſtra adeò breuis eſt, ſeruite
dominis

dominis veſtris cum timore, id eſt, cum reuerentia interiore, & cum tremore, id eſt, cum externo coltu interioris obſeruantiæ teſte. Et ſequitur. *In ſimplicitate cordis veſtri ſicut Chriſto*, hoc eſt, non ſubdolè, non fraudulenter, ſed ſincerè ac ſi ipſi Deo ſeruiretis, qui interiora cordium perſcrutatur. Seruitus autem iſta quam præſtatis non aliunde proficiſcatur quam ab amore: *Non ad oculum ſeruientes quaſi hominibus placentes, ſed vt ſerui Chriſti facientes voluntatem Dei ex animo*. Nolite mihi imitari operarios, qui præſente Domino & qui eos conduxit ſtrenuè laborant, ſimul ac autem ille oculos reflexerit & dorſum ijs obuerterit, feriantur & laboris ſui obliuiſcuntur: ſatis ſuperque per hoc indicantes eos non ex amore, ſed ex timore laborare. *Eſtote autem ſicut ſerui Chriſti facientes voluntatem Dei ex animo*: Quiſquis enim ſoli Deo placere deſiderat, is æquè ſtrenuè laborat cum non videtur, quam cum videtur, contentus ſoli Deo placere qui omnia videt. Hanc lectionem ab Apoſtolo traditam ſerui ſi obſeruarent, & quam debent obedientiam heris ſuis præſtarent, vtique chariores dominis eſſent, & ſicut Centurionis huius ſeruus diligerentur. At videamus iam nunc etiam quales Heri erga ſeruos ſe ſuos monſtrare & exhibere debeant. Hos Apoſtolus ita alloquitur: *& vos Domini eadem facite illis minas remittentes, ſcientes quia illorum & veſter dominus eſt in cœlis*. Ac ſi dicat: Exhibete vos gratos erga ſeruos veſtros, ſalaria illis ſua perſoluite, in neceſſitate illis ſubuenite, quemadmodum charitatis lex præſcribit. Conuerſantes cum ijs, affabiles & benignos vos monſtrate, minis ſuperſedere, rixas fugite, vt ſi quãdo puniẽdi fuerint id non veſtræ inclementię, ſed ſuis delictis adſcribant. Et monet hic præcipuè Apoſtolus eos, omnia qui in domibus ſuis miſcent atque euertunt. Conſulens ijs ne adeò temerè & inconſideratè precipitent. Eodem modo Spiritus ſanctus per Eccleſiaſticum monet cum ait: *Noli eſſe ſicut Leo in domo tua, euertens domeſticos tuos*. Iſtiuſmodi enim barbaries & inhumanitas hominem odioſum facit, & hoc tantum agit vulgo vt terribilis exiſtimetur. Hic etiam fulminandi et aſſiduo quiritandi conſuetudo illud demum effectum dat, nullo vt loco eius dicta habeantur: Cum è contra mites ac manſueti modeſtis ſuis repræhenſionibus Cap. 4.

bus quidlibet impetrent: ſcientibus videlicet ſeruis heros non niſi graui de cauſa rigidius procedere ſolere. Concludit denique Apoſtolus dicens heros qui illam facilitatem, & comitatem præ ſe ferre deſiderant, cogitare debere quod quemadmodum ſerui, illorum reſpectu ſerui ſunt, ita quoque ipſi reſpectu Dei veri ſerui ſubditique ſint. Et eſt omninò hæc conſideratio illa ipſos quæ angelos humiliauit, & vt ab hominibus ſibi delatum honorem reſpuerent coegit. Ita cum D. Ioannes angelum ſibi apparentem adoraturus eſſet, id facere prohibitus fuit, ſpiritu ſibi di-

Apo.19. & 22. cente: *Vide ne feceris, conſeruus enim tuus ſum*. Ac ſi dicat. Caue Ioannes ante me te proſternas, caue me adores, etſi enim tui reſpectu qui homo es, & mei qui angelus ſum te ſuperior ſim: attamen reſpectu Dei qui æquè meus ac tuus Dominus eſt, conſerui ſumus, & eiuſdem planè conditionis. Vtinam ad eundem modum omnes Domini cogitarent, quam illi faciles, quam humani, quam comes erga ſeruos ſuos exiſterent? Obſeruent itaque mihi Apoſtolicam illam lectionem. *Scientes quia illorum & veſter Dominus eſt in cælis*. Quodſi etiam eos verba iſthæc nihil mouent, moueat ſaltem exemplum huius Centurionis, qui mirabile cum cura, & ſolicitudine ipſemet medicum conuenit & opem pro ſeruo implorat. Hinc fides qua duce Seruatorem noſtrum acceſſit, & charitas quam idem in illo obſeruauit, illud effectum dederunt, plus vt impetraret quam petierat: neque tantum ſeruus vt ſuus ſanitati reſtitueretur, ſed ipſe etiam meruit domus vt illius cœleſtis medici ingreſſu honoraretur. Quod cum ei Seruator noſter promiſiſſet, illeq; iam Maieſtatem eius fide reuelante cognouiſſet, oculos in ſemet conuertit, ſicq; ſua vtilitate cum illius excellentia comparata, indignum ſe illa eſſe exiſtimauit, & ſancto ſtupore perfuſus exclamauit: *Domine non ſum dignus*. Certum omnino ac indubitatum eſt humilitatem immediatè fidem conſequi, quemadmodum præclarè D. Chryſoſtomus animaduertit,

Pſ.115. Pſalmiſtæ illa verba explicans: *Credidi propter quod locutus ſum, ego autem humiliatus ſum nimis.* Vbi etiam vides fidei confeſtim humilitatem ſubiungi. Nec immerito: quippe

Cap.10. cum Spiritus ſanctus per Eccleſiaſticum dicat: *Initium ſuperbiæ eſt neſcire Deum*: ergo Dei cognitio, humilitatis

cauſa

cauſa eſt, nam ſecundum Philoſophum contrariorum eadem eſt diſciplina. Et cum conſtet fidem hoc agere Deum vt cognoſcamus, velut obiectum ſupernaturale reuelatum, dubitari reuera non poteſt, cognitionem illam veram humilitatem in nobis generare. S. Paulus liquido affirmat ſe in tertium cœlum raptum fuiſſe, vbi ineffabilia ſecreta conſpexerit, & nihilominus ait: *Siue in corpore ſiue extra neſcio, &cæt. Deus ſcit.* Cuius meo quidem iudicio nulla alia cauſa eſt, quam quod oculi illius in inacceſſibilem Diuinæ Maieſtatis lucem coniecti adeò fuerunt hebetati, vt poſtea eos etiam in ſe retorquens, ſeipſum videre non potuerit, ac multò minus diſcernere, vtrum in in corpore an in anima ea conſpicaretur; vel vtrum id ſpiritus tantum quædam eleuatio & enthuſiaſmus eſſet, quemadmodum nobis ſæpe euenit, qui cum aliquamdiu ſolem fuerimus intuiti, oculos poſtea in nos reflectentes, vix ac ne vix quidem videre nos valemus. Ita illi qui vera ac viua fide præditi ſunt, dum aſſiduò Deum contemplantur, ac deinde etiam cogitationes, & mentis oculos in ſe reflectunt, reſpectu infinitæ abyſſi Diuinæ eſſentiæ nihil ſibi penitus eſſe videntur; & ita ſe indignos iudicant qui cum ea colloquantur, aut etiam in illius conſpectu appareant. Legimus S Petrum totam cum noctem nequidquam piſcando exegiſſet, iuſſu Seruatoris noſtri rete in mare eieciſſe, & confeſtim ingentem piſcium vim cæpiſſe. Vnde obſtupefactus & attonito ſimilis ad illius ſe pedes abiecit clamans: *Exi à me Domine, quia homo peccator ſum.* Itane verò ſancte Petre? Quid hoc noui eſt? Nunquid etiam tunc Magiſtrum in nauicula cognouiſti priuſquam tibi rete eijcere iuberet? Opinor certè: Attamen quid cauſæ eſt, cur iam primum Magiſtro tuo aſſiſtere non velis? Conſiderabas videlicet tu potentiam Seruatoris noſtri, & illius maieſtatem ex magnitudine miraculi metiebaris, ſicque fidem tuam excitans, & excellentiam Redemptoris noſtri cognoſcens te humiliabas. Et quis omninò non confiteatur minus ſe quam nihil eſſe, ſimullac infinitam Diuinæ Maieſtatis abyſſum introſpexerit? Quis non contrahatur, quis non deijciatur, quis non humilietur? Hinc namque Propheta Ezechiel admirabilem illam animalium oculatorum ſcenam deſcribens, inter cætera

2. Cor. 12. V. 2.

Notabile.

Luc. 5.

tera

Digitized by Google

tera notatu digna, illud etiam obſeruauit. *Cum ſtarent ani-*
Cap.1. *malia, dimittebantur penna eorum*, inquit Propheta, & cauſam confeſtim ſubiungit. *Nam cum fieret vox ſuper firmamentum quod erat ſuper caput eorum, ſtabant & ſubmittebant alas ſuas.* Ad quem locum D. Gregorius ait alas illas contẽplationis oculos eſſe, qui ineffabili diuinæ claritatis luce hebetati facere nõ poſſunt quin cõfeſtim caligent ac deijciantur. Maneat ergo Auditores, cognitionẽ Dei quã mediãte fide acquirimus mirabile, & præſentiſſimũ medium eſſe ad humilitatẽ acquirendã. Et miramur adhuc, ſi Centurio iſte tanta fide præditus, adeò humilis fuerit, & ſi hanc humilitatem exercens, tantum à Domino noſtro impetrauit? Deus noſter altiſſimus eſt, & ſuper humiles oculos conijcit, qui quò verecundiores ſunt in petendo, hoc plus, impetrant, obtinent & promerentur. Poſtulauerat hic à Domino noſtro Centurio ſanitatem, qua impetrata, ab eodem propter fidem commendatur. Et quamuis non minus charitas qua erga ſeruum ſuum ferebatur potuerit prædicari, id tamen nequaquam factum fuit, quia à fide laudatus, ab omnibus pariter fuit commendatus: fidem enim viuam charitas continuò comitatur, quam reliquæ virtutes non aliter ac pediſſequæ conſequuntur. Et quoniam S. Mater Eccleſia hunc Centurionem velut viuam aliquam virtutum Ideam, & prototypon proponit, illud ſollicitè nobis allaborandum eſt, huius vt fidei veſtigijs inſiſtamus, ac omnia noſtra opera viua eorum quæ credimus conſideratione condiamus. Imitemur illius charitatem, condolentes proximis noſtris, & eorum neceſſitatibus ſubuenientes. Imitemur illius humanitatem, exiſtimantes nos indignos qui donum à Deo aliquod accipiamus, quo videlicet facilius mediante fide illud obtineamus, & per Seruatorem noſtrum aditum &
Rom. 5. acceſſum ad Deum habeamus, prout S. Paulus ait: *Iuſtificati ex fide pacem habeamus ad Deum, per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, per quem habemus acceſſum per fidem*. Impetremus per charitatem remiſſionem peccatorum, di-
Prou.10 cente Sapiente. *Vniuerſa delicta operit charitas*, ne videlicet oculi Dei eorum intuitu offendantur, aut iuſtitia diuina ad ea puniendum caſtigandumque excitetur. Per humilitatem preces noſtræ exaudiuntur, iuxta illud:

Oratio

Oratio humiliantis ſe nubes penetrat, & donec propinquet non conſolabitur, & non diſcedet donec altiſſimus reſpiciat. His tribus virtutibus ita inſtructi, animarum noſtrarum ſalutem procurabimus, quemadmodum earundem opera Centurio iſte ſeruo ſuo ſanitatem impetrauit. Per Fidem eius potentiam cognoſcemus, qui nos ſanaturus eſt, & amorem quo erga nos fertur ambæ autem illæ virtutes ita cognitæ ac perſpectæ ſpem, & fiduciam in nobis excitabunt. Per charitatem proximi ſalutem procurabimus, & nos ad diuina dona recipienda capaces efficiemus. Per Humilitatem eius liberalitatem prouocabimus, qui ſecundum Diuum Iacobum humilibus nihil denegat. Huius autem gratia inſtructi, de gloria non dubitemus, *quam mihi & vobis, &c.* Eccl. 35.

CONCIO TERTIA,

PRO FERIA SEXTA

QVINQVAGESIMAE.

Audiſtis, quia dictum eſt antiquis, &c. Matth. 5.

INter cæteras cauſas, & rationes propter quas Deus de cœlo Eccleſiam ſuam viſitaturus in terram deſcendit hæc ſibi principem facile locum vendicat, vt nimirum videret quænam charitatis in hoc mundo conditio vulgò eſſet. Id namque ex ſponſi verbis obſcuris aliàs, & obiter ea inſpicienti minus allucentibus facile colligere eſt. *Deſcendi in hortum meum,* ait ſponſus in Canticis, *vt viderem poma conuallium, & inſpicerem ſi floruiſſet vinea, & germinaſſent mala punica.* Vbi nota primum Eccleſiam hortum appellari, puta propter diuerſitatem Sanctorum hominum, qui non aliter quam fertiliſſimæ quædam plantæ eam condecorant, atque exornant. Et appellat illam hortum nucum, Cap. 6.

quia

Nux arbor iuſtorum ſymbolum. quia haud ſcio an alia arbor ſit, quæ æquè ad viuum iuſtorum conditionem nobis repræſentet. Viatores enim qui media æſtate iter faciunt, ſi fortè in via nucem aliquam belle folijs, & fructibus onuſtam conſpicentur, eam confeſtim ſubeunt, ſub illius vmbra requieſcunt, & frigus captant: ac denique ita refrigerati pro grati arum actione lapidibus illius ramos impetunt, nuces deijciunt, & nucleis, earum veſcuntur: cum nihilominus nux vmbram illis ſuam, & frigus communicare non deſiſtit. Admirabile hoc reuera Iuſtorum ſymbolum eſt, qui poſtquam omnibus benefecerint, & nemini ad ſe recurrenti auxilium ſuum denegarint, perſecutionem etiam ſuſtinentes, à benefaciendi, propoſito ne per malum quidem quo afficiũtur ſe patiuntur abſter reri. Et hæc reuera gens illa eſt Deo apprime chara atque accepta, & propter cuius amorem Deus Eccleſiam ſuam hortum nucum appellat. Dicit ergo ſponſus: Deſcendi per incarnationem in hortum nucibus plantatum, qui eſt Eccleſia mea, vt viderem arbores conuallium, quæ in humili ac depreſſo loco ſitæ ſunt. Quod ideò dicit, quia videlicet Deus oculos ſuos primum in humiles conijcit. Cauſarum autem propter quas in Eccleſiæ meæ horto ſpaciari volui, hæc pręcipua eſt, *vt inſpicerem ſi floruiſſet vinea, & germinaſſent mala punica*. Admirabile reuera hoc eſt, & conſideratione dignum. Si enim attentius Canticorum librum perlegeris, reperies ſponſum in horto ſuo innumeras non fructiferas tantum, ſed etiam aromaticas arbores habuiſſe.

Cap.4. *Emiſſiones tuę paradiſus malorum punicorum cum pomorum fructibus. Cypricum nardo, nardus, & crocus, fiſtula, & cynamomum cum vniuerſis linguis Libani.* Non erat inquit vllum lignorum genus in monte Libani quod non pariter in meo horto conſpiceretur. Quam nam ergo ob cauſam omnium reliquorum oblitus, ideò ſe aduenisse dicit vt vineam inſpiceret, & mala punica conſideraret? nimirum quia inter omnes arbores nullæ melius, & magis ad viuum, quam hæ duæ charitatem nobis repræſentant. Quid

Vinea charitatis ſymbolum. enim amabo pulcherrimus ille vitium ordo, pari linea ſibi reſpondentium ac à ſe inuicem diſtantium, quid Pampini, & Thyrſi admirabili quodam vinculo, & amplexu mutuo ſe ſtringentes, aliud ſignificant quam charitatem?

Mala

Mala autem punica accuratius ſi inſpicias, mihi crede pulcherrimæ huius virtutis Hieroglyphica eſſe dices. Ac primo quidem quia inter omnes fructus ſola ipſa coronam ferunt, velut omnium aliorum Reginæ. Verùm hoc etiam charitati proprium eſt, quam Apoſtolus velut Reginam virtutum deſcribit, dicens: *Fides, Spes, Charitas, tria hæc, maior autem horum eſt Charitas.* Quod ſi charitas virtutum Theologicarum princeps, & anteſignana eſt, dubitari non poteſt eam Regia etiam dignitate fungi. Secundo mala punica charitatis ſymbolum ſunt, dum videlicet innumera grana pulcherrimo ordine diſpoſita complectuntur, vt rempublicam aliquam bene conſtitutam repræſentent, cuius membra vniuerſa vno, & arctiſſimo amoris vinculo inter ſe colligantur. Tertio mala punica charitatem in eo nobis repræſentant, quod corticem ſcindunt, & dirumpuntur, quo grana creſcentia, & augmentata commodiùs deliteant, & requieſcant. Fecit idem omninò charitas in Seruatore noſtro, qui cruci affixus latus ſibi tranſuerberari paſſus fuit, nobis vt acceſſus, & introitus pateſieret. Hæc eadem S. Paulo cor aperiebat, qui ait: *Os meum patet ad vos, O Corinthij, cor meum dilatatum eſt: non anguſtiamini in vobis, anguſtiamini autem in viſceribus veſtris. Eandem autem habentes remunerationem, tanquam filijs dico dilatamini; & vos.* Quibus verbis Apoſtolus Corinthios exortatur, vt ſicut is, os, & cor ſuum eos recepturus dilatauerat, ita quoque ipſi cordium ſuorum viſcera alter alteri aperirent. Sponſus itaque dicens ſe in hortum ſuum deſcendiſſe vt videret arbores, ſignificare vult filium Dei in terram deſcendiſſe, vt videret quemadmodum præceptum charitatis in Eccleſia ſua obſeruaretur. Cum ecce tibi illa confitetur ſe neque Seruatoris noſtri hanc intentionem ſcire, neque ipſum etiam Dominum cognoſcere. Hoc namque vox illa *neſciui* ſignificat, & additur cauſa, *propter quadrigas Aminadab*, per quas nihil aliud intelligimus, quam paſſionum quandam caliginem, quæ plerumque cognitionem obfuſcant, & ordinem charitatis peruertunt. Videns ergo ſupremus ille rerum Dominus Deus hanc confuſionem in ſua Eccleſia, quodque paſſiones ita eam occæcauiſſent, alter vt alterum inimicum ſuum odio proſequi doceret

Similiter mala Punica.

1. *Cor.* 13.

Ioan. 19.

2. *Cor.* 6.

Cant. 6.

clara

clara voce exclamauit. *Reuertere Reuertere Sunamitis reuertere, vt intueamur te ô Sunamitis*, hoc eſt pacifica, & perfecta. Dilecte mi qui aliud quam pacem, & charitatem ſpirare non debes, reuertere ad me, aufer inſignia, & vexilla bellica, quoniam totus pacificus es, & quoniam ipſum nomen tuum pacem ſonat, abſit vt de alio quam de pace verba apud te faciam. Reuertere ad te, quò, & ego ad te reuertar, ac miſericordiæ oculis te intuear. Et eſt omninò hoc idem illud quod hodiernum Euangelium nobis inculcat: quod Seruator noſter doctrina iſthac ſua quærit ac nobis commendat, abrogare videlicet veterem illam, & antiquam doctrinam, quæ originem ſuam in paſſionibus habet, quibus anima noſtra grauiter interturbatur; Auertere aures ab aduerſario noſtro qui nobis perſuadere conatur licitum eſſe inimicis ſuis male velle; Amplecti doctrinam illius qui de cœlo in terram deſcendit, vt amoris legem nos doceret quæ ait, *Diligite inimicos veſtros, & orate pro perſequentibus, & calumniantibus vos.*

Verum videamus in primis quis huius doctrinæ author ſit. *Ego autem dico vobis.* Quamuis enim concionatores Chriſtiani populi perficaciam intuentes, varias eaſque plauſibiles rationes conquirant, quibus eorum inueteratam opinionem oppugnent, & erroneam hanc doctrinam hoſtes odio proſequendos eſſe animis eorum euellant: ego tamen hanc vnam maximè plauſibilem eſſe exiſtimo, quod videlicet Seruator noſter ipſemet in hoc Euangelio doctrinam illam nobis præſcribit. Qui cum ipſa æterni patris ſapientia eſſet, omniaque ea hominibus inculcare vellet quæ amoris hoc præceptum concernerent, & ideò quò facilius finem ſuum conſequeretur, nihil dubitandum eſt eum efficaciſſimas, & maxime prægnantes rationes adhibuiſſe. Videamus itaque quodnam præcipuum argumentum ſit, quo Seruator noſter ad huius præcepti obſeruationem nos excitaturus vtitur. *Ego autem dico vobis*, inquit, id eſt: Hoc vobis inſtar omnium argumentorum ſit quod ego id dico atque præcipio.

Reuera enim, Chriſtiani Auditores, nullum argumentum æquè efficax eſſe poteſt, quo impellamur ad inimicos noſtros diligendum, quemadmodum Redemptoris noſtri authoritas, qui ipſemet amoris hoc præceptum rogauit.

uit. Nemo enim admodum inter nos eſt, quin non aſſerere poſſit, & affirmare, Ieſum Chriſtum Filium Dei eſſe, ac ideò mortem oppetijſſe, vt patri nos ſuo reconciliaret. Et atteſtatur huic certitudini ſanctus Paulus ad Romanos ſcribens. *Cum inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo per mortem filij eius.* Et in Epiſtola ad Epheſios. *Ipſe eſt pax noſtra, qui fecit vtraque vnum, medium parietem maceriæ ſoluens.* Conglutinauit ille, inquit, & copulauit duas naturas admodum diſſimiles ac differentes: & in carne alterutrius aboleuit inimicitias, & deſtruxit parietem peccatorum qui Deum ab hominibus ſecludebat. O admirabilem diuini amoris effectum erga nos? Seruator noſter peccatorum noſtrorum faſcem in humeros ſuos ſuſcepit, quæ ad inſtar muri nos à Deo ſecludebant, ad quem ſubuertendum Redemptoris noſtri Humanitatem contundi oportebat. Rom. 5. Cap. 2.

Nam quid amabò quinque millia verberum virgis, & flagellis inflictorum, quid inclementes illæ malleorum in pedibus ac manibus contuſiones, quid colaphi, quid hiantis pectoris vulnus aliud fuerunt, quam ictus quidam ac pulſus quibus peccatorum noſtrorum murus ſubuerſus fuit, & quos FILIVS DEI patientiſſimè corpore ſuo excepit, ipſam denique etiam vitam profundens vt cœleſti nos ſuo patri reconciliaret? Meritò ergo Apoſtolus eum pacem noſtram appellat, quippe cum illius morte, & paſſione pax noſtra conſtiterit. Maneat ergo hunc communem rerum omnium Deum, qui plenam authoritatem, & poteſtatem in nos habet, qui mortem ſuſtinuit vt vitæ nos reſtitueret, qui denique in cruce mortuus fuit, vt nos cœleſti ſuo Patri reconciliaret, quem omnes grauiſſimè offenderamus: maneat inquam hanc nobis legem illam ferre qua in pace viuere, & inimicos noſtros diligere iubemur. Porrò parum ne etiam iuris, & rationis nomothetam hunc noſtrum habuiſſe creditis eam cur legem diceret ac proferret? An ergo ei obedire non tenemur, cui tot ac tantis nominibus debere nos confitemur? Introſpiciamus obſecro Chriſtiani aliquantò acuratius negotium illud tanto vt clarius ac maniſeſtius euadat. Nullus dubito quin aliquando admirabilem illam Codri Athenienſium Regis charitatem, & Cicero 1. Tuſcul. Hora. 3. Carm.

affectum, quo ille exercitum ſuum proſequebatur, audiuerit commemorati. Hic niſi innumeris & locupletiſſimis quibuſque authoribus fidem derogamus, cum iamiam aciem in hoſtem immiſſurus eſſet, ad oraculum miſit conſulturos vtra pars victoriam eſſet reportatura. Cum ecce tibi reſpondet oraculum, eam partem præualituram cuius Rex in acie cecidiſſet. Hoc ſimulac ad Athenienſium hoſtes perlatum eſſet, publicè edictum fuit ne quis miles ita audax foret vt hoſtium Regi manum injiceret.

Rex autem Codrus patriæ & militum incolumitatem ſuæ præferens, abiectis veſtibus ſe induit, & fortiſſimum aduerſæ partis militem inuaſit, vt ita incognitus occideretur & militum vitam conſeruaret, quemadmodum euenit. At quæro nunc ex vobis auditores, ſi Rex iſte ad vitam quam patriæ cauſa prodegerat rediens, duos ſuorum militum altercantes, & capitali odio à ſe diſſidentes vt in gratiam redirent obſecraſſet, an non audiri debuiſſet, & niſi auditus eſſet ingrati ac immemores puniri? An non recordamini Regis illius in Euangelio, qui cum immanem pecuniarum vim miniſtro ſuo remiſiſſet, atque ille
Matth. 18. poſtea, neſciò quid debiti conſeruo ſuo condonare non vellet, grauiſſimè fuit indignatus? At quantò iuſtius Codrus repulſam patiens militibus ingratiſſimis indignari potuiſſet quorum ille vitam morte ſua comparauit? An non meritò extremam illam ingratitudinem puniret & vlciſci potuiſſet? O cœlum! O terra O! cæcitatem filiorum Adæ! vobis ergo filius Dei minus quam Rex aliquis Idololatra promeritus fuiſſet, videatur? Eum vos minus pro nobis, quam Codrus pro militibus ſuſtinuiſſe iudicatis? Induit ille laruam humanitatis noſtræ, vt ita pro nobis moreretur, & vitam noſtram conſeruaret. Fatetur hoc S. Paulus, & ipſa fides id clamat. *Factus in ſimilitudi-*
Rom. 8. *nem carnis peccati*, vt videlicet hoc pacto creaturæ tanto animoſiores, efficerentur ad vitam illi eripiendum & mor-
1. Cor. 2. v. 8. tem inferendum. *Si enim cognouiſſent*, inquit idem Apoſtolus, *nunquam crucifixiſſent Dominum gloriæ*. Hic ergo ſupremus Dominus, hic Deus infinitæ maieſtatis, hic qui mortuus eſt vt tibi vitam æternam conferret, hic qui vitam ſuam prodegit vt patri te ſuo reconciliaret: hic inquam

legem

legem hanc perfert. *Diligite inimicos veſtros*. Huic tu ergo aduerſari voles? Huius mandatum contemnere, huic te immorigerum præpere audebis; Si autem ei morem non geris, ſi voci illius non obtemperas, qua amabo ſpe & audacia peccatorum tuorum veniam audebis efflagitare? *Homo homini ſeruat iram*, inquit Spiritus ſanctus, *& à Deo quærit medelam in hominem ſimilem ſibi non habet miſericordiam; & de peccatis ſuis deprecatur? Quis exorabit pro peccatis illius?* Interrogationem reuera admirabilem & obſtupeſcendam? An ergo Diuipara Mater in cœlo non eſt pro eo vt intercedere poſſit? Nunquid angeli illic non ſunt qui charitatis hoc ei officium præſtare poſſint? An ergo ad ſanctos recurrere non poterit? An verò etiam ſancta Mater Eccleſia non pro vniuerſis fidelibus precatur? Si autem omnes hi precantur, quomodo ſpiritus Sanctus ſuſcitatur quis pro iſtiuſmodi obſtinato aliquo ſit oraturus? Facit hoc nimirum ille, tales vt pertinaces intelligant, toto eo tempore quo cum inimicis ſuis ſimultates vouent, nulli orationis locum dari, tametſi eam Diuipara Virgo, Angeli Sancti, Beati Cælites, S. Mater Eccleſia, & omnes denique ſimul irent oblatum; Quiſquis enim pro iſtiuſmodi peruicaci ac inclementi aliquo preces ad Deum fundit, is tantundem facit ac ſi eas non funderet. Hinc S. Ioannes Euangeliſta ait: *Eſt peccatum ad mortem non pro eo dico vt roget quis*. Ea namque nonnullorum peccatorum vis ac grauitas eſt, omnes vt qui ſe ijs commacularint, è veſtigio ſpirituali morte de medio tollant: vnde qualeſcunque etiam preces pro ijs effuſæ nihili ſunt. His autem proximi odium annumeratur: quo quotquot affecti ſunt, ijs nihil aliud quam æternum vę relinquitur, niſi Seruatoris noſtri præcepto obtemperent. Dum ergo dicitur. *Diligite inimicos veſtros*, non iubemur ferrum apprehendere vltionem ab inimicis noſtris repetituri, non etiam noctu & interdiu vltionis modos excogitare, quibus honorem, vitã, ac ſalutem noſtram propugnemus, quemadmodum infames illæ de duello leges permittunt, Iubemur autem amare proximum noſtrum ex animo, & abſque vlla fictione. Itane verò? poteſtne aliquid in vniuerſa rerum natura iucundius reperiri quam amare? Adeò illud quodlibet tempore, qualibet occaſione, ſanus & æger, noctu & in-

Eccl. 28.

1. Cap. 5. 16.

terdiu facere potes,nulla te penitus re impediente, vbi ab vna voluntate diſceſceris. Ac ne id quod dico præcepto videlicet huic more gerere difficilè cuipiam eſſe videatus vide mihi amabò, quemadmodum quod Seruator noſter in hoc præcepto iubet,neutiquam naturali inclinationi repugnet,prout nonnulli opinantur. Cum enim ſimilitudo
Eccl.13. naturalem amorem generet,iuxta Eccleſiaſtici illud,*Omne animal diligit ſibi ſimile*: mandatum hoc quo noſtrū proximum ſeu nobis ſimilem diligere iubemur, nihil minus quam rem inclinationi naturali repugnantem imponit. Quibus ita perſpectis duos nobis admodum diſcrepantia in eo quem offendimus animaduertenda nobis ſunt. Primum eſt natura ſecundum quam ſimilis nobis eſt, alterum culpa propter quam nobis aduerſatur. Iam ſi Seruator noſter iniuriā qua nos inimicus noſter affecit amare iuberet, vtiq; rem moleſtam & naturali inclinationi penitus aduerſantem iuberet, Nunc autem naturam amare præcipiens, quæ nobis ſimilis eſt, rem non multum difficilem, & veræ inclinationi naturali nihil repugnantem commendat. At dices tu mihi hoc loco, quomodo vero ego naturam à culpa diſtinguere potero, quæ indiſſolubilis nexu colligatæ ſunt? Reſpondeo ego facillimè id te facere poſſe, modo velis. Cum enim filius aut nepos in aliquo impegit, an non eum propter hoc delictum caſtigas? At punitio & rigidior caſtigatio ab odio proficiſcuntur. Si autem quęram nunquid illum amas? Reſpondebis, vtiq; nec mentieris. Ita videlicet rē propius intuenti facilè conſtabit eum te ſimul amare & caſtigare: cædendo illum propter delictum quod deteſtaris, & amando ob naturam quæ ſimilis tibi eſt. Maneat ergo hac te ratione facile naturam à delicto poſſe diſtinguere. Et facit huc imprimis locus ille Eccleſiaſtici vbi ſpiritus S. Dauidis fortitudinem deſcribens & fundam in Gygantem li-
Cap.49. brantis robur adumbrans ait: *Intollendo manum in ſaxo funda, deiecit exultationem Goliath*. Vbi nota quod non dicit textus Dauidem Gygantem proſtrauiſſe, ſed illius faſtum & arrogantiam abieciſſe: vt videlicet intelligatur Dauidem diligentem huius præcepti obſeruatorem fundam ſuam non contra naturam quam diligebat,ſed contra arrogantiam quam deteſtabatur contorſiſſe. Vnde intelli-

telligis Dauidem hunc artem illam exacte calluiſſe, naturam videlicet à delicto diſcernendi. Author eſt Diogenes Ariſtotelem cum aliquando homini cuipiam male morati ſtipem dediſſet, atque idcirco à nonullis rideretur, dixiſſe. *Non mores miſertus ſum, ſed hominem. Non homini dedi, ſed humanitati.* Id eſt: ſi deprauati illius mores pœnam merentur, natura certè afflicta auxilio opus habet: ego autem ſuccurri naturæ, & oculos à delicto auerti. Et nec dum ad oculum conſpicitis facillimum eſſe vnum ab altero ſeparare: ac peccatum deteſtari & naturam ſimul diligere? Ad eum ergo modum & vos facite, ſicque abſolutè Seruatoris noſtri præceptum implebitis. Quin ſi etiam apertè peccato & delicto bellum inferre deſideras, id verò tibi licebit eo modo quem Seruator noſter in Euangelio præſcribit dicens; *Benefacite ijs qui oderunt vos.* Nam ſecundum Philoſophi ſententiam *contraria nonniſi contrarijs pelluntur*; ſicquè victoria bellum præſupponit, & bellum nonniſi inter inimicos eſt. Quid tu autem bono æquè contrariari cenſes ac malum. *Contra bonum malum* inquit Eccleſiaſticus. Si ergo inimicum veſtrum ſuperare deſideratis, induite arma illi contraria, veſtra bonitas cum illius malitia certet, pro malo illi bonum reponite: cumq; ita bonitas veſtra malitiam illius ſuperarit, abſque dubio eum etiam deuincetis. Quid enim tantoperè alter in altero execramini? Numquid vitia? Hæc autem vitia quid aliud ſunt niſi malũ quod vobis inimicus veſter imprecatur? Curate itaq; vt odium iſtud euertatis & per ſuum contrarium qui amor eſt deſtruatis. Deteſtemini illius iniurias quibus vos afficit, non inferte autem viciſſim & vos alias, mala enim opera & vindicta, teſte D. Chriſoſtomo, neutiquam inimici tui odium reſtinguunt, alunt potiùs & fouent. Si itaque iniurias quibus te affecit deſtruere deſideras, id per beneficia fieri neceſſe eſt, quo videlicet conuitia lenibus verbis, maledictiones benedictionibus, & malum bono recompenſetur, prout Apoſtolus conſulit dicens: *Noli vinci à malo, ſed vince in bono malum.* Hoc ſimiliter Seruator noſter in Euangelio nobis inculcat. Hoc veteres primitiuæ Eccleſiæ Chriſtiani factitabant, de quibus S. Paulus ait, *Maledicimur, & benedicimus: perſecutionem patimur, & ſuſtinemus:*

Laertius l. 6. 5.

Cap. 33.

Hom. 15. ſuper S. Matth.

Rom. 12.

1. Cor. 4.

1. Pet. 2. *mus: blaſphemamur, & obſecramus*. Hæc namque vera arma diſcipulorum Ieſu Chriſti ſunt, qui *cum malediceretur non maledicebat: cum pateretur non comminabatur: tradebat iudicanti ſe iniuſtè*. Verum relictis hoc loco Seruatoris noſtri, & illius Apoſtolorum exemplis, ethnicorum hiſtorijs Chriſtianos in ruborem demus. Notum eſt Philippum Macedonem Alexandri Magni patrem neſcio à quo contumelijs impetitum, nihil minus quam de vindicta cogitauiſſe. Vnde cum ei domeſtici ſui authores eſſent, de maledico vt illo pœnas ſumeret, ille è contra in neceſſitate eum aliquando conſtitutum admirabili liberalitate proſecutus eſt. Cum ergo iam calumniator ille pudore perfuſus paſſim laudibus ad cœlum Philippum eueheret, ipſe Rex domeſticis ſuis accerſitis dixit. Ecce quemadmodum in noſtra manu eſt, facere vt homines modo bene, modo male de nobis ſentiant, & loquantur.

Plutar. Simile de huius filio Alexandro Magno perhibetur qui cum maledicum quempiam liberalitate ſua ſibi addictum effeciſſet, gaudio perfuſus exclamauit. Hæc nimirum

In Apoph. Laced. Alexandri gloria eſt amicos ex inimicis facere ſibi poſſe. Narrat Plutarchus de Lycurgo Lacedemoniorum nomotheta, quod cum aliquando improbus quidam oculum ei excuſſiſſet, iſque à Senatu traditus illi eſſet, pœnas vt ab eo quas vellet repeteret, hominem placidè domum ſecum abduxerit, & bene habitum ad honeſtatem informarit: eundem poſtea biennio iam elapſo Senatui reſtituens cum hoc Elogio. Ecce vobis Alcandrum (maledico id nominis erat) quem vos mihi facinoroſum tradidiſtis, & ego vobis è contra emendatum reſtituo. Ecce tibi Ly-

Stobæus ſer. 19. de Patientia. curgi vindictam. Ecce vlciſcendi modos, quibus Ethnici inimicos ſuos ſuperabant. Qui etſi nonnunquam vindicare ſe poſſent, nobilius tamen exiſtimabant, amicum acquirere, quam inimicum vita exutum ire. Hi ijdem in extremi iudicij die contra Chriſtianos vociferabuntur, & per bona ſua exempla æternis cruciatibus illos adiudicabunt. Agite ergo Chriſtiani, & ad tria verba totum hoc quod nobis Seruator noſter præcipit reducamus. Inimicus noſter trifariam offendere nos poteſt: per voluntatem, odio nos perſequendo: per linguam ſiniſtrè de nobis loquendo: & per opera, damno nos aliquo afficiendo.

Porrò

Porrò hæc tria ipſa illa ſunt quæ Seruator adhiberi vult ad inimicos noſtros deuincendum. Voluntatem primo, eos diligendo, *diligite inimicos veſtros*. Linguam, bene ijs imprecando. *Orate pro perſequentibus, & calumniantibus vos.* Opera denique, bene ijs faciendo, *Benefacite his qui oderunt vos*. Et quamuis quodlibet horum punctorum difficultatem ſuam habeat, attamen vnumquodque præmium, & merces ſua manet. Primum enim quod eſt amare inimicum, reſpondet amari à Deo ad inſtar filij. Vnde Seruator noſter ipſemet ait, *vt ſitis filij patris veſtri*; Secundum, quod eſt bene inimico ſuo imprecari, precum noſtrarum acceptio reſpondet, quemadmodum S. Stephanns exauditus fuit, & Seruator noſter, qui ſecundum D. Paulum pro ſe crucifigentibus orans, *exauditus eſt pro ſua reuerentia*. Tertium, quod eſt inimicis ſuis benefacere, remuneratio cæleſtis reſpondet. Qua n menſura proximis noſtris metiemur, eadem nobis etiam metietur. O mercedem! O præmium! Quis hanc luctam detrectet, tantam ſibi gloriam, & tam eximias coronas propoſitas eſſe conſpiciens? *vt ſitis filij patris veſtri qui in cælis eſt*. His verbis Deus, tantum nobis appromittit quantum nos aut optare poſſumus aut deſiderare. Quæ quo etiam apertius intelligamus, & quomodo verus ſpiritus Sancti inſtitutum ſit, quælibet dona gratias, & benedictiones ijs polliceri, qui in hac maximè parte Deum imitari ſtudent, perſpiciamus, admirabilem illum Deuteronomiorum locum audiamus *Benedictio illius qui apparuit in rubo, veniat ſuper caput Ioſeph* (inquit Moyſes tribui Ioſephi benedicens, antequam ſpiritum ſuum Deo in monte redditurus diſcederet) *quaſi primogenitus tauri pulchritudo eius, & cornua Rhinocerotis cornua illius*. Vbi nota quod S. hic Propheta vltimum vale ſuis dicens, cum cuilibet tribui benedictionem ſuam impertiuiſſet, iamque ad Ioſephum perueniſſet, maiore cum affectu illi benedicendum eſſe exiſtimarit: conſiderando magnanimitatem illuſtris illius Patriarchæ, & quomodo in Aegypto fratres ſuos, qui eum perdere voluerant, & nequiter vendiderant, humaniſſimè exceperit. Hoc inquam admirabili charitatis actu velut quodam ſtimulo Moyſes excitatus Ioſepho in ſpecie ſibi benedicendum eſſe exiſtimauit. Vt autem ſenſum ad-

Heb. 5.

Cap. 33.

mirandæ illius benedictionis penitius intelligamus, duo admodum notanda nobis ſunt. Primum quod Patriarcha Ioſeph perſecutionem à fratribus ſuis ſuſtinuerit, qui primi vitam illi eripere moliebantur, ac deinde innocentem Iſmaelitis vendiderunt: promerentes hoc peccato, & iniuria, vt ſecundum humanas leges, & ſtatuta capite punirentur. Quæ tamen omnia bonus ille Patriarcha, etſi poſſet, vindicare non voluit: Male ne in neceſſitate conſtitutis ſubuenire, eos vt fratres amplexari, & amicè, ac fraternè habere. Secundum quod aduerti debet, cornu eſt in ſcriptura fortitudinem ſignificans, & pleriſque animalibus alijs damnum illaturis inſeruiens. Vnde contrariam pane naturam Vnicornis, & Rhinocerotis cornua ſortita ſunt, dum videlicet venena depellunt, & eijſdem partibus vitam hominibus conferunt, per quas cætera animalia eam illius eripere ſatagunt. Dicens proinde Moyſes Ioſephi pulchritudinem ſimilem tauri primogenito futuram. Oſtendit venuſtatem illius effœminatam non futuram quemadmodum multorum, ſed ſimilem tauro cuius omnis pulchritudo in eo conſiſtit, vt membra fortia, robuſta, & labori paria habeat. Dum autem ſubiungit cornua illius Rhinocerotis, vel Monocerotis futura, ſignificat eum vires ſuas non ad malefaciendum, & nocendum collaturum eſſe, ſed ad benefaciendum, & cordium hoſtilium venena in fraternam charitatem, ac amorem conuertendum; quemadmodum Rhinoceros aquas veneno infectas in dulcem, & ſalutarem potionem cõuertit. Quod ſi hoc loco quæras, quænam benedictio illa fuerit, inſpice mihi Exodum à capite tertio vſque ad finem, & inuenies benedictiones quibus Deus ſuper populum hunc ſuum poſt apparitionem inibi deſcriptam pluerit. Numera mihi illic victorias quas ex hoſtibus retulerunt, ſuſpice miracula quæ Deus pro illius defenſione patrauit; vide quemadmodũ ad extremum illi quendam Vice-Deum aſſignauerit, cuius ductu, & auſpicijs regenerentur. Iam quotquot inimicis ſuis benefacientes Patriarcham Ioſeph imitantur, eaſdem planè benedictiones obtinent, & indipiſcuntur. Nam quid tu verbis illis aliud ſignificare putas: *Vt ſitis filij patris veſtri qui in cælis eſt*, quam iſtiuſmodi Semideos effectos iri? Tales autem cum fuerint, quid à

Deo

Deo non impetrabunt, quid non conſequentur? quid vnquam ſuſcipient, quod non fœliciſſimè ijs ſuccedat? Mihi credite ipſe Deus tales reuerebitur, & honorabit. Quis enim adeò in hiſtoriarum monumentis peregrinus eſt, vt non aliquando audiuerit quid Ioanni Gualberto, ordinis Vallis Vmbroſæ acciderit? Hic cum aliquando capitalem ſuum inimicum in via offendiſſet,& iam vitam ei erepturus eſſet, per amorem Ieſu Chriſti Crucifixi obſecratus ſupplicanti inimico pepercit. Poſtea autem Eccleſiam quampiam tranſiens,vidit imaginem crucifixi prætereunti ſibi caput inclinare, & quendam velut honorem exhibere. Itane vero? Poteſtne præmium nobilius iſto reperiri,hoc honore excellentior excogitari?Quomodo Angeli eum reuerebuntur, quem ipſe Deus tantoperè honorat? Aut quid mundi Seruator ei denegabit, quem iſto modo colit atque obſeruat? Hoc deinde factum præcipua, & primaria cauſa fuit propter quam Sanctus ille vir mundum deſeruit, & diuino ſeruitio non frigidè aut remiſſe ſe addixit: fundans ordinem religioſorum, ſub cuius vmbra complures animæ in viua holocauſtomata Deo ſe immolauerunt. Mihi autem perſuaſiſſimum eſt, huius præcepti obſeruationem efficaciſſimum medium eſſe peccatorum remiſſionem obtinendi, mundum contemnendi, cum Deo ſe vniendi, Sanctorum patrocinia obtinendi, vitia ſuperandi, quaslibet virtutes acquirendi, & innumeris gratijs ac meritis ſe inſtruendi.

Seruiui 10. 12. Iulij.

CON-

CONCIO QVARTA.

PRO SABBATO QVINQVAGESIMAE.

Cum ſero eſſet factum, erat nauis in medio maris, &c.

POSTQVAM filius Dei hominum ſaluandorum cauſa de cœlo in terram deſcendiſſet, verus vt Deus vulgo à mortalibus haberetur, neceſſe fuit eum miracula quędam facere quibus fidem ac veritatem diuinitatis ſuæ confirmaret. Et quoniam Dei proprium eſt omnibus omninò creatis abſolutè imperitare, melius diuinitatem ſuam probare non potuit, quam oſtendendo quemadmodum omnes creaturæ ſubiectæ illi eſſent, & quomodo nihil ei plane reſiſtere poſſet. Aque hoc meo quidem iudicio illud'eſt, quod Deus D. Ioanni in Inſula Pathmo in viſione oſtendere voluit. *Apoc. 10.* *Vidi angelum Dei fortem, deſcendentem de cœlo, amictum nube, & iris in capite eius, facies eius erat vt Sol, & pedes eius tanquam columnæ ignis. Et poſuit pedem dextrum ſuper mare, & ſiniſtrum ſuper terram.* In hac viſione ſecundum plurimorum Doctorum opinionem per Angelum Filius Dei figuratur qui per myſterium Incarnationis de cœlo in terram deſcendit. *Rupert. lib. ſuper Apoc.* Hic primum velut nube coopertus deſcribitur, quia ad temperandam inacceſſibilem diuinitatis ſuæ claritatem, neceſſe erat humanitate eum noſtra veſtiri, quemadmodum ſubinde Solem nubecula aliqua operiri conſpicamur. Quamuis autem nube ita tectus deſcenderit, facie nihilominus ad inſtar Solis continuò fulgurabat: vt videlicet intelligeremus diuinitatem Seruatoris noſtri nunquam ita tectam fuiſſe, quin ſæpè miraculorum quaſdam ſtructuras eiacularetur, & radios æternæ ſuæ claritatis nonnullos effunderet. Pe-

des. deinde tanquam columnæ ignis erant, qua cùm hoc vnum ageret quomodo charitatis ignem in terra accenderet, neceſſe profectò erat in pedibus eum potiſſimum ignem circumferre, à quibus terra calcata ignem continuò conciperet. Quamuis autem in pulcherrima iſthac viſione multa obſeruatu digna reperiantur, mihi tamen vnum hoc propoſito noſtro conuenientiſſimum videtur, examinare quo modo Seruator noſter in ea nobis repræſentetur. Et principio quidem videmus Cœlum, & ſingula elementa aliquid ad hanc repręſentationem contribuiſſe: vt videlicet intelligeremus eum Regem ac Dominum vniuerſorum eſſe oportere, ad cuius perſonam cohoneſtandam vniuerſa aliquid contulerunt. Cęlum itaq; ſolem ei ſubminiſtrauit, à quo facies ipſius fuit illuminata. Ignis duas columnas ardentes, quæ ei pedum loco erant. Aër nubem, & Iridem, quarum hæc caput, illa corpus cōdecorabat. Terra denique, & aqua ſcabellum illi fuerunt, dum pedem dexterum in mari, ſiniſtrum autem in continente defixiſſet. Adeò videlicet Cœlum, Ignis, Aër, Terra, & Mare non aliter quam Deo ac Domino ſuo illi inſeruiuerunt. Dum autem Terrę ac mari pedem impoſuit, quid amabò aliud indicare voluit quam plenam ſe vtriuſque habere iuriſdictionem? Pedem enim rei alicui ſuperimponere, eſt poſſeſſionē capere, ſecundum illud quod Deus Iſraelitis terram Chanaan promittens dicebat: *Omnis locus quemcunq; calcauerit pes veſter, veſter erit.* Ad ſimilitudinem huius Angeli Alexandrum Magnum feciſſe legimus qui cum Perſis edomitis ad Indos etiam ſubiugandos proficiſceretur, ad confinia vtriuſque gentis perueniens vtrique termino pedem impoſuit dicens. *Hæc & hæc mea ſunt.*

Luc. 2.

Deut. 11

Iam quemadmodum Seruator noſter in hac viſione pedem vnum terræ imponens eius ſe iuriſdictionem habere indicauit, ita in hodierno Euangelio alterum mari imponit, ambulans ſuper fluctus illius, & æſtum ac tempeſtatem frangens, vt videlicet conſtet eum non minus maris quam terræ iuriſdictionem accepiſſe. Hoc autem euidentiſſimum illius diuinitatis argumentum eſt, ſiquidem ſoli Deo aquis abſolutè datum eſt imperare, iuxta Pſalmographi illud: *Tu dominaris poteſtati maris, motus autem fluctuum eius tu mitigas.* Tu inquit, non fabuloſus Neptunus

Pſal. 88

ptunus aliquis. Cui amabo Principum vnquam tale quid licuit? Author eſt Polydorus Virgilius Canuben Anglorum Regem cum à ſuis Dominus terræ, ac maris ſalutaretur die quodam ad litus conceſſiſſe, & amiculum Regium mari impoſuiſſe, ac ſimul iuſſiſſe ne aqua id madefacere auderet. Vix eo dicto fluctus veſtem inuoluit atque abſorpſit. Tum verò ille ad ſuos. Conſiderate amabò nunc quouſque poteſtas, & imperium meum ſe extendat, ſiquidem omni mea authoritate vnicum hunc fluctum repellere non potui. Solus ergo Ieſus Chriſtus maris Dominus eſt, quia hic ſolus illi dominatur. His ita dictis Vintonienſem vrbem ingreſſus Eccleſiam adijt, & ante imaginem Ieſu Chriſti in genua prouolutus diadema illi ſuum impoſuit, neque id de cætero amplius portare voluit dicens: Tu ſolus es ò bone Deus cui corona regia conuenit, ſiquidem tu ſolus es *qui dominaris poteſtati maris*. O inſignem pietatem! O admirabilem Regis deuotionem! O quantum ſanctiſſimum illud regnum mutatum ab illo eſt! Seruator autem noſter ideò ventis imperat, & tempeſtates frangit, vt cum tu tentationum fluctibus animam tuam quaſſari ſenties, ad eum refugias, & illius auxilium implores. Succurret ille tibi tunc citra controuerſiam, modò eum inuoces cum fiducia, ac humilitate. Sequitur in Euangelio, *Et ſtatim coegit illos aſcendere in nauim*; Quoniam autem maritima illa tempeſtas immediatè à Sancto Marco accidiſſe perhibetur, poſtquam videlicet Seruator noſter celebre illud miraculum deſignauiſſet, quo quinque millia hominum quinque panibus, & duobus piſcibus cibauit: Ideò duo nobis in citatis Euangelij verbis obſeruanda ſunt. Primum eſt vocula *ſtatim*. Secundum verbum *coegit*. Incipiamus ab aduerbio, quoniam id ipſe etiam Euangeliſta præmittit. Aderat populus refectionem accepturus, & *ſtatim* bolum adhuc in ore habentes, nauem ingredi, remos & gubernaculum manibus arripere iubetur: vt nimirum nos Chriſtiani intelligamus Deum non ideò gratias ſuas nobis conferre, ijs vt acceptis ignaui ſtertamus; ſed aptiores ad laborandum efficiamur. Mihi credite quiſquis Dei menſæ aſſidet, is Symbolum ſuum ſoluere debet. Meminiſtis reor quemadmodum Seruator noſter omnes

omninò

omninò mortales dona ijs ſua impertiturus ad ſe inuitarit, dicens: *Venite ad me omnes qui laboratis, & ego reficiam vos*. Verum ſubiungit immediatè. *Tollite iugum meum ſuper vos*. Ac ſi dicat: Nolite cogitare refectionem illam quam appromitto, ideò vobis datam iri, ſtatim vt poſt eam cubitum vos conferatis. Sed ſicut meſſores, & fœniſecæ pauliſper tantum reſpirantes, & aerem haurientes; è veſtigio ſuum ad laborem reuertuntur: ita cum vos à me refecti donum aliquod accepiſtis, mementote continuò iugum meum humeris veſtris imponere, ac operari. Refectionem enim quæ apud me ſumitur laborem ſubſequi neceſſe eſt. Cum Propheta Elias furorem impiæ Iezabelis fugiens ab itinere feſſus, ac exhauſtus ad arborem aliquantiſper quieturus ſe abieciſſet: adfuit confeſtim Angelus Dei alimenta illi aſportans. Reſpicit Propheta, & ecce ad caput ſuum panem ſubcineritium, ac aquæ lagenam videt: veſcitur, reficitur, refectus in ſomnum prolabitur. Verum vix oculos clauſerat, & adeſt confeſtim Angelus, vtque illicò ſurgeret monet, dicens; *Surge, comede, grandis enim tibi reſtat via*. Ideſt; Vtrum tu ergo arbitraris, ò Propheta, Deum ideò cibum tibi miſiſſe, eo vt tu ſumpto confeſtim quieti te dares? Surge, & ſi vis rurſus comede, ſed non vt dormias, verum vt ambules; grandis enim tibi reſtat via. His auditis Elias in viam ſe dedit, donec in montem Dei Oreb perueniens quadraginta ipſos dies ieiunus illic exegit. Manducauit itaque Elias: at ſimiliter laborauit. Refectus fuit, at deinde etiam ambulauit: Hoc enim fine Deus ſeruis ſuis alimenta, ac cibos ſubminiſtrat. Idem planè D. Paulo euenit, qui dum ineffabili illi diuinæ gloriæ abyſſo in cælo conſtitutus immerſus eſſet, Deus interea cũ Anania tractabat, quantum illum pati oporteret. *Ego oſtendam illi quanta oporteat illum pro nomine meo pati*. Hanc ille lectionem cum in cœlo ſibi audiuiſſe videretur, adeò eam tenaciter ad ſe reuerſus memoriæ infixit, paululum vt tantum ante apud Ananiam virium reſtaurandarum cauſa cibi ſumens, illicò ad laborem ſeſe contulerit, prout Scriptura teſtatur dicens: *continuo ingreſſus Synagogas, prædicabat Ieſum*. Vbi voculam illam *ſubito* nota, quæ ſignificat eum è veſtigio, omnibus alijs negotijs ſepoſitis ad Synagogas

Mat. 11.

3. *Re.* 19

Act. 9.

gas ſe contuliſſe, illic IESVM prædicauiſſe, pro quo tantum perpeſſurus erat: intellexerat enim, &, audiuerat iam ante in cœlo in domo Domini diſcumbere non ad quietem, ac otium eſſe, ſed ad laborem promptius deuotandum. Neque verò mirandum eſt Deum Eliæ, & Sanct. Paulo iſtud accidere voluiſſe, ſiquidem ſuæmet benedictæ Matri paſſus fuit id aduenire. Poſtquam enim ab Archangelo Gabriele velut à priuato, & domeſtico Doctore edocta fuiſſet, matrem Dei illam futuram, con-
Luc. 1. feſtim labori ſe accinxit, & ſicut S. Lucas ait, *ſurgens abijt in montana cum feſtinatione*, arripiens præ ſe iter arduum, ac permoleſtum, ad charitatem tanto melius exercendum. Et quam deinde illa ipſa in natiuitate lætitiam accepit, quam non è veſtigio dolor, ac moleſtia aliqua
Iob 7. fuerit ſubſecuta? Experta mihi crede illa fuit Iob illud verò verius eſſe, qui ait DEVM circa tempus matutinum hominem viſitantem, ac gratiam illi aliquam conferentem, non expectare meridiem gubernaculum, vt illi in manum tradat, ſed illico, ac confeſtim tentationibus, ac ærumnis eum exercere. *Viſitas eum diluculo, & ſubito probas illum*, inquit ille. Maneat proinde neminem mortalium, ſicut nec Diuipara Virgo, ab ineuitabili illa neceſſitate, qua Deus in gratijs, ac ærumnis diſpenſandis vtitur, eſſe exemptum. Audietis cras quemadmodum Spiritus Sanctus viſibiliter ſuper Seruatorem noſtrum deſcenderit, quomodo palam à Patre Filius appellatus fuerit, & quo-
Matt. 4. modo denique poſthæc *Statim Spiritus expulit eum in deſertum*, vt videlicet illic ieiunaret, cõtra Diabolum dimicaret, & labore ac inedia ſemet cõficeret. Quemadmodum ergo ille Diſcipulos refectos ſtatim coegit aſcendere nauim: ita quoq; illum ſolemni hoc à patre honore affectum *Statim Spiritus expulit in deſertum*. Obſeruent hoc mihi omnes omninò Chriſtiani, & cũ donum aliquod à Deo acceperũt, id ſe non ideò accepiſſe cogitent, vt in terrã defoſſum otietur, ſed potiùs vt exerceatur, & adhibeatur. Dic mihi nãque ô Chriſtiana ſeu Chriſtiane quiſquis es, nunquid confeſſus es, nunquid communicaſti, nunquid conſolationem aliqua per ſancta exercitia à DEO accepiſti? Accepiſti ſane: Age ergo, otiari ac feriari noli, profice indies, in virtutum ſtudio progredere, ac in primis in mortificatione.

Deus

Deus tibi opes ac diuitias contulit (nam & hæc Dei dona ſunt etſi viliora ?) ex ęquo in pauperes eas diſtribue, tametſi aduerſo flumine id tibi natare eſſe videatur. Devs tibi peculiare aliquod Sapientiæ donum impertiuit ? caue apud te abſoleſcat,doce mihi ignorantes,conſule indigentibus,erudi erroneos. Quod ſi hæc & iſtiuſmodi alia duriuſcula tibi videantur,cogita non magnā voluptatem Diſcipulos ex eo percepiſſe,quod bolum in ore adhuc tenentes, remos ac gubernacula manibus inuadere compulſi ſunt; quod tamen illi hilari ac prompto animo fecerunt, Seruatoris vt ſui voluntati morigerarentur.

Altera vox quæ nobis hoc loco obuenit conſideranda, eſt *coegit*. Nouum namque reuera & non immerito inſolens poſſit videri homines, ad eò dociles & morigeros, quales quidem Apoſtoli erant, vt nauem conſcenderent cogi debuiſſe. Verum ſi conſideremus Seruatorem noſtrum eos à ſe ſubmouiſſe, ipſum autem in continente manſiſſe, quodque id refectione iam ſumpta & pane miraculoſo comeſto contigerit, tum verò nequaquam id ibimus admiratum.

Quiſquis enim ſemel Seruatoris noſtri dulcedinem deguſtauit,is non niſi ægrè ac difficulter ab eo diuelli poteſt ac ſeparari. Quod ſi menſę accumbentes ac ferculo delicato iam comeſto, ſi cum homine præclaro & excellenti conuerſantes, interturbati & auocati indignamur atque dolemus: quis non doleat à Seruatore ſuo auelli, *in cuius labijs gratia diffuſa eſt*, ſecūdum Dauidem? Quis non ægrè ferat iucundiſſimo ac delicatiſſimo conuerſationis diuinę ferculo ſe ſpoliari, de quo ſpiritus Sanctus ait: *Spiritus meus ſuper mel dulcis, & hæreditas mea ſuper mel & fauum?* Non mirandum itaque eſt ſi illi qui Seruatoris noſtri intrinſeci erant, ab illo ſe auuelli ægrè tulerunt: & ſi vis aliqua ijs adhibenda fuit, vt nauem conſcenderent, qui nihil aliud quam cum amabiliſſimo ſuo Magiſtro epulari cogitabant?

Nos autem qui Dei noſtri delicias vix ac ne vix quidem primoribus labris deguſtamus, ab eo nos ſeparari non per moleſtè ferimus. Ex hoc diuinarum dulcedinum fonte ſemel cum tantum S. Paulus in tertium cœlum raptus, ac

non niſi obiter aliquid delibauiſſet, adeò deinceps ardenter eundem ad locum emigrare deſiderauit, aliud vt non optaret, quam carnis compedibus eximi, & ſurſum euolare. Vnde dicebat: *Coarctor nimis, deſiderium habens diſſolui & eſſe cum Christo.* Retinebat ergo illum hic in terris charitas, per quam diſcipulorum ſuorum ſalutem vnicè ſitiebat; & extimulabat viciſſim eorum recordatio quæ in cœlo guſtauerat, aliud vt non petere quam mori & Deo ſuo coniungi. Hoc videlicet vocula illa *Coarctor*, ſignificat, qua ſatis ſuperque indicat inter duas ſe res conſtitutum, quarum vna eſt mundo valedicere, altera media id faciendi non inuenire, & quo ſe vertat diſpicere ſatis non poſſe. Quemadmodum ergo falco præda ſibi ex vnguibus erepta mirabiliter certat & luctatur, ac velut pro aris & foris digladiatur, rapinam vt rurſus ſuam indipiſcatur: ita ſi deuoto animo Diuinarum dulcedinem latex, quem ille tantoperè inueſtigauit, eripiatur: ſibijpſi ſatisfacere non poteſt, donec eiuſdem poſſeſſionem rurſus adipiſcatur. Hanc autem ægrimoniam & difficultatem quiſquis in te non experiris, mihi crede influetiarum cæleſtium particeps necdum factus es, quas Deus ijs infundere & communicare ſolet, quia dulcedine vberum ſuorum ſemel potati ac inebriati ſunt. *Mibi autem*, dicebat Regius Propheta Dauid. *adhærere Deum bonum eſt*; ac ſi dicat. Inter omnes voluptates ac delicias huius mundi nulla æquè me paſcit & recreat, quam Deo meo coniugi & copulari. Vtebatur eadem phraſi S. Paulus cum diceret: *Qui adhæret Domino, vnus ſpiritus fit cum illo*. Cur enim id amori Diuino non liceat, ſiquidem S. Pater Auguſtinus humano amore in tantum amicorum ſuorum non neminem proſequebatur, eum vt *dimidium animæ* appellaret, oſtendens dilectionem ex duabus animabus non niſi vnam effeciſſe? Quin amor Dei maiorem adhuc inter Deũ & animam vnionem ac copulam generat, ſiquidem ſecũdum Diuum Paulum vnus ſpiritus ambò efficiuntur. Vnde patet animam aliquam ſyncerè & medullitus Deum ſuum diligentem, cum periculum adit ne ab illo ſeparetur, non minorem moleſtiam ac dolorem perpeti, quam ſi in duas partes diſſecaretur. Quod ſi iam etiam amori iſti qui animam cum Deo adeò ſtrictè copulat, familiaritatem,

Margin notes: 2. Cor. 12. — Pſal. 72. — 1. Cor. 6. v. 17.

tem, vſum, ac conſuetudinem adiunxeris, extra controuerſiam eſt, animam iſtiuſmodi aliquam extremo dolore perfundi oportere. Hinc cum Capharnaitæ à Seruatore noſtro propter doctrinæ difficultatem ſuper Sacramento altaris propoſitæ diſceſſiſſent. S. Petrus id conſpiciens propius Magiſtrum ſuum acceſſit. Cum enim ille ad Apoſtolos ſuos conuerſus interrogauiſſet, *Nunquid & vos vultis abire?* S. Petrus reſpondit: *Domine quo, ibimus; Tu verba vitæ æternæ habes.* Vbi aduerte quod dicat quò ibimus, hæc enim verba hominis anxij ſunt, & quò ſe potiſſimum conferat non ſatis diſpicientis. Arbitrabatur videlicet ille abſque Domino ſuo ſi eſſet, nec cœlum, nec terram, nec mare, nec aliam mundi plagam ſecuram ſibi ſatis eſſe poſſe. Ita namque omninò ſe habet qui verè & ex animo Deum diligunt, locum non inueniunt in quo acquieſcant, niſi Deum pariter illic inueniant, *quid mihi eſt in cœlo* dicebat Propheta Dauid, *& à te quid volui ſuper terram? Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.* Non facio ego malè dum tuam conuerſationem expeto, certos enim ſum, quod omnes qui elongant ſe a te peribunt, quemadmodum ea perire ac interire ſolent, quæ extra centrum ſuum conſtituta ſunt. Videtis iam num credo Auditores quam Regius Propheta Dauid & S. Petrus in ſpiritu conformes extiterint. Verum videamus adhuc accuratiùs, quamnam ob cauſam S. Petrus adeò ægrè & difficulter a Domino noſtro ſe paſſus fuerit auelli: ait ergo, tu verba vitę æternę habes, guſtauerat ille videlicet conuerſationem Domini noſtri, animaduerterat in illo cœleſtem quandam ſapientiam, perſenſerat eum verba vitæ æternæ habere, & ideò ab eo ſeparari mortem interpretabatur. Nec fallebatur ſanè: eſt namque reuera Seruator noſter vita noſtra, quemadmodum ipſemet inquit, & poſt eum S. Paulus. Socrates cum diſcipulum haberet qui ab illius conſpectu ſe diſcedere nollę dictitaret, exprimentum ſumendi cauſa baculum manu corripuit, eum niſi diſceſſiſſet illicò verberaturus. Cum ecce tibi diſcipulus ille caput inclinat, humeros attollit, & ad verbera excipienda ſe præparat dicens: *Nullus eſt tam durus baculus, qui me à te ſeparare poſſit:* quod ſi cõuerſatio hominis alicuius tantũ poteſt ac efficit; Quid familiari-

Ioan. 6.

Pſal. 72.

Ioan. 1

Coloſ. 1

tatem cum Deo effecturam non putas, ea cum animæ alicui carendum eſt? Certè S. Paulus diſertis verbis confitetur, neque vitam, neque tribulationem, neque famem, neque nuditatem, neque pericula, neque perſecutionem, neque præſentia, neque futura, neque creaturam vllam aliam ſe a charitate Ieſu Chriſti poſſe ſeparare: Et quid mirum eſt, ſi diſcipuli cogendi fuerunt, nauem vt aſcenderent, & à Domino ſuo ſepararentur, cum quo adeò familiariter vixerant, & cuius pane miraculosè multiplicato refecti fuerant? Curate proinde fratres mei aliquid vt ſaltem ex Deo delibetis, quo omnem appetitum mundanarum affectionum amittatis. Si namque ſemel hunc tantum guſtaueritis, mihi credite, cum ſponſa illicò exclamabitis: *Meliora ſunt vbera tua vino, fragrantia vnguentis optimis*, ac ſi dicat. Iuro ego, & proteſtor dilecte mi, omnia vina gaudiorum ac voluptatum mundanarum, omnem fragrantiam vnguentorum optimorum, inſtar ſterquilinij eſſe, reſpectu dulcedinis vberum tuorum. O dulce lac! O delicatum liquorem qui de pectore tuo promanat! Nutrit reuera ille ac innouat animas non aliter quam lac infantes Si autem nunquam id agitis ad Dei vt familiaritatem vos diſponatis, quomodo eum cognoſcere poteritis: & ſi eum non cognoſcitis, quomodo eum deſiderabitis? ſequitur in Euangelio: *Et cum ſero eſſet factum, erat nauis, &c.* Vix credam auditores Ciceronem vel Demoſthenem melius, & accuratius tempeſtatem illam, & periculum quod Apoſtoli à Domino ſeparati adiuerunt, deſcribere potuiſſe, quam à S. Luca Euang. factitatum eſt. Dicit enim in principio eos nauem conſcendiſſe, vbi pluribus verbis opus non erat ad periculum in quo verſabantur demonſtrandũ: quippe cum ij qui mare nauigant, etiam cum malatia eſt, non plus tribus digitis à morte diſtent, provt Anacharſis dicebat, tabulas nauis intelligens, quæ groſſitie tres digitos non excedebant. Attamen huic periculo omnibus nauigantibus communi alia adhuc diſcrimina adiungit, dum primo ait, *erat nauis in medio mari:* Secundo; *cum ſero eſſet factum:* Tertio, *erat enim ventus illis contrarius:* quarto denique dum tempeſtatem iſtam tota nocte durauiſſe inſinuat, dicens Seruatorem noſtrum circa quartam vigiliã noctis, quæ paulò ante auroræ exortum eſt, ad diſcipulos

Rom. 8. Cant. 6.

ſuos

ſuos acceſſiſſe. Hác autem tempeſtatem dum auditis, quid amabò cogitatis? aut quannam tribulationem Apoſt. ſuſtinuiſſe exiſtimatis? Vtvt ſi tempeſtas ac periculum tantum eſſe non poterat quin ab eodem Deo qui eos illi expoſuerat, confeſtim liberarentur. Ita videlicet Chriſtiani, Deus vos diſcriminibus ſubducit, in quæ voſmet veſtrapte ſponte procurritis ac prouolatis. Ex ijs enim in quæ ille vos adducit, modo vos aliquid tantum pro virili adiuuetis, facili negotio, & ad maiorem ſuam gloriam educit. Recenſens Scriptura ſacra quemadmodum Patriarcha Iacob cum Angelis luctatus fuerit, inquit: *Certamen fortè dedit ei vt vinceret, & ſciret quoniam omnium potentior eſt ſapientia.* Sap. 10. Vbi S. Cyrillus docet ipſum filium Dei fuiſſe, cuius Adu. Iul. poteſtas infinita eſt, cum quo Iacobus dimicauit. Quod ſi Iacob ſuapte ſponte Deum cum illo luctaturus, fuiſſet aggreſſus, vtique ſuccubuiſſet: Deus enim ad vires illius naturales nihil addidiſſet, quæ haud aliquanto debiliores erant, quam vt aduerſarium adeò fortem, & robuſtum ſuſtinerent. Verum quoniam à Deo in id diſcriminis adductus erat, ideò etiam conuenire videbatur, ad naturales vt illi vires aliquid adderetur, & verò etiam aduerſarij robur nonnihil minueretur: hæc enim duo neceſſaria illi erant, vt victor lucta excederet. Quis vnquam exiſtimauiſſet, Ioſephum in flore ætatis conſtitutum, ac innumeris carnis ſtimulis, & concupiſcentiæ titillationibus expoſitum, improbas nobilis, & elegantis mulieris Ægyptiacæ ſolicitationes fuiſſe auerſaturum? Et tamen quoniam à Deo in id certamen, prouocatus erat, dubitandi locus non relinquebatur, eum victoriam relaturum eſſe, *vt ſciret* (ſicut Iacob) *quoniam omnium potentior eſt ſapientia*: & quod fortitudo Dei à quo in id periculum deductus erat, potentior eſſet quam adulteræ malitia, à qua ad peccatum inuitabatur. Quis aliquando non legit quanto in periculo carnis conſtitutus, & quibus concupiſcentiarum facibus Sanctus Paulus fuerit vſtulatus? Hinc enim ipſemet ait: *Propter quod ter Dominum rogaui vt auferretur à me.* Timebat enim, tantum vt conſtantiæ haberet, quod aduerſario adeò potenti, & importuno ſatis eſſet: ſed dum ita ſe cum Iacob, & Ioſeph diſponit, quod metueret nihil habeat. Non enim ipſe tentationem ſibi accerſiuerat,

ſed à Deo ſibi immiſſam ſuſtinebat, *Vt ſciret quoniam omnium potentior eſt ſapientia.* Hinc cum in maximis anguſtijs verſaretur, Dominus eum conſolabatur dicens: *Sufficit tibi gratia mea*; ac ſi diceret. Nunquid viribus deſtitueris? At ſupplebo ego defectum illarum gratia mea, vt videlicet intelligas ſapientiam Dei, quæ hæc permittit, fortiorem eſſe malitia Diaboli qui te inquietat. Audite obſecro quemadmodum Dauid vndique periculis ſeptus, & circumuallatus loquatur: *Induxiſti nos*, inquit, *in laqueum, poſuiſti tribulationes in dorſo noſtro, impoſuiſti homines ſuper capita noſtra*; Ac ſi dicat. O bone Deus, quem tot pericula non frangant atque exaniment? A calce vſque ad caput diſcriminibus circumſepti ſumus. Circumueniſti pedes noſtros laqueis, oneraſti humeros noſtros, ac denique ipſis capitibus homines impoſuiſti, vt videlicet nos peſſundarent, ac pedibus proculcarent. Verum quid tu mihi Propheta lamentaris? an non confiteris Deum te huic periculo expoſuiſſe? Etſi id cognoſcis, nunquid etiam intelligis nihil te timere oportere, & ex omnibus iſtis tribulationibus breui te liberatum iri? Ita namque poſtea euenit, quemadmodum ipſe Dauid in ſequenti verſiculo confitetur dicens: *Tranſiuimus per aquam & ignem, & eduxiſti nos in refrigerium*. Conſiderate mihi paulisper Chriſtiani, quemadmodum fortis ac magnanimus ille Rex laqueos, & compedes confregerit, diuerſas tribulationes ſuſtinuerit, vrſos vicerit, leones lacerarit, hoſtibus ignouerit, & de gygante triumpharit: Conſiderate mihi deinde etiam quemadmodum ipſe ſuapte ſponte in periculum ſe coniecerit, & videbitis quemadmodum id euadat. Intuemini mihi illum in cancellis hærentem, oculos huc & illuc conijcientem, fœminam curioſius aſpicientem: & intelligetis confeſtim eum qui vrſos deuicerit, leones ſtrangularit, de gygantibus triumpharit, à nuda muliere ſuperatum. Quis verò hanc mutationem non admiretur? Et tamen aliam cauſam non habet quam quod ſuperiora illa pericula ipſemet ſibi non creabat; Deus enim in ea illum induxerat, *vt ſciret quoniam omnium eſt potentior ſapientia.* Ad extremum autem quod attinet illud deliberato ſibi ipſemet animo acceſſiuit: & ideo Deus eum dereliquit vt humanam infirmitatem diſceret quæ Diuina ope non adiuuatur.

Pſal. 63.

adiuuatur. Caue proinde & tu Chriſtiane ne pericula tibi ſtruas: Spiritus ſanctus enim aſſeuerat eum qui periculum amat in periculo periturum eſſe. Sin autem præter votum tuum in tentationem, aut tribulationem aliquam adduceris, tum verò bono animo eſto, confide in Deo, ac certò tibi perſuade illius te opera victoriam reportaturum; quemadmodum etiam Apoſtolis contigit, qui nonniſi coacti nauem aſcenderunt. Quo autem facilius adhuc illius auxilium obtineas, caue ne fiducia illa quam in eum habes ſegnem te faciat, & ſocordem. Labora autem mihi potius quemadmodum diſcipuli feciſſe perhibentur: de quibus Euangeliſta expreſsè ait: *erant laborantes in remigando*, vt videlicet nos docerent ad pericula ſuperandum, & euadendum Deum pariter, & nos neceſſarios eſſe. Si ille nobis non ſuccurrat, labor noſter parum proderit, quemadmodum etiam Apoſtolorum ille, donec ipſemet Seruator noſter ad eos acceſſit: ſi autem non laboremus, etiam nobis non ſubuenit. Laborandum itaque eſt, vt ad nos veniat, & vbi ad nos venerit, tunc omnibus periculis exemptos nos iri certò confidamus. Repræſentant hoc nobis Ezechielis illa animalia, quæ alas habebant, *& ſimilitudo manus hominis ſubtus pennas eorum*. Cap. 1.
Quod nihil aliud ſignificat quam iuſtos, qui per animalia illa denotantur, duabus rebus ad bene volandum indigere; puta alis quæ hominum opera ſunt, & manu Dei, quæ illius auxilium, & ſubſidium repræſentat. Conſiderabat hæc S. Bernardus, dum ſuper ſponſæ verba illa in cãticis commentatur, *Trahe me poſt te, curremus in odorẽ vnguentorum tuorum*. Vbi ſponſa infirmitatem ſuam confitetur, propter quam curſum incipere non poſſit: Et idcirco ſponſum obſecrat vt ſe trahat, non autem per vim abripiat; ſi enim ad id cogenda eſſet, trahi non peteret, hominis adinſtar alicuius infirmi, cui virium ſatis non eſt, & qui alterius auxilio opus habet, finem vt ſuum conſequatur. Et agnoſcit quidem illa ab vna parte liberũ ſuum arbitrium, ab altera autem eiuſdem infirmitatem poſt peccatum inuectam. Hinc ergo ait: *Curremus in odorem vnguentorum tuorum*: Ac ſi diceret Obteſtor ego proinde te ſponſum meũ, vt me poſt te trahas: non deſidero ego otiari, non cupio feriari; faciam tantum, & ego, quantum pro virili mea potero;

Serm. 1 ſup. Cã.

tero;ſicque ambò ſimul curremus,oportet autem id te adferre quod præ omnibus maximè neceſſarium eſt, videlicet gratiam præuenientem quæ totaliter tua eſt. D.Paulus vniuerſam hanc pulcherrimam doctrinam paucis admodum verbis complectitur, ad Corinthios ſcribens: *Gratia Dei ſum id quod ſum, & gratia eius in me vana non fuit, ſed abundantius illis laboraui*: Ac ſi dicat. Sum ego minimus Apoſtolorum, Attamen quantus, quantus ſum, gratia Dei ſum,non meritis meis. Fateor autem,& illud gratiam me iſtam in vanum non accepiſſe, neque enim poſt hanc feriatus ſum, ſed plus omnibus reliquis Apoſtolis laboraui. Verum autem & illud eſt non me ſolum laboraſſe, ſed gratiam Dei mecum. *Non ego, ſed gratia Dei mecum*, & hac auxiliante plus omnibus laboraui, quibus verbis Apoſtolus confitetur Deum ſibi non defuiſſe; ſeque etiam labori non perperciſſe. Idem cuilibet Chriſtiano faciendum eſt, vt quantum poteſt laboret; quemadmodum Iacob cum Angelo luctantem Ioſeph ab adultera ſollicitatum S.Paulum à carne exſtimulatum,& denique Apoſtolos tota nocte remigantes feciſſe oſtendimus. Agite proinde Chriſtiani mei, quoniam iam nunc cum quadrageſimæ initio triſte pœnitentiæ mare inuecti ſumus, & iam altum ieiuniorum, ac ſpiritualium exercitiorum Deo obedientes tenemus,ſi ſubinde tentationum aliquos ventos experiamur (quales Diabolus nunquam non contra eos excitat, qui per omnia Seruatori ſuo morem gerere volunt recurramus confeſtim ad gubernaculum,amplectamur virtutem, ac ſancta, & religioſa exercitia non intermittamus. Ille enim cuius iuſſu iter illud ſuſcepimus, pro virili noſtra laborantes nos videns, ventos componet, tempeſtatem ſedabit, velut diſcipulis ſuis nobis apparebit,non quantum ad corpoream præſentiam,quæ neceſſaria non eſt,ſed quātum ad auxilium gratiæ ſuæ, quo nunquam nos deſtituet, donec aliquando in ſempiternæ gloriæ portum inuecti, nautarum inſtar lætum celeuſma cantemus.

1.Co.15

CON-

CONCIO QVINTA,

PRO DOMINICA PRIMA QVADRAGESIMAE, QVAE Inuocauit dicitur.

Ductus eſt Ieſus à Spiritu in deſertum. Matth. 4.

HAbent hoc omnes ex hoſte relatæ victoriæ tanto vt plus laudis ac decoris victoribus concilient, quanto qui ſuccubuerũt fortiores ac formidoloſiores vulgo habebantur. Hinc cum Virgilius latinorum Poetarum princeps Aeneæ victoriam deſcribendam ſuſcepiſſet, totus in Turni magnanimitate efferenda occupatur: intelligens videlicet quo terribilior hoſtis erat, hoc illius domitorem amplius laude affici & celebrari oportere. Ad eundem modum Scriptura Dauidis à Gygante relatam victoriam poſteritati commendatura, tota in hoſtis deſcriptione verſatur, quo videlicet illius truculentia, membrorum vaſtitate, armorum pondere, & animi incredibili faſtu ac arrogantia perſpecta, quilibet liquido ac euidenter conſtiſtituat, Dauidem admirabilis animi ac fortitudinis adoleſcentem eſſe oportuiſſe, qui hoſti tam crudeli caput à ceruicibus reſecarit. *1. Reg. 17.* Et quoniam nobis hodierna die de ſupremi noſtri Capitanei & Imperatoris Ieſu Chriſti victoria aliquid in medium expromere conſtitutum eſt, quo facilius propoſito huic meo ſatisfaciam, & verò accuratius Rhetorum me regulis ac præceptis accommodem, ante mihi de ipſius hoſtis fortitudine, robore & dexteritate dicendum eſt, vt nimirum eius immanitate perſpecta, tanto plus laudis Seruatori noſtro adhibeatur; qui eum adeò fortiter afflixit & ſubiugauit. Verum qui amabò nobis incredibilem illius crudelitatem ac barbariem eſt deſcripturus? Nemo mihi credite magis graphicè & ad viuum depicturus illum eſt, quam ſupremus ille rerum

auctor,qui ſicut eum condidit et creauit,ita vnus omnium optime illius malitiam cognitam ac exploratam habet. Eo ergo dictante ac inſpirante patientiæ illa Idea Iob his fe-
Cap.41. rè verbis eum deſcribit *Corpus eius ſcuta fuſilia, compactum ſquamis ſe prementibus: vna vni coniungitur & ne ſpiraculum quidem incedit per eas*. Vbi ver Dei Diabolum ſub Balenæ nomine depingit,cuius magnitudo vaſtitasque tanta eſt,vt in mari apparens mons quiſpiam editus ac excelſus eſſe videatur. Et ſequitur: *ſternutatio eius ſplendor ignis,&*
Satana *oculi eius vt palpebræ diluculi: halitis eius prunas ardere facit,*
vires. *& de ore eius lampades procedunt tanquam tedæ ignis accenſæ*. Quam periphraſin poſtea his verbis concludit. *Non eſt poteſtas ſuper terram quæ comparetur ei*. Id eſt: nec vrſorum immanitas:nec tygridum crudelitas,nec taurorum rabies, nec leonum furor, nec monocerotum violentia cum hoc terribili mōſtro componi poteſt ac comparari. Et quamuis quæ hactenus ad Diaboli communis humani generis hoſtis deſcriptionem à Iobo allata ſunt, ſatis ſuperque illius immanitatem declarare poſſe videantur, tamen mihi crede parum hoc eſt,ſi cum ijs quæ dici poſſunt aut debent, id compararis Cum enim Diabolus merus ſpiritus ſit,quæ tu verba materialia,aut figuras corporeas quantumuis terribiles imaginari potes, quibus immenſam illius truculē-
Greg.32. tiam ac malitiam repræſentes? D. Gregorius ſuper B. Iob
Maral. commentatus, tria admodum nomina in quadrageſimo
c.20. capite attributa illi fuiſſe animaduerti Primum eſt *Behemoth*, quod Elephantem ſignificat. *Ecce Behemoth, quem feci tecum,&c.* Secundum eſt *Leuiathan*,quod Balenam ſonat, *An extrahere potes Leuiathan hamo?* Tertium eſt auis. *Nunquid illud eſt ei quaſi aui?* Vbi primo aduertes quemadmodum tria tantum elementa ſunt,videlicet aqua, terra,& aer,quæ corpora viua ac animata patiantur: Ita quoque tres animalium ſpecies aſſignari,puta aquatilium,terreſtrium,ac volatilium. Secundo aduerte Diabolum primo Balenæ, quæ aquaticum animal eſt, tum elephanto qui terreſtris; ac deniq; aui, quæ aerea eſt non inuenuſtè comparari: quo videlicet intelligamus, eum non modò iuratum ac capitalem humani generis hoſtem eſſe, ſed etiā ex tribus diuerſis naturis ac complexionibus conflatum ac coagmentatum. Accedit huic alia adhuc proprie-

tas

Digitized by Google

tas haud aliquanto illa pernicioſior, quod videlicet nullus in rerum natura locus eſt, quem ille non ſtratagematibus ſuis nobilem famoſumq; efficiat. Etſi enim propria & naturalis illius habitatio in igne ſit, attamen per aerem, aquã & terram promiſcuè vagatur & graſſatur, vbiq; retia tendens, & laqueos incautis ac imprudentibus ponens Hinc ſi cum in terra velut Elephantem ſuperaris, contemnendo videlicet fluxa & caduca huius mundi bona, inuadet e cõtra te in aquis, & in ſordibus ac cœno carnalium voluptatum circumreptans te oppugnabit. Quod ſi etiam ibi victoriam reportaris, aggredietur te in aere vanę gloriæ, ſuggerens quod à te ſuperatus ſit, non Diuinæ omnipotentiæ, ſed tuis viribus aſcribendum eſſe. O admirabilem & inſignem ſtrategum! Patet huc in Seruatore noſtro quẽ quot ille quæſo modis ac rationibus fuit aggreſſus? Principio quidem in morem Balenæ per gulam ac ingluuiem ieiunantem tentauit: tum deuictũ ſe videns ad inſtar Elephanti amore rerum terrenarum eum aggreſſus eſt: proponẽdo ac offerendo illi totius mundi regna, atque dominia, ſi in genua prouolutus ſe adorauiſſet. Verum cum nec ſic quo volebat euaderet, in auem ſe traſmutans per vanam gloriam illum aggreditur, ac in templi pinnaculum euectum ſemet dimittere iubet, vt ſi illæſus præſtitiſſet S. ab omnibus haberetur. Ecce vobis auditores breuem ac ſuccinctam tantũ Diabolicorum ſtratagematum deſcriptionem Quæ nos Chriſtiani audientes ac intelligẽtes, quomodo quæſo à nobis impetrare poſſumus, adeò vt ſalutis . noſtræ negotijs indormiamus, adeò negligenter excubias agamus, & nihil minus quam de aduerſarij noſtri inſidijs detegendis cogitemus? O ſalus animarum noſtrarum Ieſu Chriſte. O magnanime & illuſtris Imperator, apprehende manibus arma & ſcutum, ac quemadmodum nos ea contra illum adhibere debeamus rudibus & ignauis oſtende. Et quoniam capitalis & exitialis noſter inimicus fortitudine, induſtria, malitia, audacia, multis paraſanguis nos ante vertit, oſtende nobis quemadmodum per diligentiam id ſupplere debeamus quod de noſtris viribus ac robore promittere non valemus. Fieri enim plane non poterit, vt ſi quemadmodũ gnaui ac diligentes diſcipuli ſolent Magiſtro huic noſtro aures præbuerimus, non confeſtim admirabilem quendam

co-

cognitionem non referamus. Et quoniam Seruatori noſtro hodierna die duello contra Diabolum confligenti aliud propoſitum non eſt quam ad oculum nobis demonſtrare quemadmodum aduerſarij noſtri impetus declinare, & actus ſubterfugere debeamus, aſſiſtamus aliquantiſper ſpectatores huic certamini, videamus qualem ſe fortis ille athleta oſtendat, & mihi credite certiſſimas rationes inueniemus, quibus inimicum noſtrum deuincere poterimus & ſubiugare. Ait ergo Euangeliſta: *Ductus eſt Ieſus à ſpiritu in deſertum*. Vbi aduerte primum ad fœliciter confligendum requiſitum eſſe locum munitum & ſolitarium ſortiri, & potius in deſertum quam in Apricum ac puluerem ſeſe recipere. Idem hoc conſilium parturienti illi mulieri ſuggeſtum fuit, quam draco obſidebat, puerum vt ex ea naſciturum inuaderet & aggrederetur. *Et data ſunt ei*, ſcriptura, *alæ duæ aquilæ magnæ, vt volaret in deſertum in locum ſuum*: Vbi tu draconem Diabolum interpretare, qui animas quas bonum aliquod opus parturire, & iam in effectum ducere velle videt, protinus inuadit atque laceſſit. Quę vt etiam fęliciter partum ſuum edant neue Diaboli artibus ac incantationibus abortum patiantur, ideò aquilarum pernices ac celeres ſibi alas aſſumunt, quo videlicet celeriter in deſertum ſeſe proripiant, huius mundi occaſiones fugiant, inter quas iuſti etiam conſtituti vix aliquando cauere ſibi ſatis poſſunt: *Quis dabit mihi in ſolitudine diuerſorium viatorum*, inquiebat S. Propheta Ieremias, *& derelinquam populum meum & recedam ab eis, quia adulterantes ſunt cœtus prauaricatorum*; Omnes inquit illi adulteria committunt, qui fidei & obedientiæ quam Deo debent obliti phantaſmatum ſuorum Idololatræ fiunt. Omnes eorum cœtus ex prauaricatoribus conſtant, qui legem Dei eiurantes, ſuorum appetituum ſtolidos impulſus ac ſuggeſtiones ſequuntur. Inter hæc autem tam diuerſa ac multiplicia mala quis ſibi appromittere poterit nunquam ſe in malitiæ manus eſſe peruenturum? Cum his Ieremiæ Prophetæ votis optationibus Regis etiam Dauidis preces ac deſideria congruunt, qui ait. *Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ & volabo & requieſcam? Ecce elongaui fugiens & manſi in ſolitudine*. Vbi nota Apocalypticam illam mulierem aquilinis alis, Dauidem

[Margin notes: *Apoc. 12.* — Occaſiones peccati fugiendæ. — *Cap. 9. v. 2.* — *Pſal. 45.* — Alæ aquilinæ & Columbinæ.]

dem autem Columbinis inſtructum fuiſſe, quo videlicet intelligamus Deum vnicuique prout indiget ac opus habet, ſubuenire & auxiliari conſueuiſſe. Alæ columbinæ Dauidi ſufficiebant quia fortis ac robuſtus erat: mulier autem iſta velut debilioris ac infirmioris complexionis, & vero etiam quia partui proxima, erat, ideo aquilinis alis opus habebat ambo autem ad deſertũ ſe contulerunt, quia alibi ſe conquieſcere poſſe deſperauerunt Notate deinde Dauidem non ad aliquod ſpatium fugere contentum fuiſſe, ſed quam poterat longiſſimè à ciuitate abſentare ſe voluiſſe, hoc enim verba illa ſignificãt: *Ecce elongaui fugiens.* Docemur autem & nos veram fugam in eo conſiſtere, vt quam potes longiſſimè ab occaſionibus te ſeiungas, non quemadmodum nonnulli, qui admirabilem ſolitudinis amorem iactitantes, mali interim occaſionem præ foribus habent. Quod ſi aliqui ex vobis quæſierit, quamnam potiſſimum ob cauſam Propheta Dauid in intimam ſolitudinem penetrare deſiderarit, illemet id vos docebit dicẽs: *Quoniam vidi iniquitatem & contradictionem in ciuitate. Tota die circumdabat eam ſuper muros eius iniquitas, & labor in medio eius & iniuſtitia: & non defecit de plateis eius vſura, & dolus.* Videre amabò auditores num iſtiuſmodi peccata & iniquitates in veſtris etiam ciuitatibus reperiantur. Conijcere pauliſper oculos in ambitum murorum veſtrorum & videt vtrum intra eos infamium aliquid locorum, fornicum, & luſtris ac fornicationibus deſtinatorum impune reperiatur. Nihil opus eſt angulos & ſecretiores eorum partes curioſius perluſtrare, ſiquidem ipſæ plateę, vici, & fora malo ac ſceleribus paſſim redundat. Vnde merito cum Dauide dicere poſſumus. *Non defecit de plateis eius vſura & dolus.* Hæc autem ita ſe habere ſi meridiana luce clarius eſt nunquid meritò in deſertum & ſolitudinem nos recipere poterimus? Legimus S. Arſenio vocem de cœlo delapſam infuſam fuiſſe. *Fuge homines & ſaluaberis.* Hoc conſilium, hoc monitum, hanc vocem nemo paulo ſapientior eſt, qui non æque ſibi ac Arſenio dictum fuiſſe arbitretur. Hæc autem Auditores mei non idcirco à me in medium adferuntur, omnes vt in Eremum retrudam, ac in deſertum ſolitudinemque inuitem. Illud mihi tantum hoc loco propoſitum eſt vos quam ſtudioſiſſime commonefa-

cere

cere,& admonere,vt quantum fieri poteſt hominum ſocietatem ac conuerſationem fugiatis,& tunc omninò optimè
Cap.9. vobis vos conſuluiſſe exiſtimetis, quando intra priuatos
v.4. parietes vos receperitis, prout Propheta Ieremias conſuluit dicens: *Vnuſquiſque à proximo ſuo ſe cuſtodiat, & in omni fratre ſuo non habeat fiduciam, quia omnis frater ſupplantans ſupplantabit,& omnis amicus fraudulenter incedet* Quod ſi iam neque fratri ſuo germano ac vterino fidere tutum videtur, quis non ſuapte ſponte in ſolitudinem confugere,& hominum ſocietate excedere lubens velit? Nunc prima Seruatoris noſtri lectione explicata,alteram aggrediamur. Ea his ferè verbis continetur: *Et cum ieiunaſſet,* &c. Dum enim in ſolitudinem confugimus, hominum contradictionem ſuperamus, & dum ieiunio corpus affligimus,propriam noſtram carnem ſubiugamus. Ad hunc namque modum S. Paulus conflictus ſe ſuos inchoaſſe confitetur dicens: *Ego autem ſic pugno, non quaſi aerem verberans,ſed caſtigo corpus meum & in ſeruitutem redigo.* Ama-
1. Cor.9. bò vos Auditores mei,acquando vos iuſtiuſmodi pugnandi ac dimicandi rationem conſpexiſtis? Quis miles alteri bellum parans ſe ipſum cædit,vt victoria potiatur? Et tamen, Audit.mei,aliter ſi fiat,aërem verberamus:hoc namque primum ad victoriam requiſitum eſt. Qui enim domeſticos ac priuatos hoſtes habet is ad externos non facile niſi delirans conuertitur. Author eſt Iuſtinus fide, ſi quis alius,dignus,Hiſtoricus, Scythas imperij proferendi cauſa, alias in oras conceſſiſſe: non cogitantes ingentem ſe mancipiorum turbam domi relinquere, qui non multo aliter quam domeſtici hoſtes ſe eſſent tractaturi. Dum itaque Heri apud exteros bello inſiſtunt, ſerui eorũ domi ſeditione excitata, domos, vxores, ac fortunas denique omnes ſibi vendicant. Idem ijs obtingit, qui cum Diabolo rem experiri contendunt, priuſquam domeſticum ſuũ hoſtem,carnem videlicet rectè ſibi ſubiecerint ac ſubiugarint. Dum enim optima ſe ſpolia ab aduerſario relaturos confidunt,à propria ſenſualitate ſuperantur, quam minus hactenus pœnitentia ac ieiunio intra officium ſuum continuerunt; iuxta Propheticum illud. *Inimici hominis dome-*
Mich.7. *ſtici eius* Notum eſt Pilotas cum in alto Turcicam aliquã triremim ſe proſequi cõſpicantur, maſtygia quæ ferè omnia

Hiſtoria notabilis.

nia

nia Turcica ſunt, & ſub id tempus Chriſtianis operã ſuã collocare horrent, timentes ne compatriotarum in perniciem ea cedat, flagellis probe conſcindere, ac ſi iam ad arma, & manus perueniatur, ne fortaſſis hoſtibus auxilium ferant, brachijs mutilare, ac ſic deniq; in mare præcipitare. Idem nobis faciendum eſt in ſpirituali iſthac pugna, è qua vt victoriam referamus, ante cum domeſticis quam cum externis certandum dimicandumque eſt. Inter hos autem caro præcipuus eſt, quæ ſicut nil niſi gratum, & iucundum amplexatur, ac è contra difficilia repudiat: ita vt officio ſuo fungatur, & remos ducat, pœnitentiæ flagro adigenda, & ieiunij flagello præcipue ad id compellanda eſt. Quod ſi mihi hoc loco dicas nimis debilem ac infirmam illam eſſe, reſpondeo omnes illius vires ac fortitudinem qua ſpiritui ſubuenire poteſt, in hac imbecillitate infirmitateq; conſiſtere, iuxta Apoſtolicum illud: *Cum infirmor tunc fortior ſum*, adeò quanto caro fortior eſt ad ſpiritui ſubueniendum, tanto debilior eſt ad cum Diabolo colludendum. Et quis non videt adhuc quanti interieiunare, & quanti referat mortificationibus ſe nonnihil caſtigare? Verum obſeruandum etiam hic eſt, Auditores mei non ſufficere quod corpus cibo ac potu fraudetur, niſi anima etiã à vitijs abſtinere cõpellatur. Et ad hoc exhortatur nos S. Petrus in prima ſua Canonica dicens: *Fratres obſecro vos tanquam aduenas, & peregrinos, abſtinere vos à carnalibus deſiderijs quæ militant aduerſus animam.* Nouiſtis vos credo quæ viuẽdi licentia, quæ intẽperies, quæ impunitas regnet, vbi miles, vbi exercitus eſt: Helluantur illi continuò, iurãt, ludunt, blaſphemant, luctantur, vitiligant, quiritantur. Dũ ergo S. Petrus ait deſideria carnalia aduerſus animam militare, quid aliud indicare vult, quam omnia iſthæc probra ac ſcelera ab ijs committi, ſemel cum animæ imperiũ ſibi vendicarint. Quo vero tu alio modo eorum inſolentiam coerceas, laſciuiam aſtringas, petulantiam refrenes, quam ieiunia ijs indicendo, cibos ſubtrahendo, & ne tantillum quidem illis indulgendo? Mihi crede, inquit Spiritus S. *Poſt concupiſcentias tuas non eas. ſi enim præſtes animæ tuæ concupiſcentias eius, faciet te in gaudium inimicis tuis.* Caue quidpiã ijs indulgeas, ieiunent potius, ſicq; fame hoſtes tuos expugnabis. Si enim appetitibus, qui domeſtici tui hoſtes ſunt, quod

2.Corin. 12.

Eccl. 18.

quod volunt conceſſeris, externis te inimicis dedent. Expedi proinde ſcuticam, corripe flagrum, apprehende flagellum, cęde carnem, & ne aliquando hoſtibus te tuis, id eſt Diabolis prodat præuideas. Maneat autem non corpus tantum ſed animam etiam ieiunare oportere. *Sigula ſola peccauit*, inquit S. Bernardus, *ſola quoque ieiunet, & ſufficit. Si vero peccauerunt, & membra cætera, cur non ieiunēt, & ipſa?* Abſtineant oculi à vanis, & ludicris quibus hactenus delectabātur. Ieiunēt mihi aures, nō audiētes ſicut hactenus noua, curioſa, & detractiones. Caueat ſibi lingua ne de cætero amplius ſcurrilia ac inutilia proferat, & loquatur. Non extendant ſe amplius manus ad illicita. Pedes à vetitis acceſſibus, & locis impoſterum ſibi ſciant eſſe abſtinendum. Præ omnibus autem anima à vitijs, & peccatis ſit aliena. Hoc enim illud ieiunij genus eſt quòd DEVS à nobis requirit, & à quo nemo plane mortalium propter debilitatem eſt exemptus. Hoc infirmi ac ægroti lecto affixi, hoc mechanici, hoc mater filium lactans, hoc ſeruus officio ſuo fungens, hoc ſenex decrepitus, hoc adoleſcens non ſeruare tantum poteſt, ſed etiam continuare. SEQVITVR in Euangelio. *Et cum ieiunaſſet, &c.* *Poſt ea eſurijt.* Vbi aduerte famam illam quadraginta dierum ac noctium ſpatio collectam, & tandem erumpentem, grauiſſimam, & quantam quidem creatura perferre poteſt maximam eſſe oportuiſſe. Diabolus autem infirmitatem, & famem Redemptoris noſtri ſubodoratus continuò tentaturus illum aggreditur. Hæc enim ipſius conſuetudo eſt, quemlibet vt ex ea potiſſimum parte inuadat vbi maximè debilem ac infirmum illū eſſe cognoſcit, ſciens hoc facilius victoriam ſe poſſe reportare. Aduertamus hoc fratres mei, nec adeò facilè infirmitatem noſtram Diabolo detegamus, in quacunque demum parte ſit, alias illicò tentationibus ſuis illam aggredietur. Imitemur herinacium, vndique aculeis obarmemur, & præualere nobis non poterit. Meminerimus Achillem cum nulla ex parte non munitus eſſet, per plantas quas debiles habebat transfixas occubuiſſe. Ita etſi homo vndique viribus, ac armis polleat, attamen ſi minimam infirmitatis ſuæ partem detegat, ita vt Diabolus animaduertat, confeſtim per eam ſuperabitur. Infirmitatem autem hoc lo-

Sermo 3. de Quad. ieiunio.

Maxima fames Redemptoris.

co

co ſuam prodere, aliud non eſt, quam aliquod illius ſignum edere, & non firmiter ſibi proponere ei neutiquam rei conſentire, in qua Deus offendatur. Quiſquis ergo dubitare incipit vtrum aliquid facturus ſit cui peccatum, aut certè peccati periculum ſubeſſe videt, is ſuam infirmitatem prodit. Qui malam quam piam inclinationem in ſe aduertens, diſcrimini ſe nihilominus committit, hic infirmitatem ſuam detegit. Qui liberis grauatus eſt, ſi de malis artibus ad diuitias perueniendi cogitat, hic infirmitatem ſuam oſtendit. Nam qui fortis, ac conſtans eſt, is huiuſmodi cogitationes aduertens è veſtigio eas remouet, ac depellit. Si mater, nubilem filiam habens, deliberat vtrum ei potiſſimum ingreſſum ſit permiſſura, ſæpiùs qui illam conuenerit, tanto vt melius inopiæ ſuæ medeatur, adeſt confeſtim Diabolus, & commodum ſortitus locum eam inuadit: niſi fortiter conſtituat ante inedia mori, ac confici, quam iſtiuſmodi flagitio domum commaculare. Ita puella curioſius in prætereuntem oculos conijciens, ſatis ſuperque Diabolo oſtendit, ex qua parte ipſa laboret. Quiſquis proinde, Auditores mei omnes Diabolo aditus obſtruere deſiderat, ne qua fortè ad animum illabatur, is firmiter ſibi proponere debet, nihil vnquam velle committere quo Deus offendatur. Ita namque tentator portas clauſas offendens, ac nullibi acceſſum inueniens re infecta diſcedet. Has autem animas adeon benè munitas, & virtutum armis, ac excubijs vndique ſeptas, nouis inſuper propugnaculis Deus ipſemet munire conſueuit. Ita enim in Canticis de anima ad hunc modum ſtipata loquens ait: *Si murus eſt, ædificemus ſuper eum propugnacula argentea*. O felices itaque animas, quæ ita tectæ, ac munitæ ſunt! Infelices contra ac infortunatas illas quæ infirmitatem ſuam adeò temere tentatori reuelant. SEQVITVR in Euangelio: *Si filius Dei es, dic vt lapides, &c.* Vbi aduerte Diabolum duas ob cauſas. Seruatorem noſtrum fuiſſe aggreſſum. Primo vt experiretur vtrum Filius Dei eſſet. Secundo vt ſi non eſſet triplici tentatione eum ſuperaret. Verum Seruator noſter ita ſe in hoc conflictu tractauit, neutrum vt aduerſarius fuerit, conſecutus. Hinc pulchrè ac ſubtiliter D. Ambroſius ait: *Cum diabolus ſic explorauerit vt tentaret, ſic tentauerit, vt exploraret: Chriſtus reſpondens ſic fal-*

fallit vt vincat, ſic vincit vt fallat vt ſic diabolus nec vincat nec agnoſcat. Verum videamus quomodo aduerſarium hunc ſuum deuicerit ac ſuperarit. Tres tentandi modos Diabolum habere, quibus homines aggreditur, inter alios etiam D. Chryſoſtomus animaduertit hic autem omnibus Seruatorem noſtrum impetijt. Et meminit illarum D. Ioannes in prima ſua Canonica dicens: *Concupiſcentia carnis, concupiſcentia oculorum, & ſuperbia uitæ*. Ad primam referuntur omnia ea quæ ad ſenſualitatem ſunt, & quæ voluptates carnis ac cibi, & potus delicias concernunt. Sub ſecunda continetur opum amor. Sub tertia honorum, & dignitatum aucupium. Et quoniam ſecundum Diuum Paulum Pontifice opus habemus, qui ſciat compati miſerijs noſtris, ideò Seruator noſter omnibus his tentationibus inuadi voluit ac impugnari: quas tamen ille omnes vnico eoque potentiſſimo, & ad Diabolum deuincendum efficaciſſimo armorum genere depulit ac profligauit. Puta Scripturam ſacram quæ quolibet tempore defenſiuorum ac offenſiuorum armorum loco vnicuique eſſe poteſt. Hinc ſpiritus S. clypeum illam appellat dicens: *Omnis ſermo Dei clypeus eſt omnibus ſperantibus in eum*. Hoc, inquit, ſcutum eſt quo homo aduerſus impetus ac inſultus hoſtiles tegitur ac conſeruatur. Vbi nota meliore ac conuenientiore epitheto verbum Dei inſigniri non potuiſſe. Vt enim clypeus generale quoddam corporis humani aduerſus hoſtem tegmen ac præſidium eſt ita Scriptura S. contra quaslibet inimici Diaboli machinationes. Etſi enim plura adhuc armorum genera reperias, quibus homo ſi muniatur, tutus atq; ſecurus eſt: attamen galea non niſi caput, humerale humeros tantum, thorax nil præter pectus, lorica dorſum tantum, tibialia tibias, ac crura modo tegunt atque conſeruant Clypeus autem caput tegit, tela à pectore arcet, ſclopos in humeros coniectos repellit, tergum munit, ac pedes denique, & crura tuetur. Ita cum in armatura Chriſtiana caſtitas impudicitiam, humilitas ſuperbiam, manſuetudo iracundiam, liberalitas auaritiam, & aliæ virtutes ſingula ſibi oppoſita vitia ſubmoueant, ac profligent: Sola Scriptura ſacra inſtar clypei eſt omnia ſeruans, omnia profligans, & quaslibet tentationes retundens. Verum non tantum defenſiuorum armorum

Homil. 5. de ope re iperf. Cap. 2.

Heb. 4.

Prou. 30

Verbū Dei ſcuto ſimile.

rum

rum loco, ſed etiam offenſiuorum Scripturam S. ac verbũ Dei accepimus. Hinc Spiritus S. in diuerſis locis modo gladium, modo ſagittam illam nuncupat; quippè quæ non eminus tantum, ſed cominus etiam rem gerentibus vſui eſſe poſſit. O inſigne telum! O præclarum clypeum! O gladium excellentem! Aſpicite mihi pauliſper auditores, quemadmodum hoc loco Seruator noſter clypeo iſthoc ſe protegat, quomodo gladium iſtum tractet ac verſet. Audite quid Euangeliſta dicat. Diabolus aduerſa fronte in Seruatorem noſtrum incurrens ait: *Si filius Dei es, fac vt lapides iſti panes fiant*. Cui ille contra in manum aſſurgens ſic obuiat: *Scriptum eſt non in ſolo pane viuit homo*. Iam quemadmodum primæ huius tentationis impetum repulit, ac inimicum terræ Scripturæ Sacræ armis affixit, ita duas alias, non alio quam hoc clypeo eluſit ac ſuperauit. Quem ſi vos auditores imitari, & ad inſtar Seruatoris noſtri armis iſtis inimicum debellare cupiatis, inſculpite memoriæ veſtræ ea quæ quotidie pro concione diei auditis, obſeruare quæ nobis Dei præcepta iniungunt, retinere quæ in pijs ac deuotis libellis legitis, & quæ cum hominibus ſpiritualibus conuerſantes ſubinde aduertitis addiſcite. Omnia enim iſta Verbum Dei ſunt vt ſi quando Diabolus ad quippiam vos pellicere ſatagit, ei vos continuò clypeum illum objiciatis, recordantes doctrinæ ſemel auditæ, qua vobis id prohibetur quod inimicus vobis ſuggeſſit. Reſpondete illi audacter ac animoſe. Non facio, quia Deus vetat. *Vade retro Satana*. Abſit vt ego diuinæ voluntati refrager. Habetis hic modum quem adhibentes corda veſtra à venenatis Diaboli ſagittis facilè præſeruetis, & illum met conficietis. Hoc enim vnicum letale ſibi vulnus Diabolus arbitratur, videre inſidias ſuas ope verbi Dei eſſe detectas. Concludamus nunc in honorem Seruatoris noſtri adeò petiti militis, & dexteri athletæ, *Glorioſe enim magnificatus eſt*. Diſcamus ſtratagemata quæ nobis oſtendit, recipiamus nos in ſolitudinem, amplectamur ieiunium, & Scripturam S. vt clypeum ęreum ſemper adhibeamus, Ea enim ad gratiam nos diſponet; & iter ad gloriam nobis oſtendet.

Epheſ. 6.
Pſal. 44.
Exo. 15.

CONCIO SEXTA,

PRO FERIA SECVNDA

POST DOMINICAM INVOCAVIT.

Cum venerit filius hominis in maieſtate, &c.
Matth. 25.

ETSI Prouerbiorum liber ænigmatibus planè admirabilibus, & abſtruſis refertus ſit, ego tamen non tantum propter myſterij magnitudinem, ſed etiam propter obſcuritatem ipſius ſenſus primas facilè ei deferendas eſſe dixerim, quod capite trigeſimo his verbis continetur. *Tria ſunt quæ bene gra-*
Verſ. 29 *diuntur, & quartum quod incedit feliciter. Leo fortiſſimum beſtiarum, Gallus ſuccinctus lumbos: Aries: nec eſt Rex qui reſiſtat ei*. Hæc verba Sapientis ſunt, non obiter ac perfunctoriè, intelligenda. Etſi enim tria illa quæ nominauit gratiæ inter ambulandum habere aliquid videri poſſint, vti Leo qui regio paſſu ſe infert, Gallus qui plumis in altum ſurrectis, & criſta elata procedit, & Aries deniq; qui gregem ducens plus aliquantum grauitatis ac authoritatis præ ſe fert: attamen ſi nihil aliud ſignificari dicimus, quid opus erat ſapientem Prouerbium iſtud myſterijs ac ænigmatibus trigeſimi capitis annumerare? Melius ergo diuinus ille Eccleſiæ Doctor D. Gregorius, & venerabilis Beda, ac omnes prope veteres Doctores qui ſuper verba iſta commentati ſunt, cenſent nō hic litteræ inſiſtendum, ſed penitius ſenſum ruminandum ac inſpiciendum eſſe. Altius itaque paulo ſpiritum horum verborum examinantes dicimus Salomonem quatuor diuerſa officia deſcribere nobis voluiſſe, quibus Deus Pater vnigenitum ſuum in terram deſcendentem ornauit: conſtituens illum

Quatuor Seruatoris noſtri officia.

Re-

Redemptorem, Iuſtificatorem, Doctorem, & Iudicem. Redemptor enim in primis per Arietem nobis repræſentatur, animal ſacrificijs proprium ac deſtinatum. Et fuit omninò Redemptio illa quam Filius Dei ſeipſum pro noſtris peccatis in ara Crucis ſacrificans completurus erat, per Abrahami Arietē nobis præfigurata, qui filium ſuum immolare volens, in medio ſpinarum arietem conſpexit, quemadmodum etiam Seruatoris noſtri caput ſpinis fuit circumſeptum. Secundum autem iuſtificatoris officium per Leonem nobis repræſentatur, ſiquidem S. Paulus hominum iuſtificationem reſurrectioni Dominicæ attribuit dicens: *Mortuus eſt propter delicta noſtra, & reſurrexit propter iuſtificationem noſtram.* Et quoniam Leo Seruatoris noſtri reſuſcitati figura eſt, ſecundum Apocalypſeos illud: *Vicit Leo de tribu Iuda*: ideò propriè iuſtificatoris officium præſignat. Tertium Doctoris, ſeu Concionatoris officium per Gallū nobis præfiguratur, quia videlicet nullum ſymbolum reperias quò conuenientius Eccleſiaſten inſignire poſſis. Vt enim hoc loco alias rationes quæ à D. Gregorio adferuntur præteream, vna hæc ſufficit, quod videlicet Gallus gallinaceus cantu ſuo dormientes excitat: quemadmodum concionatores lethargo peccati oppreſſos expergefacere conſueuerunt, & prout id S. Paulus factitauit dicens: *Surge qui dormis, & illuminabit te Chriſtus*, ac etiam ipſemet Seruator noſter cum ait: *Vigilate, quia neſcitis diem neque horam*. Quartum ac Poſtremum Iudicis officium per Regem nobis repræſentatur, ad Reges enim propriè iuſtitiæ adminiſtratio ſpectat, ac pertinet. Hinc in hodierno etiam Euangelio, quod nobis Seruatorem noſtrum velut ſupremum Iudicē depingit, Rex nominatur, & dicitur quod in magna maieſtate ſit aduenturus. Quod autem ſapiens de trib. primis dixit ea bene gradi in quarto vero loquendi modum mutans ait feliciter illud incedere: id verò ideò facit, quia etſi Seruator noſter optimè tribus illis munerib. Redemptoris puta, Iuſtificatoris, & Eccleſiaſtæ fuerit functus; felicius tamen tertium geret, quia melius quam reliqua illi ſuccedet. Nam licet eius Redemptio, ſecundum Dauidem, copioſa fuerit, paucalibus tamen profuit. Et licet etiam Iuſtificatio ſatis ſuperque ſufficiens extiterit, non multi tamen vtilitatem ex ea perceperunt. Sic etſi

Gen. 22.
Rom. 4.
lib. 3. Pa. ſtor. c. 3.
Ephe. 5.
Mat. 25.
Pſ. 129.

etiam illius concionibus nihil admirabilius mundus audiuerit, pauci tamen per eas conuerſi fuerunt.

Quando autem Maieſtate, ac potẽtia ſua reueſtitus Regem aget, tum verò feliciſſimè incedet, omniaq; ita illi ad nutum fluent, nemo vt penitus ipſi reſiſtere poſſit. Hoc autem tunc fiet, quando rigidè in eos animaduertet, qui redẽptionem ſuam contempſerunt: quando eos ſeuere puniet ſuam qui iuſtificationem deſpexerunt: quando deniq; pro grauitate delicti ab ijs pœnas repoſcet, qui verbo diuino audito conuerti noluerunt, vt deinceps ignis infernalis eos excitet, quos cæleſtis, ac diuini illius Galli vox expergefacere nõ valebat. O diẽ terribilẽ! ò ira ac indignatione plenũ! *Et quis poterit cogitare diem aduentus eius, aut quis ſtabit ad videndum eum:* inquit Propheta Malachias. Conſiderabat videlicet ille terrorem extremi diei, & horrorem iudicis: hinc impoſſibile exiſtimabat hominis corde eum cogitari poſſe. Bene etiam, & accuratè de eo cogitauerat Senex ille de quo in Vitis Patrum legimus, qui Neophytum quendam religioſum ridentem conſpiciens indignabundus dixit: Rationem Deo ſumus reddituri de omnib. noſtris peccatis, & quomodo ridere poſſumus? Quid hoc aliud loquitur, Chriſtiani mei, quam meditationem terribilis illius iudicij in Sanctorum cordibus mirabilia operari; tametſi à nobis nunquam aut raro admodum ſuſcipiatur. At quæ cæcitas, quis lethargus, quæ amẽtia, quæ phreneſis iſthæc eſt? nimirum morbus ille cui S. Mater Eccleſia medicinam factura, hodierna die ſeueriſſimum illum Iudicij diem velut in tabula nobis ob oculos ponit, quo illius conſideratione extimulati mores noſtros aliquando in melius referamus. Videamus ergo Euangelij ipſius verba. *Cum venerit Filius hominis;* nempe qui iudicem aget, ac qui pro tribunali ſedebit, hic filius hominis futurus eſt, vt videlicet intelligamus eum etiã hominem eſſe, & quatenus homo, iudicare nos debere prout ex diuerſis ſcripturæ locis conſtat. Huius

Apoc. 9. v. 11. ergo aduentum S. Ioannes in reuelationib. ſuis deſcribit, at ſtylo mirabili, & obſtupeſcendo. *Vidi cælum apertum,* inquit, *& ecce equus albus, & qui ſedebat ſuper eum vocabatur fidelis & verax, & cum iuſtitia iudicat, & pugnat.* Et paulò poſt addit eundem equitem verbum Dei ſe appellauiſſe. Vnde colligimus album illum equum Humanitatem Ser-

uatoris noſtri ſignificare, cui verbum coniunctum, ac vnitum erat, & cuius ille actiones nõ aliter quam eques equũ gubernabat. Ideò autem fidelis, & verax nũcupatur, vt cognoſcamus eum tunc promiſſis ſuis ſatisfacturum, & minas mundo intentatas, executurum. Denique dum dicitur eum cum iuſtitia iudicaturum, & pugnaturum, oſtenditur in illo foro miſericordiæ locum nullum futurum, ſolam iuſtitiam regnaturam: Iudicem autem omnes improbos inuincibili potentiæ, ac rigoris ſui brachio contriturum eſſe. O miſeros peccatores quomodo vos eum tanta cum indignatione aduenientem poteritis intueri, quem nunc adeo licenter offenditis? PERGIT Euangeliſta eius viſionem nobis adumbrans, & ait: *Oculi eius ſicut flamma ignis, & in capite eius diademata multa.* Et paulò antè inquit. *Et erat veſtitus veſte aſperſa ſanguine, & exercitus qui ſunt in cælo ſequebantur eum. De ore eius procedit gladius ex vtraque parte acutus, vt in ipſo percutiat gentes, & regat eos in virga ferrea.* Itane verò? O bone Ieſu quinã flãmei ac ignei oculi tui ſunt? An ergo non iidem ſunt, quib; S. Petrum olim aſpexiſti, & S. Matthæũ, ac innumeros alios peccatores intuitus fuiſti, quorũ omnium corda vno aſpectu immutauiſti? Sũt certè. At quomodo nunc ignẽ ſpargunt ac fulgurant? O terribile ſpectaculum? O repentinam mutationem! O vultum Iudicis omnib. peccatoribus formidandum! Et ſequitur, quod Rex etiam ille diademata in capite ſuo oportet, quo videlicet nos intelligamus quemadmodum ignem improbos abſumpturum effudit, ita quoq; coronas bonis imponendas allaturum. Non contentus autem Euangeliſta Iudicis noſtri ſe oculos, ac caput deſcripſiſſe, veſtem ac faciem etiã illius depingit, dicens: *gladius ex vtraque parte acutus*, ab ore eius procedet, vt nimirũ doceamus eum gladio verbi ſui non ſicut nunc ab vna tantũ parte ſecturum, ac animas tantum in inferni barathro cruciaturũ, ſed ab vtraq; parte corpus ſimul, & animam excarnificaturũ, vt ſicut coniuncti peccauerunt, ita quoque vna luant ac puniantur. Et ſequitur deſcriptio veſtimenti apud eundem Euangeliſtam. *Et erat veſtitus veſte aſperſa ſanguine, & exercitus ſequebatur eum.* Adeò videlicet ſingulæ viſionis partes bellum, & ſanguinem ſpirant. Primò enim ignem oculis eructat, ſecundo gladium ab vtraque parte acutum in

ore gerit, tertiò veſtis eius ſanguine madet, ac quartò denique, & poſtremo exercitum poſt ſe trahit, velut omnia perditurus ac vaſtaturus. Concludit deinde Euangeliſta eum gentes in virga ferrea recturum dicens, non videlicet directionis illa qua in mundi exordio vtebatur. Vnde
Pſal.44. Pſalmiſta ait: *Virga directionis virga regni tui*; id eſt. O bone Deus, virga tua vt pedum paſtorale ſe habet, quod non adhibetur ad percutiendum, ſed ad gregem ducendum ac dirigendum. In vltimi autem iudicij die corripies virgam ferream, de qua idem Propheta alibi ait: *Reges eos*
Pſal.2. *in virga ferrea, & tanquam vas figili confringes eos*. Quod tu hic vocabulum mihi excogitabis quo rigidiſſimi illius iudicij terrorem deſcribas? Poteſtne aliquid quam ferrum durius reperiri? Poteſtne viciſſim infirmius inueniri aliquid quam vas figuli? At quid fortius aut potentius eſt quam brachium Dei? Conſiderate itaque quid ſecuturum ſit, quando brachium DEI ferrea virga armatum vaſa figulina confringet.

Vtrum ergò cum Ethnicis ac Paganis, an verò cum fidelibus loquimur? Quod ſi apud fideles verbum facimus, ſi apud Chriſtianos iſta dicimus, vbi eſt timor quem fides in cordibus noſtris debet excitare? vbi reuerentia quam timor ſolet generare? vbi cautela quam reuerentia parere conſueuit? O ſupreme omnium Iudex, aperi quæſo oculos intellectui noſtro, vt iudicia tua conſiderantes timeamus, & timore illo velut potentiſſimo quodam freno à peccato retrahamur. Mandatorum tuorum obliuio cauſa eſt quod continuò peccata peccatis accumulamus, prout illud à Propheta animaduerſum fuit qui ait:
Pſal.6. *Inquinatæ ſunt viæ illius in omni tempore, quia auferuntur iudicia tua à facie eius*. Verum nunc terrore Iudicis ita conſiderato, ipſum diuini iudicij proceſſum penſiculatiùs aliquanto examinemus. *Tunc ſedebit ſuper ſedem Maieſtatis*, quæ ex ſpiritibus ac genijs cæleſtibus conſtabit, quos Thronos nuncupamus. Super hos ille iudicabit, quemadmodum olim Cherubinis inſidebat vt ſuper ventorũ plumas volaret. Alijs potius placet ſedem vllam ſeu tribunal nubem Maieſtatis plenam ſuturam, ex qua ſit iudicaturus: nos autem vtrumque conſtituere poſſumus, quo formidabilior ſedes illius efficiatur. Vt vt enim ſit, hoc ſaltem liquet

quet ac conſtat Angelos vniuerſos homines, qui ſunt, qui fuerunt, & futuri ſunt, in Dei præſentiam adducturos eſſe, ita vt nullus plane ab hac comparitione exceptus, & exemptus ſit futurus, iuxta Ioelis illud: *Erumpite, & venite omnes gentes de circuitu, conſurgant, & congregentur omnes de valle Ioſaphat, quia ibi ſedebo, & iudicabo omnes*. Ex quibus verbis ſecundum communem Doctorum ſententiam patet iudicium vniuerſale in valle Ioſaphat celebratum iri; non longe ab illo loco vbi Seruator noſter pro hominum ſalute mortem oppetijt. Porrò antequam vlterius progrediamur, verba illa, *Venite omnes gentes de circuitu*, accuratius paulò examinemus. Videtur enim eos tantum conuocare qui vallem Ioſaphat accolunt, & inhabitant; verum id myſterio non caret. Vult enim Propheta hoc loquendi modo nobis ſignificare, quam facilè vt Deo iudicaturo omnes omninò terræ incolas ex quatuor mundi angulis contrahere ac congregare. Vt namque tu nullo negotio, ſemel tantum voce ſublata, vicinos tibi colligere potes, & conuocare, ita ſimiliter illi facillimum erit ad tribunal vniuerſos orbis inquilinos citare. Hoc vti non immerito durũ ac difficilè nonnullis olim viſum fuit, ita in eorum perſona S. Cyrillus Hieroſolymitanus interrogat, quomodo corpora noſtra quæ in diuerſis mundi plagis corrupta ac diſſipata fuerunt: pereunte videlicet hoc in aquis, hunc lupis comedentibus, illum igne conſumente, iſtum vermibus deuorantibus, adeò promptè ac expeditè corã Seruatore noſtro ſe ſiſtere poſſint? Ad quod Diuinus ille Doctor reſpondet. Tibi homuncioni, qui exiguis alicuius locis limitib. circumſcriberis, & à prouincijs longius diſtantibus ſecluderis, difficile id poteſt videri? Deo autẽ, qui iuxta Eſaiam, *menſus eſt pugillo aquas, & cęlos palmo ponderauit, & appendit tribus digitis molẽ terra*, huic inquam difficultatẽ planè nullã hoc pariturum eſt. Vt enim tu pugnum granis plenũ habens, ea ſi in menſã conijcias, nullo negotio cum voles eadem recolligere potes, quia videlicet manus tua capax ſatis eſt: ita Deus qui omnia velut pugno continet, etſi diſperſa ac diſiecta, cum volet recolligere nullo negotio poterit; quia cum infinitus ſit, diſtantiæ aut ſpatij rationem non habet. Cap. 40.

Ac ne quis hoc loco exiſtimet ingentem illam cõparen-

Digitized by Google

tium multitudinem confuſionem aliquam cauſaturam, ſed quemlibet ex ordine iudicatum iri, audi quid Propheta Sophonias dicat: *Silete à facie Domini Dei, quia iuxta eſt dies Domini*. Vbi extremum Iudicij diem conſiderans, de eo non aliter quam de carceris aliqua viſitatione loquitur: in quem conſiliarius, Prętor, aut Commiſſarius quiſpiam ingreſſus omnes ſibi captiuos ſiſti iubet ac repræſentari. Cuius mandato audito, & turmatim omnibus egredientibus, dum ſtrepitum excitant, adeſt confeſtim Satelles aut apparitor aliquis, & protenſa manu exclamat, Silentium, Prætor adeſt, pro tribunali cauſas cogniturus. Eodem planè modo Propheta Sophonias ſilentium indicit. *Silete à facie Domini Dei*. Deinde vt conſtet omnes omninò captiuos comparituros, nominatim, & ordine eos compellat, à Principibus initium faciẽs: *Viſitabo ſuper Principes*, id eſt. Adducantur mihi imprimis Principes ac Monarchæ, qui ſupremos ſe rerũ Dominos exiſtimabant, & neminẽ ſibi reſiſtere poſſe arbitrabantur. *Et ſuper filios Regis*. Poſt hoc Regũ filij mihi ſiſtãtur, qui generis ſplẽdore ac nataliũ claritate præſtricti totum ſe mundũ pedibus proculcare poſſe opinabãtur. *Et ſuper eos qui ingrediuntur limen*. Intromittantur deinde omnes aulici, qui paſſim. *Fac totum* audientes, Regum limina ac palatia terebant: poſt quos mũdus idololatra curſitabat. *Et ſuper his qui induuntur veſte peregrina*. Nõ abſint ẽt Ardeliones illi qui vt mũdi oculis placeant ac lenocinentur, peregrinarũ veſtiũ pompas conſectantur, & indies nouas inuentiones cõminiſcuntur. *Et viſitabo Hieruſalẽ in lucernis*. Subaudi eos qui ſanctitatẽ quandã prætulerunt, quemadmodũ Hieroſolymorum incolæ ac inquilini. Quos vt etiam melius, & aliquãto diligentius viſitem, lampades, & faces accẽdã, vt enim eorũ ſãctitas ad oculũ pateat, noua luce opꝰ eſt. Ac ſi dicat, prout Diuꝰ Bernardus animaduertit.

Viſitaturus reliquos mundi ciues ac inquilinos, nihil opus habeo candelis ac tædis, cum præſertim eorum peccata adeò enormia ſint, & in oculos ſpectantum incurrãt, facilè vt etiam ſine lumine tangi ac palpari poſſint. Propter eos autem qui ſanctitatem quandam præ ſe ferunt, quorum profeſſio ac viuendi modus ſtrictior eſt, qui non vt plerique mundani Deum in publico offendunt, ſed peccaturi angulos, & latebras quærunt, propter hos, inquit, lampa-

lãpades adhibere neceſſe eſt, & præter ſolis lumẽ aliud adhuc accendere, vt non modo q̃ in tenebris admiſerunt cognoſcantur, ſed vt ẽt pateat vtrum bonum illud quod operati ſunt palea careat, & hypocryſim aliquã non admixtã habeat. Hoc. n. verba illa ſignificant: *Scrutabor Hieruſalem in lucernis.* Et ſequitur cõfeſtim: *Et ſuper viros defixos fecibus, qui dicunt non faciet Dominus benè, & non faciet malè*; id eſt. Progrediantur, & procedant omnes illi qui in ſentina ſcelerum, in cæno flagitiorum, & in cauernis ac ſpelæis peccatorum delitеſcentes, ſuſque deque homines ac Deum pariter ferunt, quaſi ab eo nec bono, nec malo aliquo affici poſſent. Hi inquam mihi adducuntur, totus vt mundus intelligat quam iuſtè plectantur, ac in omnem æternitatem ad inferni triremes condemnentur. Videtis iam nunc opinor Chriſtiani quemadmodum ex immenſa illa multitudine confuſio plane nulla ſubſecutura ſit; ſiquidem Reges, Principes, Thraſones, Ardeliones, Mulieres, profeſſione Sancti ex lege, & conſcientiæ expertes ordine ſunt compariturі, iuxta Paulinum illud: *Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti*. Vbi præcipuè voculam illam *Oportet* obſerua, quæ ſecundum S. Thomam, & D. Anſelmum idem valet, quod totaliter neceſſarium eſt. O neceſſitatem omnibus improbis ac ſceleratis formidandam! Etenim ſi Cato Vticenſis vndique obſeſſum ſe videns, iamque id geri aduertens, in Cæſaris vt manus veniret, contra quem arma geſſerat, ſeipſum in ferrum induere, quam Cæſari ſiſti maluit: quid amabò peccatores cogitabunt, videntes coram ſupremo Iudice comparere ſe oportere, qui pro ijs mortẽ pertulit, & quẽ illi ad Diabolũ transfugiẽtes relinquerũt? Quod ſi itinerũ ſubſeſſor aliquis captus, & deprehenſus ei ſiſtẽdus eſſet, quem non ita pridẽ in via adortus, & aggreſſus fuit, an non cohorteret ac contremiſceret? Et quomodo peccator corã illo ſubſiſtet, quem toties ignominioſiſſima morte affecit, & crucifixit? Narrat D. Ioannes in Apocalypſi ſua vidiſſe ſe Reges, & Principes terre, pauperes, & diuites ita motu exanimatos latebras vt circũſpicerẽt: *Dicunt montibus, & petris cadite ſuper nos, & abſcõdite nos à facie ſedentis ſuper thronum, & ab ira agni, quia uenit dies magnis ire eorum*. Quid eſt hoc ô bone Deus, & quidnã iſti vociferantur? Agnus eos exanimat. At quid

Vtiliſ lectio pro Religioſis.

2. Cor. 5.

Pulchra comparatio.

Cap. 6.

quid amabò peccatorem non exterreat? Arbitratur ſe illẽ fœlicem ſi irruentibus in ſermontibus inuoluatur ne Agnij faciem aſpiciat: & non immeritos peccata enim illius Agnum iſtum in Leonem transformauerunt. Cur autem in terræ viſceribus ſepeliri, quam Agnum intueri malit, cauſa eſt *quia venit dies magnus iræ eius*. O admirabilem ac ſalutarem etiam meditationem, eam ſi peccatores frequentare vellent? Vocant diem illum diem magnum, quia non ſicut cæteri dies naturales viginti quatuor horis terminabitur, ſed in omnem æternitatem durabit. Etſi enim ipſe iudicij proceſſus breui abſoluendus ſit, iuxta Dominicum illud: *Sicut fulgur exit ab oriente in occidentem, ita erit aduentus filij hominis*. Non immerito itaque improbi ac deſperati illi à facie formidoloſi illius diei abſcondi deſiderant; ſed fruſtra: neque enim quod expetunt, & denique abſque vlla gratia tribunali ſe ſiſtere coguntur. Illic enim ſecundum D. Paulum iudex *ſeparabit eos ab inuicem*; quo videlicet vniuerſi ſpectatores paleam à frumento diſtinguere poſſint, & quo Propheticum illud adimpleatur. *Et ſedebit conflans & emundans argentum, & purgabit filios Leui, et colabit eos quaſi aurum & quaſi argentum*. Illic ſtricto conſcientiarum examine ac ſcrutinio inſtituto clarè & ad oculum parebit qualiter quiſque ſegeſſerit. Ante hoc tempus facilè in cuiuslibet cenſura ac iudicio poſſumus hallucinari; vnde & S. Paulus author nobis eſt ne ante id tempus iudicemus, dicens: *quouſque veniat Dominus, qui & illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium*. Tunc enim opera, dicta, & cogitata hominum vniuerſorum deteguntur & manifeſtabentur. Vniuſcuiuſque autem conſcientia propria accuſator exiſtet, iuxta Apoſtolicum illud. *Teſtimonium reddente illis conſcientia ipſorum, & inter ſe inuicem cogitationum accuſantium*. Cui Sapientia adſtipulari videtur dum ait: *Venient in cogitatione peccatorum ſuorum timidi, & traducent eos ex aduerſo iniquitates ipſorum*, ac ſi dicat. Illi qui cum in viuis eſſent Deum non timuerunt, extremo illo die mille terroribus ſe circumſeptos & vallatos inuenient, dum videlicet peccata ſua quæ commiſerunt recogitabunt; qui in ipſorummet etiam conſcientiæ illos accuſabunt, propalantes ad maiorem confuſionem, quæ vitam ducente in abdito deſignauerunt.

[Margin notes: Cur Iudicijs dies magnus. — Matth. 24. — Malach. 3. — 1. Cor. 4. — Rom. 2. — Sap. 5.]

Hoc

Hoc enim verba illa, *traducent eos ex aduerſo iniquitates ipſorum*, indicant. Verbum namque traduco ſignificat in lucem ex tenebris aliquid protrahere ad maiorem illius cōfuſionem qui malum operabatur. Vocula autem illa *ex aduerſo* contrarietatem illam denotat, quæ inter peccatum ac peccatores erit non aliter quam inter reum & accuſatorem eſſe conſueuit. Tunc ergo non tantum peccata, ſed eorum etiam circumſtantiæ manifeſtabantur, quæ ſæpènumerò ipſis peccatis magis pudendæ ſunt, & ſola ſua imaginatione pudorem hominibus inijciunt. Tunc primum peccati turpitudo apparebit, quatenus Dei offenſa eſt, qua quid amabò noſtro æuo in hoc mundo minoris fit? Tunc clarè intelligetur quam abominanda ſit ſuperbia, quam fœda arrogantia, quam turpis ambitio, quæ nos hodie ciuitates ac mores neſcio quos Politicos interpretamur. Hæc autem omnia ita tunc intelliges, non quam peccata tibi aliqua recenſeri audires, ſed quaſi ante oculos ac in præſentia tua illa patrari conſpicere, vnde neceſſe eſt extremum pudorem ac ruborem ſequi. O terribile ac formidandum iudicium, ijs præſertim, qui cum hic in terris ſancti exiſtimarentur, nihil tamen minus quam tales fuerunt. Tūc enim patebit ſepulchra eos dealbata fuiſſe, prout à Seruatore noſtro appellantur, exterius deuotos, intus autem oſſibus ac putredine plenos. Tunc cognoſcitur vtrum *Matth.* ſub multorum religioſorum caputijs mundane cogita- *25.* tiones, & vtrum ſub velo ac peplo maturæ viduitatis obſcœna ac libidinoſa deſideria latuerint.

Atque hæc omnia ita fient, nulla vt excuſatio accipiat, nullis vt precibus locus concedatur, nullius vt ratio habeatur, nihil vt promiſſis aut corruptionibus efficiatur. Hæc vobis, auditores mei, tunc conſideranda ſunt, quando Diabolus ad peccatum vos prouocat, & peccati pudorem eripere nititur, vt poſtea in æternam confuſionem vos præcipitet. Nolite autem exiſtimare confuſionem illa pro ijs tantum eſſe, qui hic in mundo ſanctimoniam aliquam & mores incorruptos præ ſe tulerunt. Qui enim licenter ac petulanter mundi pudore ſepoſito Deum offendere non dubitauerunt, ij tunc clarè & ad oculum peccati turpitudinem cognoſcent, cui mederi non poterunt. De his Eſaias loqui mihi videtur cum ait: *Tunc erubeſcetis ſuper hortos* *Cap. 1.*

quos elegeratis, cum eritis tanquam quercus defluentibus folijs: Neq; verò tunc aliquis ſe defendere purgareue audebit, dicente Dauide: *Omnis iniquitas oppilabit os ſuum,* & Sapien-
Pſal. 106. te: *Quoniam diſrumpet illos inflatos ſine voce,* id eſt. Crepabunt tunc velut vtres aut folles ventos inflati, vocem, au-
Sap. 4. tem non habebunt qua ſe tueantur, propria eadem iniquitas os illis obſtruet ac obturabit. Quam tunc illi volent ſincerè ac deuotè cõfeſſos pœnitentiæ opera ſe peregiſſe. Hæc enim in ruborem illos non darent, ſed in illorum laudem ac Deis maiorem gloriam eſſent. Arrigite mihi hoc loco pauliſper aures ſtolidi vos & agreſtes, qui neſcio quo ruſtico pudore præpediti confeſſiones integrę non inſtituitis, non animaduertentes interim dum leuiculum illum pudorem declinatis, in æternam vos confeſſionem prolabi. Poſtquam autem Seruator noſter ſuper ſingulorum cauſis cognouerit, rationem cur bonos remuneretur, improbos autem plectat ac puniat explicarit, tum verò coronas diſtribuere incipiet, cuilibet pro merito ſuo prœmia ac mercedem reponens. Vt enim magis inclinatus eſt ad eos remunerandum qui ſibi inſeruiunt, quam ad eos caſtigandum qui ſe offenderunt, ita primo id aggrędietur ad quod eum inclinatio ſua rapit ad ducit. Deinde verò gladium illum ab vtraque parte acutum apprehendens, contra improbos ac ſceleratos terribilem illam ſententiã detonabit: *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus, &c.* Non proderit tum illis Redemptoris noſtri paſſio, non crux, nõ matris ſuffragia, non Sanctorum interceſſiones, quia ſecũdum Prophetam Amos, *Dies Domini tenebræ et non lux, quo-*
Cap. 5. *modo ſi fugiat vir à facie leonis & occurrat ei vrſus, & ingrediatur domum, & innitatur manu ſuper parietem, & mordeat eum coluber.* Adeò quocunque illi maledicti oculos cõuerterint, malum vndique & vndique luctus apparebit. Si enim Seruatorem noſtrum intueantur, leonis illius rugitum audient, quo æternis Inferni ignibus adiudicantur. Si Diuiparam Matrem aſpiciant, eam vt Vrſam experientur, cui catuli erepti ſunt. Si denique ad alios Sanctos conuertantur quam viperas ac colubres peſtilentiores illos ſibi inuenient. Verum videamus in quem locum maledicti illi relegentur. *In ignem æternum*, ignem inexorabilem, ſemper ardentem, inextinguibilem, ęternum. Ac ne etiam

eos

eos ſocios habeant à quibus aliquando recreari poſſint ſed potius quorum familiariter pœna ijs augeatur, ideò Diabolis aſſociabuntur, quibus in hoc ſæculo per peccatum ſimiles extiterunt. O infelicem ſocietatem! ô diem terribilem! ô ſententiam horribilem! ô iudicium Dei iuſtitia ac indignatione dignum! *Quis poterit habitare de vobis cum igne deuorante*, inquit Eſaias, *aut quis habitabit ex vobis cum ardoribus ſempiternis?* Quis æternus ac indiuiduus Diabolorum ſocius eſſe? quis Dei viſione in ſempiternum priuari? quis nullum ſolatium expectare vnquam volet? Attamen hæc omnia ij ſibi conciliant qui in peccatis mortalibus vitam ſuam miſerabilem concludunt. Hæc enim peccatorum merces ac finis eſt, ſtrictiſſimus ac ſeueriſſimus iudex, extrema confuſio, ſententia immutabilis, ignis ſempiternus, Diabolorum ſocietas, & quo nihil terribilius concidi auri imaginari poteſt, diuinæ viſionis priuatio. Vnde igitur eſt quod homines ad Deum ſe conuertere nolunt? & quod adhuc peccare audent? Vnde eſt quod qui peccatis immerſi ſunt, de pœnitentia non cogitant? O ſupreme Iudex Ieſu Chriſte qui animas commonefacis, ſecundum Prophetam tuum, vt ſe arcus faciei ſubtrahant: intuere nos non ſanguineis tuis oculis ſicut promeremur, ſed columbinis, quemadmodum miſericordia tua requirit; alloquere nos non ore illo quod gladio armatum eſt, ſed cum ſolita ac potenti illa tua manſuetudine, vt nimirum iudiciorum tuorum memores ea formidemus, te offendere timeamus, ſicque quam libet te irritandi occaſionem fugientes ad gratiam diſponamus, qua mediante ſententia illa quam maledicti incurrent exempti, aliquando æterna gloria perfrui valeamus, *quam mihi & vobis, &c.*

Cap. 33.

Pſal. 59.

CON-

CONCIO SEPTIMA,

PRO FERIA TERTIA POST DOMINICAM. Inuocauit.

Cum intraſſet Ieſus Hieroſolimam, commota eſt vniuerſa ciuitas &c. Matt. 21.

ADmirabile reuera & obſtupeſcendum iſtud eſt, Auditores mei, Chriſtum Seruatorē noſtrum, qui ipſa pax & manſuetudo eſſentialis eſt: quemadmodū Propheta Eſaias in diuerſis locis oſtendit, dum modo illum *principem pacis*, appellat, modo inquit, quod *non vociferabitur; neque eſt turbulentus*, quocunque locorum peruenit, turbas continuo & commotiones cauſauiſſe. Conſideremus ſingulos illius ingreſſus, incipientes à primo omnium qui in ventre virginali contigit, & videbitis euidentiſſimā viritatis huius confirmationem. Volens. n. æterna & immenſa illa Deitas in terris incarnari, ante Angelum ceu Legatum aut Internuntium amandauit, & licet totum illud myſterium inter beatum Angelum & caſtiſſimam Virginem tranſigeretur, turbatio tamen quædam interuenit. Ait enim S. Lucas, *quod turbata eſt in ſermone eius*, adeò vt æternum illud verbum incarnari nō potuiſſe videtur, quid non turbationem aliquam ſimul generaret. Iam de ſecundo ingreſſu qui in Natiuitate illius fuit, noſtis quod ad Prophetam Aggæum dixerit; *Adhuc modicum & ego commouebo cœlum & terram, & mare, & aridam, & mouebo omnes gentes*, & ſequitur cauſa; *quia veniet deſideratus cunctis gentibus*. Et ita profectò euenit, legimus enim in Euangelica Hiſtoria, quod ea nocte qua Seruator noſter mundum introiuit, tota Palæſtina, immo mundus vniuerſus commotus fuerit edicto Cæſareo, currentibus omnibus mari ac terra ad nomina ſua Imperatori edenda. ipſo-

Cap. 9.

Luc. 1.

Cap 2.

ipſoque adeò cœlo Angelos in terram ablegante pacem hominibus annuntiaturos. Deſcribunt ſimiliter nobis Euãgeliſtæ alium adhuc ingreſſum Seruatoris noſtri in Aegyptum, quando Herodis Tyrannidem fugiebat, quam multo ante Propheta turbis ac commotionibus cauſam daturam prædixerat. *Aſcendit Dominus ſuper nubem leuem*, inquit Eſaias, *& ingredietur Aegyptum & commouebuntur ſimulacra*. Ita namque in Euſebio lib. primo Demonſtrationis Euangelicæ, ita apud Athanaſium libro de incarnatione, ita apud S. Auguſtinum libro de conſenſu Euangeliſtarum cap. 16. & 17. legimus, quod Seruatore noſtro Aegyptum ingrediente omnia Idola quæ Ethnici illi adorabant, in terram cõfracta corruerint. Id autem quoniam inſolens & admirandum fuit, quam tu non commotionem excitauiſſe arbitraris? Sed hodierna etiam die ſcribit Euangeliſta quod Chriſto Hieroſolimam ingrediente, *commota eſt vniuerſa ciuitas*. Sed neque ſic ſatis: Admirabilius enim eſt quod mortuus & reſuſcitatus ſola ſua præſentia motuum cauſa fuit. Ante quam enim in ſepulchro deponeretur. *Petræ ſciſſæ ſunt*, & cum poſtea ex eodem egredi vellet, *multa Sanctorum corpora ſurrexerunt*, abitura in locum quietis, & felicia ſe reputantia illud ſi ſibi per Seruatorem reſuſcitatum liceret. Hinc cum aliud non poſſet, ipſi ſaltem lapides, petræ, & monumenta commota fuiſſe perhibentur. Cum autem poſtea Sancta illius anima Inferni carcerem introiuit, Sanctorum Patrum animas inde liberatura, quid aliud ſecutum fuit quam tumultus & commotio? Hoc enim ſenſu Origenes Exodi illud declarat: *Tunc conturbati ſunt Principes Edom, robuſtos Moab obtinuit timor*; id eſt. Ingrediente Seruatore noſtro profundas inferni ſpecus, rumpente illius vectes ac ſeras, proculcante propugnacula & munitiones, Diaboli conturbati ſunt, & Principes tenebrarum obtinuit tremor. Accedit vltimus Redemptoris noſtri ingreſſus, qui in Aſcenſione fuit, quando victor ac triumphans cœlum introiuit. Vbi quis omninò ſuſpicare potuiſſet commotionem aliquam excitatam iri? & nihilominus excitata illa fuit, prout multo ante à Pſalmiſta fuit prædictum. Ingrediente namque Humani generis vindice metropolim ſuam ſupernam Hieruſalem, præcurſores portas aperire iubebãt & quemlibet vt pro merito Regem reciperet admonebant.

Cap. 19.

Mat. 27.

Cap. 15.
Orig. Hõ 6. ĩ Exo.

Hinc

Pſal. 26. Hinc enim ait. *Attollite portas principes veſtras, & eleuamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ*. Quo ſicut præcipiebatur facto motus reuera coortus fuit. Et quamuis turbatio illa quæ velut indiuiduus comes Seruatori noſtro ingreſſum alicubi paranti adhæſit, myſterium omninò aliquod in ſe contineat, id tamen facile planè cognitum ac explicatum eſt. Namquid tumultus ac commotiones illæ ſibi volunt, quę Rege aut Monarcha aliquo metropolim ſuam ingrediente ſolet cooriri? Certè ſiue togæ, ſiue belli tempore id fiat, nunquam populi commotio abeſt. Etenim belli tempore, ſi is adueniat, hoſpitia procuranda ſunt, reficiendi muri, ac alia iſtiuſmodi obeunda, quę abſque commotione aliqua geri non poſſunt. Pacis autem tempore æquandæ ſunt viæ, ornandæ portæ, purgandæ plateæ, tapetibus muri inſternendi: quorum nullum abſque motu aliquo fieri poteſt aut conſueuit. Verum quam ob cauſam tot ac tanti apparatus adhibentur? Nimirum vt conſtet Principem illum ſupremum Dominum eſſe, cui honor & reuerentia debeatur. Ob eandem ergo omninò cauſam Seruator noſter locum

Pſal. 24. aliquem ingrediens commotionem cauſauiſſe exiſtiman-

v. 10. dus eſt. *Vniuerſa via Domini veritas & miſericordia*, inquit Regius Propheta Dauid; vbi veritatis vocabulum pro iu-

Pſal. 88. ſtitia ponitur ſicut in Sacris litteris ſæpenumerò fit. Cui il-

v. 15. lud conſonat. *Miſericordia & veritas præcedet faciem tuam*. Si enim belli tempus ſit, tum Iuſtitia cum præcedit, ac intellectum turbat, excitãs illum ad potẽtiam eius cogitandum quem aduenire ſentit; ac etiam memoriam commouet, vt peccatorum quibus tantum Dominum multoties offendit recordetur. Commouetur ad hęc voluntas propter timores & apprehenſiones, exercens actus contritionis, quod nihil aliud eſt, quam muros reparare, quibus Deo reſiſtat. Quin ſingulæ hominis partes turbantur ac commouentur, iuxta

Pſal. 6. Dauidicum illud: *Sana me, Domine, quoniam conturbata ſunt oſſa mea, & anima mea turbata eſt valde*. Hęc enim effecta sũt quæ Deus aduentu ſuo in animam aliquam belli tempore cauſare ſolet ac generare. Qui ſi etiam pacis tempore adueniat tũm quidem animam commouet, at non niſi mirabili cum lætitia & reuerentia quadam filiali. Tunc enim anima ſanctas inſpirationes, quæ præcurſores quidam ſunt, perſentiſcens, eas hilari animo ſuſcipit, & illico gratiæ hoſpitium

ac lo-

ac locum parat, conſcientiam diligenter perluſtrat, ne quid forte in ea deliteat, quod Principem aduenientem poſſit offendere: conquirit deinde ornamenta virtutum, quibus illa haud aliquanto comptior ac ſpecioſior efficitur, quam neſcio quæ puella mundo ſuo muliebri exornata. Atque hæ commotiones ſunt, quas Seruator noſter tempore pacis animam introiens ſolet excitare. Ex quibus, amabo vos Audit. mei, nunquid etiam vos aliquas hoc Quadrageſimali tempore hactenus ſentiuiſtis? Iudicium illud de quo heri loquebamur, nunquid vos percuſſiſtis? Nunquid deinceps incorruptius & ſanctius viuendi propoſita feciſtis Vtrum aliquando Hoſpitium conſcientiarum veſtrarum ſupremo Domino introituro præparauiſtis? Certè ſi nullam harum commotionum ac immutationum ſentiuiſtis, ſignum eſt Deum ad vos necdum veniſſe. Sin autem experti aliquas eſtis, ac nihilominus effectum non percepiſtis, ſignum eſt, eum intrare voluiſſe, vos autem portas pulſanti aperire ac patefacere noluiſſe O miſeros ac infelices mihi credite, pulſabitis & aliquando vos cum fatuis virginib. ad illius portã, ſed nõ aperietur. Caeterum Seruatore noſtro tanta cum authoritate ciuitatem Hieroſolimitanam ingrediente, vrbis Optimates ac Principes ad inuicem admirabundi dicebant. *Quis eſt hic, &c. Hic eſt Ieſus.* Hoc autem cum illi per riſum ac ludibrium ſciſcitarentur, habentes eum pro homine plebeio ac fabri lignarij filio, & audientes cum admiratione à populo velut Regi illi acclamari. *Hic eſt Ieſus à Nazareth*; communis plebs quæ à primoribus doceri ac erudiri debebat, reſpondebat; & quis qui adueniebat eſſe declarabat. Ecce vobis hic Audit. Incarnationis Dominicæ fructum plane admirabilem, quæ plebeios ac idiotas Doctores facit, tumidos autem & arrogantes in tenebris inſcitiæ ingnorantiæque ſuæ relinquit. Et reuera hoc ipſum adeò Seruatori noſtro gratum fuit, quadam vt die diſcipulorum ſuorum concionantum miracula audiens, cæleſti ſuo Patri ilico gratias egerit dicens: *Confiteor tibi Pater quia abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis.* Matt. 11. Ita namque Eſaiæ illud adimpletum fuit. *Perdam Sapientiam Sapientum & prudentiam prudentum reprobabo.* Intuemini mihi paululiſper mentis oculis vniuerſum Eccleſiæ cor-

F pus

pus incipientes à primis eius incunabulis, & vſque ad noſtra hęc tempora delabentes: Videbitis mihi credite eos qui doctrinæ laude floruerunt, Diſcipulos piſcatorum & homines illiteratos fuiſſe. His enim Deus ſapientiam Grecorum, his ſuadam & eloquentiam Romanorum, his admiranda Theologorum ita infudit, ſimul vt ordinem Hierarchiæ quodam modo confudiſſe videatur. Eum enim ſecuti inquit S. Dionyſius, dicimus doctos & ſuperiores inferiores ac ignaros debere erudire, quemadmodum in cœlo fit, vbi Angeli altiorum claſſium, myſteria inferioribus detegunt ac reuelant. Verum in incarnatione Filij ſui Deus Creator humanitatem illius honoraturus, ac Euangelio plus ſplendoris & authoritatis conciliaturus, voluit in primitiua Eccleſia ordinem illum non obſeruari. Adeò vt S. Paulus dicere veritus non fuerit, ipſos Angelos multa myſteria ab Apoſtolis edoctos fuiſſe. *Mihi autem*, inquit ille, *omnium Sanctorum minimo data eſt gratia hæc, Euangelizare in gentibus inueſtigabiles diuitias Chriſti; vt innoteſcat principibus & poteſtatibus per Eccleſiam multiformis gratia Chriſti*. Ex quibus verbis nonnulli Doctores colligunt & exſculpunt Apoſtolos nonnulla ſecreta fidei noſtræ Angelis reuelauiſſe, de quibus illi particularem reuelationem non acceperant. Hinc S. Chryſoſtomus in prologo ſuper Ioannem id quomodo fieri potuerit declarans, ait Deum ad ſuum Euangelium & Apoſtolorum miniſterium honorandum ipſos è cælo Principatus ac Poteſtates de cœlo ablegauiſſe, vt Apoſtolos audirent, & inſtar puerorum lectionibus illorum intereſſent. Vt enim Sol mane in noſtro hemiſpherio exoriens, ſumma montium iuga radijs primum ſuis percutit ac illuſtrat, quia videlicet de ſublimi aeris regione coruſcans vicina ſibi ante loca vti ſunt montes, quam remota ac depreſſa, vt valles, neceſſario ſerenat: Ita ſi ſolem eundem ex terræ centro emergere ac oriri contingeret, an non primo humilia ac decliuia illuminans, poſtremo ſenſim ad altiora lucem diffunderet? Adhunc ergo modum ante Filij Dei incarnationem, cum Sol iuſtitiæ ex patris ſinu procedens in cœlo naſceretur, neceſſarium quodammodo erat cum lucem ſuam Angelis primum velut vicinioribus communicare, ac poſtea gradatim in homines transfundere. Poſtquam autem

De cæleſti Hierarchia part.1.

Ad Eph. cap.3

verbum

verbum æternum carne ſe noſtra induit, & puriſſimus iuſtitiæ Sol in hoc mundo naſcens ex virgineis Diuiparæ viſceribus exilijt, conueniebat myſteria quę Seruatorē noſtrum Deum ac hominem pariter concernebant, ante humilibus velut ſibi proximioribus communicari; vt ita Angeli intelligerent ab omnibus ſe myſteria nonnulla diſcere poſſe, poſtquam videlicet Deus homo factus fuiſſet; ac vt denique hominibus conſtaret humiles à Deo potius illuminari, quia ipſi proximiores eſſent, qui extremum ſe humiliarát. Ita enim in nocte illa aduenisse legimus, quādo diuinus iſte Sol in ſtabulo Bethleemitico natus primos claritatis ſuæ radios in humiles paſtores transfudit. Quiſquis proinde ſapientiam haurire deſideras, humilitatem diſce: ab hac enim vna cum diſceſſeris modum ad ſapientiam perueniendi faciliorem non es repertürus. Hæc enim in vnius momenti ſpatio hominem verè humilem ſapientia maiore inſtruit, quam multorum annorum ſtudia ac cura. Huius rei exemplum ac confirmationem ad oculum in Euangelio hodierni diei videmus, vbi Primores populi à plebe ac populo erudiuntur.

Humilitas generat ſciētiam.

Et intrauit Ieſus in templum. Poſtquam Seruator noſter cū admirabili totius populi applauſu vrbē Hieroſolimorum introiuiſſet, repēte ad templum ſe contulit gratias Deo dicturus, Romanis veteribus in more fuiſſe accepimus qui cum triumphantes vrbem introiuiſſent, illico ad Martis delubrum ſe recipiebant, pro victoria relata grates perſoluturi. Intrauit ergo templum, ac illic mercaturam exerceri, columbas vendi, negotiationes inſtitui videns, ſancto zelo impulſus, abacos & menſas numulariorum euertit. Itane verò? An ergo non ſufficiebat vendentes ac ementes flagro excepiſſe, niſi menſæ etiam ſubuertantur? At quid mali illæ commiſerunt? Sufficit videlicet quod inſtrumenta ſunt, quorum opera Deus offenditur ac irritatur. Serpēs in protoplaſtorum tentatione nihil peccauerat; attamen quia Diabolus eum ceu inſtrumentum vſurpauit, ideò maledictionem ſubire coactus fuit. Admirabile hoc & in primis ſalutare pro ijs documentum eſt qui Reſpubl. gubernandas ſuſceperunt, vt videlicet non ſolum in peccatores animaduertant, ſed malefaciendi etiam inſtrumenta ijs amputent reſecentq́;. Author eſt Plutarchus Lycurgum Legiſlato-

Geneſ. 3.

Peccati occaſio.

giſlatorem Lacedæmoniorum, cum vini abuſum & ſuorum quotidianam temulantiam conſpicaretur, non ebrioſos tantum puniuiſſe, ſed omnes prouinciæ ſuæ vineas ſtirpitus exſcindi iuſſiſſe, quo videlicet cæterum omnis ad ebrietatē occaſio reſcinderetur. Simile huic eſt quod Suetonius de Domitiano refert, qui publico edicto ignem vineis immitti iuſſit, ac ne quis deinde aliā plantare auderet interdixit: quod videlicet videbat vinitores omnem operam ad vitium culturam conferentes rerum magis neceſſariarum curam omittere. In his ego exemplis nec Lycurgi nec Domitiani interdictum laudo: neque enim improborum ac ſceleratorum abuſus bonos vtilium rerum vſu debet priuare: dicente S. Auguſtino. *Nunquid pro patria non eſt miles armandus, quia contra patriam arma nonnulli ſumpſerunt?* Nunquid propter vnum aliquem Chirurgum rudem ac imperitū, minus qui feliciter venam homini aperuerit, deinceps cauebitur ne quis ægroto ſanguinem mittat? *Tollatur abuſus*, ait Doctor quiſpiam, *& maneat legitimus rei vſus*. Non laudo ergo Audit. Lycurgum & Domitianum vineas quod exciderint, approbo autem eorum inſtitutum, quod erat omnes occaſionum radices extirpare & peccatorum inſtrumenta ſubmouere. Quis vetet Iudici abacos & alueolos in forum deportare ac concremare, ſi conſtet inſtrumenta illos fuiſſe perpetui luſus in priuatorum domibus? Quis vetet ſcorta & meretrices proſcribi, ſi liqueat earum occaſione Deum offendi ac homines infamari? Quis vetet eam carceri mancipari, arma autem in publico loco ſuffigi, omnes vt intelligant Iuſtitiæ rationem haberi, eius qui de nocte arma circumtulerit? Certè Moyſes Princeps ac Iudex populi Iſraelitici non contentus fuit eos caſtigare aureum qui vitulum adorarant, ſed inſuper in puluerem eum redigere voluit, aliqua ne memoria eius ſupereſſet tanto quod peccato inſtrumentum extiterat. Poſtquam Rex Ezechias ſanciuiſſet ne quis ſerpentem æneum adoraret, eundem poſtea in partes confregit, ac in torrentem Cedron abiecit. Quod ſi hæc exempla omnia ſatis non ſunt, Seruatoris noſtri inſtar omnium recipiamus, qui ideò menſas numulariorum euertit, quia peccati inſtrumenta extiterunt.

Contra Creſcon. Gramm. — Abuſus corrigēdus. — *Exod. 3.* — *4. Reg. 18.*

Et eijciebat omnes vendentes, &c. Rigor & auſteritas illa

qua hodie Seruator noſter erga prophano templi negotiatores vſus fuit, multis occaſionem præbuit malè vt de mercatura loquerentur, & ex hominum ſocietate penitus illam proſcribendam arbitrarentur. Inter hos nonnullis D. Chryſoſtomus fuiſſe videtur, quo videlicet ille admiratur quomodo mercator Dei ſeruus eſſe poſſit: conſtituens omnes negotiatores anathemate percutiendo videri. Verum Diuinus ille Doctor rigida iſthac ſua in mercatores ſententia declarare potius voluiſſe videtur quam difficile ſit eum diuitijs cor ſuum non apponere, mercaturam qui exercet. Atq; hoc illud periculum eſt quod nobis Spiritus S. inſinuauit dicens: *Sicut in medio compaginis lapidum palus figitur, ſic & inter medium venditionis & emptionis anguſtiabitur peccatis.* Reuera namque negari non poteſt propoſitionem illam cuius S. Auguſtinus meminit, verißimam eſſe, quemlibet videlicet care vendere, & bono pretio emere velle. Hinc deinde fit quod inter emendum ac diſtrahendum ſexcenta mendacia falſitatesque dicuntur: aſſerente venditore rem tantum valere quantum exegit, & emptore contra deierante tanti eam venire non debere! Quod ſi in emptionibus ac venditionibus, quæ vſitatiſſimæ mercaturæ ſpecies ſunt, tot ac tanta peccatorum pericula adeũtur, quid putas in verſuris, in creditis, in rationibus, & mille alijs ſubtilitatibus quibus moderni mercatores vtuntur non inuenietur? Mercaturam Rebuſpub. neceſſariam eſſe, & optimè nobiſcum tunc geſtum iri dico, ſi quilibet eam illo fine exerceret. propter quem excogitata eſt; bonum publicum puta, & Repub. à rebus neceſſarijs ſemper inſtruere. Verùm poſtquam auaritia & ſordes illi ſe immiſcuerunt, nihil ferè minus negotiatorum plærique cogitant quam ad eum finem, cuius gratia inuenta eſt, illam exercere.

Hom. 38 ſupra 21. Matth.

Mercatura periculoſa.

Eccl. 27. 2.

Quilibet enim ſui commodi rationem gerit, planè vt Apoſtolicum illud iam expirauiſſe videatur. *Charitas non quærit quę ſua ſunt* Vtrum ignoratis quod Seruator noſter ſacrilegis illis venditoribus occinuerit: *Domus mea domus orationis eſt, vos autem feciſtis eam ſpeluncam latronum.* Ita videlicet claris & perſpicuis verbis latrones illos appellauit, qui verſuram in templo exercebant dele, & res pro ſacrificijs vendebant, & res pro ſacrificijs vendebāt ac

1. Cor. 13.

Digitized by Google

coemebant. Quiſquis enim pluris merces ſua vendit quam valeant, hic lætro eſt & iuſtitiam non operatur. Quiſquis mutuũ dans auctariũ & fœnus accipit, vſurarius eſt, quia videlicet tẽpus vendere non veretur, quod æquè accipientis quam dantis eſt. Poteſtne aliquid in mundo quam tempus communius reperiri? Agri certè, prædia, vineæ, ædificia, veſtimẽta pretioſa, dignitates, honores, Principibus ac opulentis ceſſerunt; Tẽpus aũt cum æqualiter omnibus cõceſſum ſit, quo tu id iure vendere non vereris? Maneat ſanè eum qui fœnoris ergò mutuum dat latronem eſſe, & directè contra mutui finem facere. Quærite mihi ex Latinis quo vocabulo mutuum dare appellent; Reſpondebunt vobis, *accommodare id ſignificare*, quod idem eſt, ac ſi dicas, *ad commodum alterius dare*; quemadmodum etiam mutuum nihil aliud ſonat, quam ex *meo tuum facio*. Verum ſordidi ac illiberales mercatores deriuationem contrariam excogitantes, dicunt *accommodare* idem eſſe quod *ad proprium commodum dare*; & nomen *mutuum* interpretantur *meum facio quod eſt tuum*; quia nimirum inter accomodandum alterius ſubſtantiam exigunt, illicitum lucrum ac fœnus accipientes. Quid ego hoc loco dicam de prætextis quibus illi aſtus ac vauritiem ſuam palliare norunt & occultare? quaſi reuera Deus non oculos ſuę perfectæ cognitionis habeat quibus omnia poſſit pænetrarè. O impudentia pœna digniſſimam! Vos ne Deo fraudibus veſtris imponere vos poſſe exiſtimatis? *Quis niteris oſtendere bonam viã, tuam,* inquit Deus per Ieremiam (vbi etſi de diuerſo argumento verba faciat, vſurarum tamen palliatores illos affari mihi videtur) *ad quarẽdam dilectionem, qua inſuper et malitias tuas docuiſti vias tuas, et in alis tuis inuentus eſt ſanguis animarum pauperum innocentium.* Id eſt. Quomodo tu nobis perſuadebis vias tuas bonas ac iuſtas eſſe, appellando mutuum gratuitum, quod tamen fænus & vſura eſt quomodo gloriaris beneficium te illi præſtitiſſe, *ad quarendam dilectionem*, cui argentum tuum fæneratus es? An ergo non vides ad oculum malitias tuas ſpectari? Apparet nimirum in alis tuis ſanguis innocentũ; Damaſceni illi tui panni, tapetes Turcici, pediſſequorum numerus, mundus ille muliebris vxoris ac filiarum tuarum, hæ fimbriæ aureæ, iſtud holoſericum variegatum, omnis denique iſta vanitas, qua tu non ali-

Tempus omnibus commune.

Cap. 2. v. 33.

aliter quam alis quibuſdam in altum eueheris, tincta ſunt ſanguine pauperum quos emunxiſti. Certè ſi ſericum illud tuum torquendum ac ſubigendum eſſet, pauperum miſerrimè circumuentorum ſangui copioſiſſimè inde promanaret.

O periculoſam mercaturam, non tantum tunc quando iniuſta ac iniqua eſt! Cum enim etiam licitè exercetur, tot negotijs quibus illa affluit Spiritus hominis diſtractus vix ac ne vix quidem de animæ ſalute cogitationem aliquam ſaniorem ſuſcipere poteſt. *Nemo* enim *militans Deo implicat ſe negotijs ſæcularibus*, inquit S.Paulus, exiſtimans fieri non poſſe ſimul vt oculos in negotia mundi & in ſeruitium Dei conijciamus. *2. Timo. 2.*

Et quid de ijs ſentiendum eſt, qui deliberato animo in ea ſe ingerunt atque immergunt? Mihi crede cauſa non caret, quod Seruator noſter negotiatores è templo eiecit, ac latrones illos nuncupauit. Quod tamen ego non dico ad bonos vellicandum, ſed ad malos corripiendum.

Videntes autem Phariſæi, &c. Videntes Iudæi authoritatem illam qua Seruator noſter erga mercatores illos vſus fuit, rabie ac furore propemodum diſſiluerunt. Hos vt egregiè Chriſtus confunderet linguas infantum excitauit, qui adhuc in matrum gremijs luſitabant, ita vt confeſtim laudes illius decantare incœperint. Vbi conſiderate quibus inſtrumentis Deus vtatur ad honorem ſuum proferendum, & inimicos è contra confundendos. Id autem mirum vobis videri non poterit, ſi ſciatis Dei hunc morem conſuetudinemq; eſſe, qui iuxta Diuum Paulum debilia inſtrumenta eligit vt fortes ac robuſtos confundat. *Nunquid* dicebat DEVS ad Iob, *ingreſſus es theſauros niuis, aut theſauros grandinis aſpexiſti, quæ præparaui in tempus hoſtis, in diem pugnæ et belli?* Qui vero grandium ac niuis theſauri illi ſunt quos Deus conflicturus ſe adhibere gloriatur? Dei theſaurus honor illius eſt, qui ſecundum nos ac noſtri reſpectu in omnipotentiæ ſuæ manifeſtatione conſiſtit. Deus autem dicit quod per niuem illam poſſit exerere ac manifeſtare. *Iob. 38.*

Nunquid aliquando conſiderauiſti, inquit Deus theſaurum potentiæ meæ quæ in niue conſiſtit? Cum bellum hoſtibus meis illaturus ſum, non nitrum, non puluerem tor-

mentarium, non baliſtas, non catapultas adhibeo, ſed inſtrumenta debilia & inſtar niuis à Sole percuſſæ diffluentia. An ignoras quemadmodum Pharaonem in AEgypto fregerim atque domuerim? Ranæ autem & muſcæ quibus vſus fui nunquid amplius quam niuis flocci ſunt? An non recordaris quomodo ſolo buccinarum & tympanorum ſonitu Madianitas ſubiugarim, ſicque potentia meam declararim? Ecce vobis Auditores myſterium quod ſub verbis illis latet quæ Deus ad Iob dixit; volens videlicet illi demonſtrare debilibus ac infirmis ſe inſtrumentis ad fortes debellandos ſuperandosq; vti conſueuiſſe. Idem etiam Propheta Dauid clamitabat, quando populum ad Deum laudandum exhortatus dicebat. *Date gloriam Deo ſuper Iſrael, magnificentia eius, & virtus eius in nubibus.* Verum quid illud eſt quod Dauid in nubibus animaduertit, & propter quod Deum laudari præcipit & exaltari? Arrigite mihi pauliſper aures ac mentes Auditores, & videbitis qualia Deus in nubibus admiretur, & quomodo per illos potentiam ſuam demonſtret, Conſiderate primum earum vtilitatem, originem & inſtabilitatem. Generantur illæ ex vaporibus quos Sol à terra attrahit: attolluntur deinde ſenſim ac paulatim, per aerem, eleuantur ac extenduntur & velut montes aceruantur atque conglomerantur. Quod ſi venti ſuperueniant: non aliter quam pilæ huc & illuc iactitantur, adeò vt eas obſeruare cupienti ne veſtigium quidē amplius appareat. Experimur nos iſtud quotidie, ac deprehendimus nihil leuius, nihil infirmius, nihil inconſtantius quam nubem reperiri. Et tamen mirabilis Dei poteſtas, vis ac magnificentia in illis elucet. Si enim eas primum quatenus viſus noſtri obiecta conſideremus, quis non admirabitur diuerſitatem figurarum ac colorum in ijs apparentium, & quemadmodum non obrizum aurum æquè oculis hominum illudat ac lenocinetur, ſicut nubes aliqua radijs ſolaribus illuminata. Verùm quid ego hic de mirabilibus effectis dicam quę Deus per nubes operatur: Noſtis quemadmodum populo Iſraelitico vna eademque nube interdiu vmbram, noctu autem lucem impertiuerit. Noſtis quam ſæpè præter noſtram voluntatem. DEVS effecta contraria per nubes operetur, dummodo aquam demittit quæ terram fœcundat, famem pellit,

Exod. 5. & 9. *Ioſue. 6.* *Pſal. 67.*

pellit,& fructuum fertilitatem cauſat. Dum modo in medijs nubibus grando generata meſſem deijcit, arbores frangit, vineas flagellat, annonæ caritatem inducit. Dum modo toni trua excitat, fulgura expellit, fulmina deijcit. Ego certè quoties horribilem illum tonitruum ſtrepitum conſidero, in aëre Deum bellica ſua tormenta collocaſſe exiſtimo, fulgetris ignem referentibus, tonitru pulueris horrendum fragorem, & fulmine globos repræſentante.

An non hoc ingens diuinæ magnificentiæ ſignum eſt, quod ex nubeculis complosis fulmen excutit quo montes dirumpuntur, turres percutiuntur, & ſuperbiſſima quæque ædificia ac pergama ſubuertuntur? Quis vnquam ſuſpicari potuiſſet ex materia ad eo leui ac infima telum ita forte ac validum efformari? Non admiremur ergo amplius quod Dauid dicat Dei fortitudinem ac magnificentiam in nubibus relucere; neque etiam Ieremiæ illud, quo oſtendit quantum Deus mediantibus creaturis ſuis poſſit.

Nunquid videre deſideratis, inquit Propheta ille, quid potentia Dei poſſit efficere? *Dante eo vocem, multiplicantur aquæ in cœlo, eleuat nubes ab extremo terræ, & fulgura in pluuiam facit.* Cap. 21. v. 2. Adeò videlicet aqua, nubes, & fulgura diuinæ omnipotentiæ teſtimonia ſunt, quæ in nulla re euidentius cernitur, quam dum admiranda vilibus inſtrumentis operatur, & fulmina nubibus excitat, ac bella floccis niuis gerit. Idem hodierna die Seruator noſter factitauit, quando Ieruſalem ingrediens primores Vrbis acclamationibus idiotarum confudit, & ſcribas ac Phariſæos teſtimonio lactentium ſuperauit atque compeſcuit. Ex quo Chriſtianus, diſcet, ſe vt mirabilia Deus in illo operetur humiliari oportere. Talibus enim ille velut inſtrumentis aptiſſimis vtitur, vt ſapientes doceat, horum linguas erudit ac regit vt laudes ſuas deprædicent, hos denique gratia ſua perfundit, vt poſtea in gloria extollat, *quam mihi, & vobis, &c.*

CON-

CONCIO OCTAVA,

PRO FERIA QVARTA

POST DOMINICAM INVOCAVIT.

Acceſſerunt ad Ieſum Scribæ & Phariſæi. Matth. 12.

INTER admirabiles viſiones D. Ioanni in Inſula Pathmo exulanti à Deo exhibitas eminere mihi illa videtur, quæ nono Apocalypſeos capite declaratur. *Vidi ſtellam,* inquit S. Euangeliſta, *cecidiſſe de cœlo in terram, & data eſt ei clauis abyſſi, & aperuit puteum, & aſcendit fumus putei ſicut fumus fornacis magnæ.* Vbi ſecundum communem ac vulgarem opinionem irreparabilis ſuperbi Luciferi lapſus nobis deſcribitur, qui cœlo pulſus ac in infernum deturbatus fuit.

Super Apo. c. 9

Hinc non ait Euangeliſta, prout Rupertus animaduertit, vidiſſe ſe illum cadentem: quippe cum lapſus ille longo tempore ante viſionem hanc acciderit. Data autem fuit illi clauis abyſſi, quia plenam Inferni poteſtatem accepit.

Clauis in Scriptura ſignificat poteſtatem.

In Scriptura namque ſacra clauem alicui dare idem eſt, quod integram authoritatem, poteſtatem, & iuriſdictionē deferre, prout ex Eſaiæ illo liquet. *Dabo clauem Dauid ſuper humerum eius.* Quoniam autem Lucifer omnium ſuperbiæ filiorum Princeps, prout Iob ait, id eſt Diabolorum fuit conſtitutus, ideò dicitur clauem abyſſi, ſeu inferni delatam illi fuiſſe.

Cap. 22.
Cap. 41.

Additur deinde fumum egreſſum fuiſſe, ipſum qui Solem, ac aerem obſcurarit, quia videlicet omnes ſpirituales tenebræ quæ in mundo ſunt, ex inferno exhalantur, & ab illius incolis eructantur. Illud autem quod maximè conſideratione dignum mihi videtur verba hæc ſunt: *De fumo putei exierunt locuſtæ in terram, & data eſt eis poteſtas, ſicut habent poteſtatem ſcorpiones terræ.* Et quæ

in earundem locuſtarum deſcriptione ſequuntur. *Facies earum tanquam facies hominum, & habebant capillos ſicut capillos mulierum, & caudas ſimiles ſcorpionum.*

Admirabilis hæc reuera viſio eſt, &c. de cuius ſenſu, ac expoſitione non ſatis inter Doctores conueniat. Alij enim per locuſtas illas Diabolos intelligunt, alij hæreticos qui ex ſuperbiæ, ac ignorantiæ fumo prognati, inſtar radicis igne abſumēdæ, iam inde à natiuitate ſua profumati ſunt. Aliorum autē & meo quidē iudicio verò ſimilior opinio eſt, locuſtas illas quoslibet nobis repræſentare qui ſub ſanctitatis quodam colore, ac prætextu, malitiæ venena clanculum diſſeminant. Tales enim, ſicut Dauid ait, *loquuntur pacem cum proximo ſuo, mala autem in cordibus eorum.* *Pſal. 27.* Homines neſcio quem candorem præſeferentes ac interius veneno pleni: Homines qui extremitatibus dentium ſuorum quempiam laudare norunt, ac interim ſanguinem illius exſugere concupiſcunt: Homines inquam Phariſęis illis per omnia ſimiles de quibus hodiernum noſtrum Euangelium mentionem facit. Planè enim verba aptiora reperiri non poſſe exiſtimo, quam illa quibus Diuus Ioannes locuſtas illas depingit. Dicit namque imprimis eas ex fumo generatas fuiſſe; & quiſquis ſciuerit quibus fumis Phariſæorum capita grauata fuerint, is mihi credite illicò homines è fumo natos appellare non dubitabit, propter intolerabilem, & Aphricanum quendam animorum faſtum, qui tamen poſtea ad inſtar fumi euanuit ac in aerem reſolutus fuit. Videbantur deinde locuſtæ illæ volare, cum vix ad quattuor pedes ſupra terram euectæ, eidem continuò alliſæ iterum afflictæque fuerint. An enim ignoratis quid Euangeliſta dicat? *Acceſſerunt ad Ieſum Scribæ, & Phariſei.* Itane verò? Poterant ne adhuc volare altius quam volauerint, accedendo ad Seruatorem noſtrum, & Magiſtri nomine illum afficiendo? At videte quomodo è veſtigio in terram reciderint, cum turgido illo ſuo *Volumus*, propriæ voluntatis pleno, quæ, ſecundum Diuum Bernardum, ſola in Inferno ardet ac vrit: Habebant adhæc Apocalypticæ illæ locuſtæ facies hominum; quemadmodum etiam Phariſæi habuerunt. Etſi enim *Serm. 3.* demonſtrationes illorum viriles fuiſſe ac ſanctitatem ali- *de Reſur* quam reſipuiſſe videantur; attamen confeſtim mulie- *rectione.*

bres

bres capillos oſtendebant, quia videlicet eorum effecta (quæ in ſacris litteris capilli nominantur) effæminata erant, & quia ad inſtar mulierum abiecti ac anguſti animi aſtutijs, & calumnijs delectabantur, nullum penitus virilis conſtantiæ ac animi iudicium exhibentes. Ob hanc deinde cauſam Seruator noſter Sabæ exemplo in rem præſentem adducto præclarè illos confundit, quæ cum mulier eſſet virtutum tamen laude ijs præluxit. At videamus etiam quemadmodum ſcorpionum caudę de quibus S. Ioannes loquitur, Phariſæis conueniant. Scorpio eius naturæ eſt vt à parte anteriore mulceat ac aduletur, cauda verò pungat ac vulneret: ſicque blandiendo inficiat, & inficiendo aduletur. Itane verò? Videte mihi pauliſper Auditores, quam beneuolentiam Phariſæi in verbis præſetulerint, ſalutantes Seruatorem noſtrum Magiſtrum, & ad inſtar diſcipulorum illum accedentes. At videte etiam peſtilentes eorum caudas, dum videlicet hac intentione eum aggrediuntur, cauſam vt calumniandi inueniant, ac exſculpant. O maledictas locuſtas! ò infernales, & Diabolicos ſcorpiones! Verùm quodnam contra peſtifera illa infecta remedium eſt? Idem omninò quo locuſtæ fugantur, & expelluntur. Hoc .n. Seruator noſter hodierna die vſus fuit, quando improborum iſtorum peruerſione perſpecta cum ſeuera quadam conſtantia ad eos ſe conuertit dicens: *Generatio praua, & adultera*, & ex inferni fumo proſeminata, deſideras tu quidem ac repoſcis etiam miraculum, quaſi digna fores, verum nihil minus tibi videre continget, vnum autem aliquando viſura es, non ad ſalutem, ſed ad tuam condemnationem. Aduertitis credo Audit. quomodo eos à ſe arceat, quomodo ſubmoueat, & veluti infernales locuſtas excommunicet. Idem vobis cum ſimilibus obſeruandum eſt, ne videlicet ij vos miſerrimè fallant, ac circumueniant. Admodum enim magnus locuſtarum iſtiuſmodi numerus in mundo eſt, qui neſcio quam ſanctitatem ante mentientes, poſt vulnerant, ac pungunt. Caueat proinde quilibet ne plus elegantium verborum lenocinio, quam illi Spiritus S. teſtimonio crediſſe videatur. *Fili ſi te lactauerint peccatores, ne acquieſcas eis: pedes enim eorum ad malum currunt.* Offerunt videlicet illi Fratribus ſuis lac quemadmodum Iahel, quæ Capita-

[Margin notes: Scorpio & illius proprietates. — *Prou.* 1. — *Iud.* 4.]

nео

neo Siſari id propinans, ac ſomnium ignaro concilians, clauum poſtea illi in caput defixit, & occidit. Fuge mi frater, fuge inquam horum conſortia, monſtra ijs faciem rigidam, ac ſeueram, & non aliter quam infernales locuſtas veneno te ſuo infecturas deteſtare. Ex harum locuſtarum numero omnes adulatores ſunt, qui vaniſſimorum verborum lenocinio animas innocentium incantantes, falſam ſecuritatem in vicijs ſuis illis ingenerant.

Magiſter. Hoc illi nomine inſidias ſuas tegunt, ſub hoc virus, ac venenum ſuum abſcondunt, ſalutantes Seruatorem noſtrum Magiſtrum, quippe qui ſciant eum ſibimet nomen hoc impoſuiſſe, & ſi quo alio admodum illo delectari. Nihil autem facilius eſt quam hominem per id ſupplantaſſe, ad quod ille naturali quadam inclinatione propendet. Et didicerant hanc lectionem ac ſtratagema impij iſti Phariſæi à ſupremo ſuo didaſcalo, Diabolo puta, qui per ea nos aggreditur, & adoritur, ad quæ plerunque, & potiſſimum affici nos conſpiciatur. Vnde vt tanto facilius nos ſubuertat, ab ipſis primis noſtris incunabulis explorat quibus maximè rebus paſcamur ac delectemur, vt per eaſdem poſtea nos ſubruat ac ſupplantet. Hoc ſenſu S. Hieronymus Dei illa ad Iobum verba exponit: *In præruptis ſilicibus* (aquila) *commoratur, atque inacceſſis rupibus: inde contemplatur eſcam, & de longè oculi eius proſpiciunt.* *Cap.25.* Oculi Diaboli (qui ideò Aquilæ comparatur, quia auis rapax, & prædatrix eſt) inquit S. Hieronymus, ſagacitatem intellectus illius ſignificant, vt enim Aquila inſtinctu quodam naturali inacceſſa habitans prædam ſuam eminus ſpeculatus, eius iter ac cubile obſeruat. Ita Diabolus inde ab adoleſcentia, ac natiuitate ſingulorum inclinationes notat, quo faciliùs venatui poſtea indulgens prædam ſuam conſequatur. Habet namque ille inſignem venandi peritiam, & admirabili dexteritate pollet. Vt enim auceps pabulo auibus gratiſſimo ſparſo eaſdem capit, & illaqueat: Et ſicut Venator cubili beſtiarum obſeruato non difficulter eas conſequitur. Ita Diabolus per ea nos tentat quæ gratiſſima nobis ſunt, & tunc irretit atque illaqueat cum cubile cogitationum noſtrarum, vel rem in qua illæ communiter volutantur, obſeruauit. Hinc Pſalmiſta ait: *In via hac qua ambulabam poſuerunt laqueum* *Pſ. 139*

Aquila Diabolum repræſentat.

queum mihi: Idem non nemo ex amicis Iob ſignificare voluit, quando de Diabolo ac illius inſidijs verba faciens, iuxta explicationem Gregorianam inquit. *Abſcondita eſt in terra pedica eius, & decipula eius ſuper ſemitam*. Id eſt. Diabolus hominum auceps animas capturus laqueos, & retia ſub terra carnalium voluptatum abſcondit, vt ita homo oculos in id ad quod afficitur non conijciens, eo facilius irretiatur. Facit proinde idem Diabolus quod Catilinam feciſſe Hiſtorici ferunt, qui vt plurimorum qui coniurationi ſuæ ſeruituri videbantur voluntates ad ſe pelliceret, ante ſingulorum ingenio ac inclinatione naturali diligenter explorata, auarum pecunia, libidinoſum mulieribus, ambitioſum dignitatibus, ſuperbum denique officijs ac honoribus ſibi deuinciebat, ſicque ingentem voluntatum turbam contrahebat. Legimus in Sacris litteris
Iud. 9. eadem arte ſuperbum Abimelech vſum Regno Schemitarum inſidiatum fuiſſe. Simili etiam ac germano artificio maledictum Machometem emerſiſſe. Et conſtat denique pari fraude, & dolo Antichriſtum inſtructum fore, vt potè opera ac induſtria diaboli, qui quæ ipſe ſemel callet, Diſcipulis ſuis prælegere ac inculcare non ceſſat. Adhibuit autem circumueniendi illam ſuam rationem in venatione protoplaſtorum noſtrorum, quando per appetitum ſcientiæ, qui quatenus creaturis rationabilibus conueniebat,
Gen. 34. eos irretiuit ac illaqueauit. Hac ille fraude ſpecioſam Dinam filiam Iacobi in ruinam impulit, circumueniens
Act. 9. illam appetitu curioſa ſpectandi, qui ſexui fœmineo naturalis propemodũ eſt. Hoc aſtu in Dauide, & Salomone vſus fuit, qui cũ natura faciles, & manſueti eſſent, ideò non difficulter illi amoribus fœminarum circumueniri poſſe
Gal. 2. videbantur. Ad eundem modum S. Paulum per legis zelum adortus fuit, ſiquidem ipſemet confitetur, nemini ſe in obſeruatione antiquarum traditionum cedere velle. Hoc denique vnicum Diaboli ſtratagema eſt quo ille plerumque, & libentiſſimè vtitur: prout id Diſcipuli illius puta Phariſæi hodierni Euangelij declarant, qui neſcio quam complacentiam in Chriſto ſibi imaginantes eò, quòd Magiſtri nomine delectaretur, eodem ſibi illum afficiendum putauerunt. Verum dum quanta poſſunt aſtutia laqueos locant, & retia ponunt, præda ijs è manibus elabitur, &

miraculo quòd calumniandi cauſa fieri petebant non impetrato, re infecta diſcedere coguntur. *Nam fruſtra iacitur rete ante oculos pennatorum.* Ex hoc itaque loco Chriſtianus mihi diſcat velim quomodo inſtar Argi alicuius, aut velut oculata illa Ezechielis animalia aſſiduò circumſpicere, & præcipuos ſuos appetitus ac inclinationes debeat obſeruare. Vnde ſi nonnunquam iter, illum per huiuſmodi aliquem appetitum habere contingat, diligenter ſibi caueat ac proſpiciat, non aliter quam Viator aliquis viam ſuſpectam ac ſubſeſſam incedens facere conſueuit. Timeat ille mihi ad quemlibet paſſum, neque vllibi pedem figat, ante quin locum anxiè, & ſollicitè explorarit. Quod vt etiam alacriùs faciat, recordetur à Deo Angelum ſibi cuſtodem additum, & adiunctum eſſe. Nam *Angelis ſuis mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus vijs tuis.* Et eſt reuera admirabile iſtud in eodem planè loco in quo Diabolus laqueos ſuos nobis ponit, illic ſemper Angelum Cuſtodem præſto, & ad manus nobis eſſe, quemadmodum officij ſui ratio quòd à Deo ipſi impoſitum exigit ac requirit. Porrò quo facilius pericula illa quibus omnes nos expoſiti ſumus euitemus, duo ante omnia Chriſtiano alicui facienda obſeruandaque ſunt: Primo vt quanta poteſt diligentia, & omnibus viribus collatis annitatur bonas, ac malas ſuas inclinationes cognoſcere (bonas enim non exēptas eſſe ante in zelo S. Pauli audiſtis) ac ijs poſtea cognitis magna eum cautela & timore in illis ambulare. Secundo vt Angelo cuſtodi aſſiduo ſe commendet, ac eum inſuper ſupplicibus votis veneretur, quatenus officij ſui memor pericula imminentia illi reuelare, ac ab ijſdem protegere illum velit. His enim duobus modis inſtructus facilè quoslibet Diaboli laqueos declinabit, & retia illius elabetur, cum Dauide dicens: *Anima noſtra ſicut paſſer erepta eſt de laqueo venantium: laqueus contritus eſt, & nos liberati ſumus.*

Prou. 1. *Pſal. 90.* Angel. Cuſtos. *Pſ. 123.*

Volumus à te ſignum videre, &c. Conſiderate mihi ac inſpicite obſecro duo iſthæc *Magiſter*, *& volumus:* ac videte quomodo eá cohæreant, & vtrum vos illa conciliare valeatis. Alterum humilitatem, ſuperbiam alterum extremam ſapit. Per hoc detegebant qui eſſent: per illud qui eſſe deſiderarent declarabant; ſuperbi erant, at humiles audire,

dire,

dire,& videri cupiebant: verum ſicut omnis ſuperbia inflata eſt,ita paululum ſi eam premas,illico crepat. Ferunt Æſopi fabulæ Aſinum quandoque pelle Leonina veſtitum omnibus terrori fuiſſe, poſtea autem voce ac rugitu agnitum omnium ſe ludibrio expoſuiſſe. Idem hodie Phariſæis accidit qui mirabiliter humilitatem præſeferentes,ſimulac os aperuerunt, altero tantum verbo prolato quales eſſent,agniti fuerunt. Dicentes enim *Volumus* ſatis ſuperque ignorantiam arrogantiamque ſuam demonſtrauerunt, neque vllo modo ſuperbiam ſuam quam animo circumferebant amplius occultare potuerunt.Habet enim ſuperbiæ iſtud vitium hanc etiam præter cæteras proprietatem, quod vix ac ne vix quidem poteſt diſſimulari. Peccauerunt proinde Phariſæi noſtri, & neque Logicos neque fideles ſe eſſe demonſtrauerunt. Logica namque docet *Magiſtri* illud nomen relatiuum eſſe, & ſuperioritatem ſignificare: cum ergo eum Magiſtrum appellauiſſent,debebant certè etiam illo ſe inferiores exiſtimare,neque turpidum illud *volumus* proferre,quod ei tantum conuenit qui cum ſubditis ſuis verba facit. Hallucinati deinde ſunt in præceptis Fidelium, quorum prima regula eſt, propriæ voluntatis abnegatio. Vnde ſicut qui Platonem audituri erant ante interrogabantur vtrum Matthematici eſſent, iuxta legem illam quam Scholæ ſuæ præfixerat. *Nemo huc ingrediatur expers Mathematicæ:* Ita primum requiſitum eſt Scholam Ieſu Chriſti frequentare violentium,ſeipſos abnegare. Primum paſſum Seruator noſter in hunc mundum non alio fine fecit quam vt voluntatem Patris ſui impleret, iuxta Dauidicum illud. *In capite libri ſcriptum eſt de me vt facerem voluntatem tuam* Et additur. *Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei*, ſubaudi *defixi*,ne videlicet vel vnum illius apicem præuaricaret. Hæc verba Seruatoris noſtri ſunt, quibus ille cæleſtem ſuum Patrem affari potuit, qui ſicut ab inſtanti conceptionis ſuæ hanc propriæ abrogationis viam incedere incœpit, ita eandem omnes fideles ambulare deſiderat, dicens: *Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum*. Nam quomodo tu alium ſequi poteris, ſi eadem via non incedas? Cæterum videte mihi paulisper quomodo Phariſæi Seruatoris noſtri diſcipuli eſſe potuerint,primam cum illius

Fabulæ elegans applicatio.

Pſal. 39.

Mat. 16.

illius ſcholæ lectionem ignorarint, vnde nec mirari poteſtis quod eos adeò acriter reprahendat, quia ſe videlicet Magiſtrum appellauerunt, tātoperè interea propriam voluntatem diligentes. Nam ſecūdum D. Paulum inter præcipuos fines ad quos Seruator noſter mortem oppetens 2. *Cor.* 5. collimabat, hic etiam fuit, propriam videlicet voluntatem in nobis occidere. *Pro omnibus* inquit Apoſtolus, *mortuus eſt Chriſtus, vt & qui viuunt non ſibi viuant, ſed ei qui pro ipſis mortuus eſt*. Qui autem ſibi viuunt, niſi illi qui pro libitu ſuo omnia faciunt, & quaslibet ſuas actiones ad vnā propriæ voluntatis regulam, & libellum conformant? Qui autem Seruatori noſtro viuunt niſi illi, qui hoc vnicū in omnibus ſpectant quomodo ſanctiſſimæ illius voluntati morigerentur? Cur autem Chriſtus mortuus eſt inquit S. Paulus, niſi vt non nobis ſed vt Deo viuamus, noſtræ voluntati renunciemus, illius autem adimpleamus? Nolite autem exiſtimare Aud. eum nimium pro morte ſibi ſua vendicare, hac .n. mediante nos cum mancipia eſſemus redemit, prout idem Apoſtolus docet, vnde non conuenit mancipium propriæ ſuæ voluntati indulgere, ſed potius illi à quo redemptum eſt obedite. *Non eſtis veſtri*, inquit Apoſt. *empti .n. eſtis pretio magno. Glorificate, & portate Deum* 1. *Cor.* 6. *in cordibus veſtris in ſpiritu veſtro quæ Dei ſunt*. Hoc autem ſi non fiat (obſeruate iſtud Audit.) tum verò non tantum Deus, ſed etiam creaturæ offenduntur, ac eum qui ſuam diuinæ volūtati præpoſuit plectere, & vindictam ab eo repoſcere ſatagunt. Quam .n. aliam ob cauſam omnes creaturæ Adamo primum per omnia ſubiectæ, ab eo poſtea defecerunt, niſi quia ille diuinam voluntatem neglexit ſuæ vt *Geneſ.* 3. obſecundaret? Hoc frigus quod vos affligit, & vexat, hic calor qui vos vrit, ſitis quæ vos excruciat, fames quæ vos premit, morbus qui vos debilitat, & omnes reliquæ creaturæ quæ vos exercent quid aliud amabò ſunt, quam flagella quædam, quibus Deus peruerſam veſtram voluntatem cædit ac punit? An ergò æquum non eſt eam vos cane, & angue peius deteſtari, tantis quæ vos calamitatibus affecit? Et quamuis ad doctrinæ huius confirmationem innumera exempla conquiri poſſunt, nos tamen intra Euangelij noſtri terminos ac carceres manentes, vnicum tantum Prophetam Ionam in rem præſentem

Ionæ inobedientia.

adducemus. Huic à Deo iniunctum erat ciuitati Niniue prædicare, cum ecce tibi ille propriæ quam diuini voluntati obtemperare malens, paſſis velis Deum ac illius præceptum fugere inſtituit. Verum adſunt confeſtim iniuriæ vindices, & hanc inobedientiam puniunt ac perſequuntur. Cœlum intempeſtum accuſatorem agit, venti lictores, fluctus carnifices, mare carcerem, balena denique carceris barathrum repræſentat: omnia autem iſta coniuncta diuinæ iuſtitiæ executores ſe exhibent atque demonſtrant. Nam cælum, terra, venti, vndæ, mare, cete, ac omnes deniq; creaturæ eis rebellare debent, propriæ qui voluntatis mancipia, quam diuinæ adminiſtri eſſe malunt. Deo conſtat quot lites, rixas, ac diſſenſiones in priuatis veſtris domibus excitaueritis, quot etiam in vobis ipſis, dum proprijs affectibus indulgere ſatagitis. *Vnde bella, & ſeditiones,*

Cap 4.

ſciſcitatur S. Iacobus, *nonne ex concupiſcentijs veſtris*, quæ filiæ ſunt propriarum veſtrarum voluntatum? Tollite proinde mihi propriam illam voluntatem, & vbique pacem ac tranquillitatem inuenietis. Tollite mihi inquam illam, & faciam vt amplius infernus non ſit. Neq; enim is alio fine excogitatus eſt, quam vt iſta in illo caſtigetur: & certum ac indubitatum planè eſt nihil in inferno ardere vbi ab vna propria voluntate diſceſſeris. Hanc ergo adeò pernicioſam beſtiam quis non deteſtetur? Quis non quam diligentiſſimè ab iſtiuſmodi ſibi monſtro caueat? Quis malū iſtud non fugiat, tantorum quod malorū cauſa eſt? Propter hanc propriam voluntatem Seruator noſter in hodierno Euangelio Phariſæis grauiſſimè indignatus fuit, qui cum Diaboli ſerui mancipiaq; eſſent, miraculum tamen non petere ſed exigere etiam audebant. Verum videamus quid Redemptor noſter illis reſponderit. *Generatio mala*, inquit,

Prou. 27. 4.

&c. Reſponde ſtulto, ait Sapiens, *iuxta ſtultitiam ſuam, ne videatur ſibi eſſe ſapiens.* Admirabile planè, & præſentiſſimū remedium iſtud eſt, ad hominum agreſtium, & ſtolidorum infirmitatem curandam. Eius enim impudentiæ ac ineptiæ plærunq; ſunt, vt non acrioribus aliquanto verbis repreſſi atq; coerciti delirandi ad deſipiendi finem non faciant: exiſtimantes interea ipſo ſe Salom. prudentiores eſſe. *Sapientior ſibi piger videtur*, inquit Sap. *ſeptem viris loquentibus ſapientias.* Vnde vnicum hoc remedium eſt à delirandi

ac ine-

ac ineptiendi inſtituto eos retinendi, in os quod aiunt, & oculos dementiam ijs ſuam ingerere. Quoniam autem in aliena ſtultitia reprehendenda, ad inſtar contagioſi morbi eſt, magna ſepenumero pericula adiri nemo eſt qui inficietur, ideò Spiritus S. aliud cōfeſtim conſilium ſuppeditat ac ſubminiſtrat dicens: *Ne reſpondeas ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam, ne efficiaris ei ſimilis*. Quemadmodum enim eum quia quis immerſo dexteram porrigere, & imminenti mortis periculo ſubducere conatur, ipſemet nonnunquam eandem fortunam ſubit, & vna cum illo quem liberare nitebatur aquis abſorbetur: Ita nonnulli alienam dum ſtultitiam corripiunt ac reprahendunt, ipſimet pauculis in verbis mirabiliter ineptientes, ipſis illis inſipientibus ſtolidiores eſſe incipiunt. Dum ergo ſapiens conſilium iſtud ſuum nobis ſuggerit, indicare vult inſipientem vt reprahendas non verba aſpera, & agreſtia, ſed matura, & pramedita adhibenda eſſe, ne videlicet terminos à prudentia præſcriptos temere tranſgrediamur. Huius luculentum admodum exemplum Romanæ eloquentię Pater Tullius nobis exhibet, qui etſi à Saluſtio acerbis, & grauibus dicterijs impetitus eſſet, mirabili tamen cum modeſtia, & tali homine digna prudentia reſpondendum ſibi eſſe illi exiſtimauit: *Mihi ratio habenda eſt* inquit ille, *non quid Saluſtius meritò debeat audire, ſed vt ea dicam quæ ego honeſtè effari poſſum*. Hanc mihi regulam omnes ij qui prudentes audire volunt obſeruent, vt dum alienam inſolentiam verbis reprehendere, & coercere aggrediuntur, ſuæ interim grauitatis non obliuiſcantur. Quod tu fęliciter impleas, mihi crede ſingulare. Dei Donum habeas neceſſe eſt, tametſi in ſuperioribus, ac ijs qui alijs præſunt, non æquè magnum periculum eſſe videatur. Eorum enim officij ratio poſtulat, aliquanto vt acriores in verbis ac reprahenſionibus ſint, quemadmodum Seruator noſter hodiernа die agreſtem nimium Phariſęorum inſolentiam compeſcendo demonſtrauit. Nolim proinde tales mihi exiſtiment manſuetudinem in eo conſiſtere, quaſuis vt ineptias concoquant, & inſulſiſſimorum hominum inſolentiæ conniueant. Ideò namque celeſtis ille Prometheus rerum omnium author Deus naturæ noſtræ partem iraſcibilem adiunxit, eam vt in proximi erratis ac tranſgreſ-

Nota Salomonē de ſeptē Sapientibus loqui.

Quomodo ſtulti reprehendendi.

ſionibus reprehendendis adhiberemus. Quantum verò ad manſuetudinem illorum attinet, ad omnia qui conniuere didicerunt, eam D. Chryſoſt. patientiam belluinam nominat, atque ex ea non aliter quam equo Troiano innumera mala oriri contendit. *Patientia irrationalis*, inquit, *vitia ſeminat, negligentiam nutrit, & non ſolum malos, ſed etiã bonos ad peccandum allicit.* Hęc autem omnia vnica repræhenſione moderata, & conueniente reſecantur, & ideò Seruator noſter Phariſeorum iſtorum inſolentiam ſicut merebatur corripuit, quatenus illius authoritate perſpecta, è veſtigio etiam intelligerent miraculũ ſe ab illo nullum repoſcere poſſe. Verum videamus accuratius adhuc verba illa quib. Redemptor noſter effrenem horum petulantiam coercuit. *Generatio mala, & adultera* inquit. Vbi primum obſerua malam illam appellari propter peruerſam intentionem qua miraculum efflagitabât: adulteram autem dici, quia corde impietatem eructante verba nihilominus inſignem ſanctitatem præferebant. Hæc fraus, & ſimulatio mulieribus adulteris communis eſt, quę facie, & vultu maritum, corde autem, & animo mæchum amant. Hoc peccati genus Deo ſuper omnia inuiſum eſt; qui ſicut verum ac ſyncerum animarum noſtrarum ſponſum ſe exhibet, & nos ex intimo affectu diligit: ita quoq; ipſe candidè, & ſyncerè à nobis amari, ſeruitiaq; illa quæ ipſi præſtamus, ab vnico amore proficiſci deſiderat. Amor. n. ſatisfactionis loco amorem deſiderat, & abſq; illo eſſet, Deus omnia noſtra opera ac ſeruitia aſpernaretur. Hinc poſtquam ſponſus amorem ſuum ſponſæ expoſuiſſet. ac pro illius confirmatione Redemptionem ei noſtram in memoriam reuocauiſſet, confeſtim ſubiungit: *Pone me vt ſignaculum ſuper cor tuum*, ac ſi dicat. In ſatisfactionem huius ac tanti amoris aliud non deſidero quã vt mihi cordis tui integrã poteſtatem facias, illi me ſignaculi loco imponas; ne quis alius prætèr me id poſſit intrare. Et ſequitur: *ſi dederit hõ omnẽ ſubſtantiã ſuã pro dilectione quaſi nihil deſpiciet eam.* Id eſt noli cogitare alia mihi re quã amore ſatisfieri, ea. n. amoris natura eſt, vt homo omnẽ ſuam ſubſtantiã prę illo ſit deſpecturus. Vetus prouerbiũ eſt amorẽ nonniſi amore veſci ac nutriri. Et quoniã clare intelligimus Deũ nos enixè diligere, omnib. viribus allaborare debemus, ſimiliter

Patientia belluina.

Cant. 8.

vt etiam

ſtēt à nobis amatus fuiſſe videatur. Quãuis.n.oīa illi repræſētemus,attamē ſi amor deſit adulteri exiſtimabimur. Quod ſi mulier quæpiã pomũ decorticans,ac corticē marito, pomũ aũt adultero apponēs, egregiè pfida exiſtimaretur: Nũquid Deus meritò iraſci nobis poterit, qui exterius mille ſeruitia illi exhibētes,interea cor veſtrũ mundo,carni,ac Diabolo cõſecramus? Iſtiuſmodi,fucos,& ſimulatores D. Iacob adulterorũ nomine afficit,dicens: *Adulteri neſcitis quia amicitia huius mundi eſt inimica Dei? Quicunq; ergò voluerit amicus eſſe huius mundi,inimicus Dei conſtituitur.* Cap. 4.
Et quid amabò prodeſt auditores Deo adulari, ac interim cor ſuũ mundo emancipare? Eccleſiam intrare,& cogitationibus in foro deambulare?Verbũ Dei,audire,& mundi delitijs obſecundare?Nunquid recordamini (vos alloquor qui vxorati eſtis)cũ vxores veſtræ nuptui vobis collocarētur,anulum pariter eum in digitũ vobis inſertũ fuiſſe qui vulgo cordis digitus appellatur?Per hanc aũt Ceremoniã quid Eccleſia indicare voluit, niſi ſponſam ac ſponſũ cor alterius ac integrã illius poſſeſſionē ſibi vendicare?Reuera enim ſicut anulus omni ex parte digitũ ambit, ita in corde maritati aut vxorati pars ſupereſſe non debet,q̃ amor ſibi non vēdicet,fides nõ ambiat,& candor nõ amplectatur.Si aũt amor deſideretur, iã, & fides deeſt: quæ vbi exulat hominis aīum adulterũ poſſumus appellare.In hoc Phariſæi peccauerunt, & idcircò gens adultera à Seruatore noſtro appellati fuerunt.Quod ſi adeò acriter,& ſeuere eos reprehendit: exterius qui ſanctimoniæ aliquid præferebant, quid tu eum Chriſtianis facturum cenſes,qui interius diſſoluti, ne de externis quidem Ceremonijs obſeruandis cogitant? *Redite præuaricatores ad cor*, & agnoſcite tandem nimium vos mundo indulſiſſe, ac illius voluptatibus immerſos fuiſſe. Cogitate quemadmodum Deũ prodideritis,ac de cætero q iuſtum eſt agite. Exiſtimate hunc animarũ veſtrarum ſponſũ eſſe,cui amorē integrũ ac ſyncerum debeatis. Non expectate donec vos generationē adulterã appellet,ſed reuertimini cũ Niniuitis,quorum hodiernum Euangelium meminit: etſi enim frequentibus ſpiritualibus adulterijs eum ad iram prouocaueritis, attamen in gratiam vos recipiet ſi humiliter corãm illius Maieſtate proſtrati veniam,& remiſſionem imploretis. Iſa. 49.

CONCIO NONA,
PRO FERIA QVINTA
POST DOMINICAM
Inuocauit.

Egreſſus Ieſus ſeceſſit in partes Tyri & Sydonis, &c. Matth. 15. 21.

POSTQVAM cæleſtis ille Imperator, & humani generis Dux, ac vindex IESVS CHRISTVS proxima Dominica aperto Marte Diabolum ſuperauiſſet, hodierno è contra die cum muliercula pugnã iniens vincitur ac debellatur. Nec mirum: quippe cum illa ſelectiſſimo planè armorum genere ſe inſtruxerit, ac feruentis, & pertinacis orationis lorica induta in campum prouolarit. *Multum quidem valet* (inquit D. Iacobus) *deprecatio iuſti aſſidua.* Cap. 3. Quod ſuum dictum confirmaturus admirabilem ex vetere teſtamento Hiſtoriam adducit ſcribens: *Elias enim homo erat ſimilis nobis. & oratione orauit, vt non plueret ſuper terrã, & non pluit annos tres, & menſes ſex.* Quibus verbis ſatis ſuperq; inſinuatur Deum malum aut aduerſitatem aliquam homini immittentem, contra inclinationem id ſuam facere, per quam hominum animas vnicè diligit, & quarum penulam tangere non poteſt ſuum quin pariter cor vulneret atque transfigat. Quo præſuppoſito videamus de quanam Hiſtoria Apoſtolus noſter loquatur. Elias grauitate peccatorum quibus populus Deum offendebat, commotus, ac zelo diuini honoris inflammatus, orauit vt non plueret donec ipſe vellet. Quid cœlum confeſtim aquam inhibet, integro triennio non pluit, populus autem in cilicio, & cinere Deum deprecatur, attamen reſiſtentibus Eliæ precibus non exauditur. Ex hac tu nunc Hiſtoria conijce, quid S. Iacobus verbis illis ſuis ſignificare, ac declarare voluerit. Si, inquit, oratio Eliæ in flagellis, pœnis, ac puni-

tionibus diuinæ inclinationi planè contrarijs obtinendis tantum valuit, integros vt tres annos pluere non poſſet: quid non eorum preces efficient, qui à Deo gratiam, veniam, & alia Diuinæ Maieſtati, & grata accepta efflagitant? Itaque dum etiam Apoſtolus ait: *Elias homo erat ſimilis nobis*, in oratione nos animare, ac eorum puſillanimitati obuiare velle videtur, qui dicunt. Homo ſum, mortalis ſum, infirmus ſum, quis me precantem eſt exauditurus? His ergò Diuus Iacobus reſpondet, dicens Eliam precibus ſiccitatem à Deo impetrantem ſimilem per omnia nobis, ac iiſdem quibus nos miſerijs, & ærumnis ſubiectum fuiſſe. Quamuis autem orationis vim ac poteſtatem Diuus Iacobus ſufficienter tibi deſcripſiſſe videri poſſit, ea tamen haud aliquanto melius in Iacobi, & Angeli luctâ eluceſcit. Quam Hiſtoriam accuratiùs, vt intelligamus, præſupponendum eſt, magni illum conſilij Angelum ſecundam in Trinitate perſonam Iesvm Chriſtum videlicet fuiſſe (prout Sanct. Cyrillus contra Iulianum Apoſtatam aſſerit: & Concilium Sirmienſe ſtatuit) cum quo Patriarcha Iacob totam noctem fuerit luctatus; etſi id ex ipſis Scripturæ verbis quæ ſequuntur ſatis liqueat: *Si contra Deum fortis fuiſti, quanto magis contra homines prævalebis*? His ita præſuppoſitis videamus quibus armis Iacob à Deo victoriam reportarit. Id autem Propheta Oſeas vnus omnium optimè declarauit cum diceret: *Iacob in fortitudine ſua directus eſt cum Angelo, & inualuit ad eum*; Et confeſtim quibus armis vſus fuerit ſubiungit inquiens: *Confortatus eſt, fleuit, & rogauit eum*, vel iuxta paraphraſin Chaldaicam: *Superauit, & fleuit, & deprecatus eſt eum*: rogãs quatenus vires, & animum contra fratrem ſibi ſufficeret, quemadmodum etiam vi ac efficacia orationis ſuæ obtinuit & impetrauit. Et quamuis duo illa hactenus à nobis recenſita exempla non immeritò in admirationem nos rapere &, in ſtuporem dare debere videantur, neſcio tamen quo pacto Euangelica illa quæ nobis nunc proponitur Hiſtoria, plus in ſe maieſtatis habere continereque videatur: ſiquidem hic non Propheta aliquis, non Patriarcha, non Iacob, non Elias, ſed muliercula, ſed Ethnicâ, ſed pagana, ita Filium Dei aggreditur, & adoritur, modo vt ille ſe victum ſimulet, modo ſurdum fingat, modo

Gen. 32.

Cap. 12.

Orõnis apud Deũ efficacia.

eam vrcanem habere, ac nihili illius orandi pertinaciam facere videatur. Cum illa è contra inſtitutum ſuum vrgens, cum Iacob dicere videtur: *Non dimittam te, niſi benedixeris mihi*. Vnde ad extremum Seruator noſter ex luƈta fatigato ſimilis, & iam propter diuturnum duellum, ac certamen ſpiritu deſtitui incipiens, cum voce plena honoris, & maieſtatis ſe dedit dicens. *O mulier magna eſt Fides tua. Fiat tibi ſicut vis*. Ecce quid oratio vehemens ac pertinax efficiat! Mihi credite, Chriſtiani, hæc vnicum medium eſt, quo omnibus omninò aduerſitatibus mederi ac ſubuenire poſſumus: quibus ſi vniuerſus hic mundus ſcatet, & affluit, quid amabò aliud cauſæ eſt, quam quod exiguus illorum numerus eſt, qui ſerio, & ex animo preces ad Deum fundere didicerunt? *Benedictus Deus qui non amouit orationem meam, miſericordiam ſuam à me*, dicebat Propheta Dauid. Quorum verborum D. Auguſtinus interpretem agens inquit, *Quamdiu Deus non tollet orationem tuam, tamdiu non amouebit à te miſericordiam ſuam:* quam ille ijs negare non poteſt qui reƈtè ac benè Deum precari didicerunt. Quamdiu ergo Chriſtiani, aliquem in vobis orationis ſpiritum ſentitis, deſperare nolite: is autē ſi deficit, tum verò timere incipite; tunc enim à miſericordia Dei receditis, & elongamini. An non videtis quemadmodum Deus orandi ſpiritum huic mulieri conſeruarit, & inter tot repulſas & negationes animarit? At quid erāt illæ aliud niſi arrhæ ac pignora quædam diuinæ ſuæ miſericordiæ, quam erga illam exercere conſtituebat? Verum videamus alia adhuc mulierculæ huius artificia: dū enim vi ſuæ orationis eum qui cætero qui inuincibilis eſt deuicit, fieri non poteſt admodum quin potientibus circumſtantijs eius oratio fuerit inſtruƈta.

Pſal. 65.

Super Pſal.

Ecce mulier Cananæa, &c. Apparet ex hoc loco Seruatorem noſtrum ex condiƈto & quadam veluti conuentione mulieri huic ſatisfacere, & filiam illius ſanare voluiſſe. Quemadmodum enim de Seruatore noſtro dicitur quod ex finibus Geneſareth vſque ad terminos Tyri, & Sydonis proceſſerit: ita Cananæa iſta limites habitationis ſuæ egreſſa, cœleſti ſuo medico obuiam iuit, & proceſſit. Vbi obſerua quidlibet vt à Deo impetres vnicum ac potentiſſimum medium eſſe non omnem laborem Deo permitte-

re,

re,ſed pro virili etiam ſua præſtare aliquid & conari. Vti enim in familijs illuſtrium virorum apud Hiſpanos, Anglos,& Scotos duo filiorum genera ſunt,quorum alij primogeniti,alij cadataris appellantur: Primogeniti, abſque vllo labore & merito patriam hæreditatem cernunt: Cadatarij autem tempeſtiuè à parentibus admouentur ſibi vt prouideant,alibi rem faciant,in Ducum ac Principum palatijs aut caſtris ſeruiant, ſicque commendatitijs tantū acceptis ipſime: ſibi aliquid comparaturi dimittuntur. Ita in Dei domo ac familia primogeniti illi ſunt,qui baptizati priuſquā ratione vti incipiant,moriuntur, & cœleſtem hæreditatem adipiſcuntur. His dici poteſt,quod Seruator noſter etſi in diuerſa materia diſcipulis ſuis aliquando dixit. *Alij laborauerunt & vos in labores eorum introiuiſtis*, Cadatarij autem ſunt,qui vt cœlum lucrentur,gratijs,inſpirationis,ſacramentis, & indulgentijs inſtructi pro ſua etiā virili laborare debent. Hos S. Petrus deſignauiſſe mihi videtur cum ait: *Magis ſagitate vt per bona opera veſtra certam veſtram vocationem faciatis*. Id eſt: Quantum ad vocationem à vobis non dependentem attinet,eam vobis Deus ex mera miſericordia & abſque vllo veſtro merito conferet: vobis autem laborandum eſt vocationem vt illam certam faciatis,& ſicut vocati eſtis ita quoque electi fiatis. *Magis ſatagite*, apprehendite lanceam,pugnate, fortiter certate. Deus manum ſuam porriget,verum & vos veſtram adijcietis,quia nec hæc abſq; illa,nec iſta abſque hac ſufficit. Neceſſe eſt vt Deus Paulum appellet: *Saule Saule quid me perſequeris?* At neceſſe etiam eſt vt Paulus reſpondeat: *Domine quid me vis facere?* Præfigurat hoc nobis pulchrè ſpōſa in Canticis, quæ exactè ſponſi ſui ſtatum ac conditionem cognoſcens ait. *Trahe me poſt te*, & confeſtim ſubiungit, *curremus in odorem vnguentorū tuorū. Trahe me poſt te*, largire mihi gratiam præuenientē,& cooperantem,& continuò poſt te currā. Vnde intelligis vocationem & attractionē ſolius ſpōſi,curſum autē,et cōſenſum liberi arbitrij gratiſq; cooperari,ſpōſæ ipſius eſſe. Hāc doctrinā Seruator noſter in omninò locis nos docuit. Ac primum quidē in primo miraculo in nuptijs Canę Galileę facto,vbi cū mater illi dixiſſet, *fili vinū non habent*, nihilominus etiā è veſtigio ſeruos aqua hydrias implere iuſſit, *Implete hydrias aqua*; quo facto

Elegās Simile.

Ioan. 4.

2. Pet.

Act. 9.

Cant. 1.

Ioan. 2.

Digitized by Google

facto Seruator noſter aquam in vinum diuinitus commutauit. Itane verò? An ergo non æquè facile erat Chriſto vinum ex nihilo quam ex aqua procreare? Et tamen cur hydrias aqua impleri voluit? Quemadmodum nimirum ipſe paratus erat facere quod ipſi non poterant, ita nihilominus tantum ab ijs, fieri voluit, quantum poſſibile illis erat. Aquam habent, eam adferant, inquit Deus, & ego viciſſim faciam quod ipſi nõ poſſunt. Adeò neque matre mea pro vobis intercedente quidquam conſequemini, *Matth.* niſi vos ipſimet etiam aliquid præſtetis & faciatis. Idem
24. planè in miraculo quinque panum & duorum piſcium euenit, noluit enim Chriſtus id deſignare, ante niſi homines id quod in ſe erat etiam contribuiſſent. Satis ergo eſt, ſi
Rom. 8. Deus illud ſupplet quod nobis deeſt, *Non ſunt condignę paſſiones huius temporis*, inquit S. Paulus, *ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis*. Verum paciſcamur, inquit Deus, facite vos, & ego quidquid meritorum vobis deeſt, meis ſupplebo: vt ita vtrorumque coniuncta integram & condignam efficiant ſatisfactionem. Erratis proinde ſi exiſtimatis, omnia me facere velle aut debere. Sunt nonnulli homines adeò ſcelerati, inquit Deus per Prophetam, omnes vt ſuas iniquitates in me conijcere non dubitent. *Supra dorſum meum fabricauerunt peccatores, prolongauerunt iniquitatem ſuam.* Omnem peccatorum ſuorum ſarzinam & fabricam in me conijcere voluerunt, vnde factum eſt quod in iniquitatibus ſuis perſtiterint. Nihil enim communius ijs eſt qui ſaluandos ſe putãt abſque manus propriæ adiectione, quam abſque vllo reſpectu rationeque peccare. Hi namque conſiderantes quantum Seruator eorum pro ipſis ſuſtinuerit, concludunt nihil neceſſe eſſe ipſi vt quoque aliquid faciant, & laborẽt. Verum non conſonat hoc Paulinæ illi cantilenæ: *Adimpleo ea quæ ſunt paſſionum Chriſti*
Coloſ. 1. *in carne mea, pro corpore eius, quod eſt Eccleſia*. Vbi obſerua ſicut Seruator noſter ex tota Eccleſia ſibi ceu capiti coniuncta vnum myſticum corpus effecit, ita ex ſua & membrorum ſuorum paſſione integram redemptionem velle componi: Adeò & paſſioni Domini noſtri, efficax vt ſit, aliquid deeſt, puta noſtra diligentia & cooperatio, per quã quidpiam pro Seruatore noſtro perpetimur, vt merita illius nobis applicentur. Et labores ac diligentia noſtra

ſatis

ſatis non ſunt, niſi meritum & valorem ante à Dominica Paſſione indipiſcantur. Dum ergo Seruator noſter fecit quod nobis deerat, nos ſimiliter laborare debemus, vt quod in Dominica Paſſione deſideratur, noſtra diligentia ſuppleamus. Atque hoc illud eſt quod S. Paulus pro communi totius Eccleſiæ bono per labores ſuos ſe impleuiſſe teſtatur: quodq; etiam Cananæa illa, nunquam quæ S. Paulum legerat, Spiritu S. impellente intellexit. Hinc iter cum Seruatore noſtro diuiſit, ęgrediens è terra ſua ad cœleſtem iſtum medicum inueniendum.

A finibus illius egreſſa. Non abſque cauſa eſt, omnes quod omninò Doctores voculam illam *à finibus* penſiculatius examinant ac trutinant; ſignificat enim Cananæam illam non contentam fuiſſe ciuitate ſua egredi, ſed vltra limites eius etiam procurrere voluiſſe. Occaſio, Auditores, intra peccati limites eſt: & in occaſione lubenter confidere, eſt velle in peccato permanere. Spiritus enim Sanctus errare non poteſt, qui ait: *Qui amat periculum peribit in eo.* Sciat proinde mihi Chriſtianus, vt Seruatorem noſtrum inueniat, & familiariter cum illo conuerſetur, neceſſe eſſe non tantum peccatum, ſed peccati etiam occaſionem declinare. Hinc cum Deus Moyſi iniunxiſſet vt cum populo ſuo in AEgyptum ſe conferret, confeſtim etiam præcepit armenta & greges ſecum abducere, dicens: *Cuncti greges pergent vobiſcum, non remanebit ex eis vngula,* ne videlicet anſa vobis præbeatur in AEgyptum rurſus abeundi. Hinc cum Iſmael cum Iſaac ludens paruula eum idola fabricari ac adorare doceret, Sara marito ſuo Abraham dicebat: *Eijce ancillam & filium eius,* aliàs enim filium tibi tuum ſeducent. Verùm cum Abrahamo durum videretur filium domo ſua eijcere, Deus illi apparuit & dixit: *Non videatur tibi aſperum ſuper puero, & ſuper ancilla tua,* neceſſe enim eſt vt ambò, filius ac mater eijciantur. Filius quia idola fabricatur, mater quia illi conniuet, cum è contra à peccato iſto eum debere abſtinere. Ambò ergo eijciendi ſunt, quia alterutro manente, alteri ad reuertendum anſa & occaſio porrigetur. Vnde præſtat vtrumque eijcere, quam peccati occaſionem ſtirpitus non eradicare. Mihi credite, Auditores, occaſio famoſa quædam AEgyptia eſt, quæ carnem noſtram idololatriam docet, & peccatum in animam intro-

Occaſio peccati fugienda.

Eccle. 3.

Exo. 10.

Gen. 21.

introducit. Vt ergo Iſaac, qui ſpiritus eſt, ſecurus ſit, *eÿce ancillã & filium eius*, id eſt peccatũ, & peccati occaſionem. Si enim occaſio quæ mater eſt in domo remaneat, abſque dubio peccatum in eam reuertetur. Vnde qui peccatum ſe deteſtari dicũt occaſionem autem non relinquunt, ſimiles alicui ſunt qui ab igne recedit, at carbones tamen cineribus inuoluit. Quiſquis enim hoc facit, is abſque dubio rurſus ſe calefacere velle cum animo ſecum ſuo conſtituit. Nam ſi intentionem illã non haberet, cur, prunas cineribus tegeret? ſciens vnicum hoc mediũ ignem conſeruandi reperiri? Elegãs inprimis & materiæ huic noſtræ ſi qua alia
Cap. 2. accõmodata Hiſtoria li. 2. Machabæorum legitur. [illegible]ũ Iſraelitæ capiendos ſe & in ſeruitutẽ Babylonicã abducendos intelligerent, ignem ſanctum in profundo puteo defoderunt: volentes videlicet eum conſeruare, & in reditu cum ſacrificaturi eſſent, denuò adhibere. Redeuntes autẽ poſtea ex diuturna captiuitate, ignis quem abſconderant memores, inuenerunt ſe abſentibus in craſſam & congelatam aquam mutatũ ille fuiſſe. *Cum autẽ* inquit Scriptura, *tempus affuit, quo refulſit Sol, qui prius erat in nubilo, accẽſus eſt ignis magnus*. Rem admirabilem & propoſito huic noſtro apprime inſeruiẽtẽ! Dubitari planè nõ poteſt Chriſtianis, quin ignis amoris in abſentia reſtinguatur, & ſubinde etiã inſtar aquæ cõgeletur. Verum ſi Sol occaſionis, qui aliquãdiu ſub obliuionis, et abſentiæ nube delituit, radios ſuos in aquã illã [illegible]iaculetur, ſi cũ homine quem reliqueras rurſus cõuerſ[illegible]s, et ſi locũ vnde diſceſſiſti repetas, tũ verò magnꝰ ignis cooritur & denuò excitatur. Et aduerte ꝙ Scriptura ait, *accẽſus eſt ignis magnus*: quemadmodũ enim flumen aliquod aggeris obiectu aliquãdiu, inhibitũ, ſi perrũpat, maiore cũ vi omnia occupat, & peruagatur; ita amor peccati aliquãdiu intermiſſi occaſionẽ nãciſcẽs ex interuallo maiores impetus edit. Cõtra hoc autẽ vnicũ & potentiſſimũ remedium eſt, Tyro & illius limitibus egredi, id eſt, peccatum & illius occaſionem pariter deteſtari. Hinc Spiritus S. per os Dauidis animæ alicui quæ à deo amari vult conſi-
Pſal. 44. liũ ſuggerens ait. *Obliuiſcere populum tuũ, & domũ patris tui.* Vbi obſerua nõ tãtũ ſicut Abrahamo iniũgi domũ ac terrã ſuã deſerere, ſed omnem etiã vtriusq; memoriam deponere; recordatio enim illorum quæ amamus, cauſa eſt cur ad ea re-

ea reuertamur, quemadmodum filius prodigus paternæ domus memoria extimulatus, ad eandem viam confeſtim rapiendũ ſibi eſſe exiſtimauit. Maneat proinde volenti cum Deo conuerſari, mulierem iſthanc imitandam eſſe: vt ſicut illa non modo extra vrbẽ ſuã, ſed etiam extra illius limites egredi nõ dubitauit, ita quoq; iſtiuſmodi aliquẽ non peccatũ tãtum, ſed peccati etiã occaſionẽ relinquere oportere.

Clamauit dicens, miſerere mei. Ac ſi dicat: Domine facere non potes quin mihi miſericordiam tuam quam ſupplex imploro elargiaris: ſcio enim quia poteſtatem habes, & ideò abſolutè Dominum te appello, quia nimirum quidlibet quod tibi placet potes: Scio adhæc quod benefaciendi voluntate non deſtitueris, nam filius Dauid es, qui mulieribus afflictis compati condolereq; didicerat. Hinc cum Abigail ſciret eum iuſte contra maritum ſuum Nabal fuiſſe irritatum, ad pedes ſe illius confeſtim abiecit, & ſupplex veniam marito ſuo impetrauit. Hinc cum alias etiam mulier quædam Tecuita mirabili artificio quippiam ab eo obtinere conaretur: Rex eo quod fœmina erat, & quod illius acumen approbaret, petenti annuit, & quod quærebat cõceſſit. Tu itaq; ſi filius Dauid es (eſſe te autem certò ſcio) abſq; dubio etiam laudum iſtarum imitator ac æmulator es, ſicque conſequenter mulierculis compati & condolere didiciſti. Fœmina ego ſum, addo etiam miſerabilis: & quoniam miſeria miſericordiæ obiectum eſt, *Miſerere mei*. Res pro qua tibi ſupplico te, qui Filius Dauid es, digniſſima eſt. De eo enim legimus quod maligno ſpiritu Saulem grauius affligente, ipſe decachordon in manus ſumpſerit, & iucundiſſima illius harmonia malum dæmonem expulerit, ac Saulem à tormentis liberarit. Adeò videlicet generi tuo proprium eſt Diabolos ex corporibus poſſe expellere & effugare. Age proinde in me quoque miſericordiæ tuæ radios benignus effunde, ac filiam meam quæ *malè à dæmonio vexatur*, ſana. Agnoſco ego ſanè inimicam illam tuam ac hoſtem eſſe: & agnoſco etiam id nocere mihi & petitioni meæ obeſſe poſſe, niſi tu Dauidis filius fores qui ſemper inſigniter liberalem ac beneficum erga hoſtes ſe ſuos demonſtrauit. Verum enim verò quoniam in te omnes miſericordiæ, in me autem omnis miſeria ac neceſſitas reperitur, *miſerere mei fili Dauid*.

1. Reg. 25.

2. Reg. 14.

1. Reg. 16.

Qui

Qui non reſpondit ei verbum. Itane verò? Oratio Cananeæ huius mulieris ipſa ſaxa & rupes mollire poſſet, & nihilominus Euangeliſta dicit Seruatorem noſtrum ne verbum quidem illi reſpondiſſe. Admirabile reuera hoc eſt, & præſertim in Redemptore noſtro, cuius natura ad miſericordiam compaſſionemque inclinat. Obtulit ille ſe nuper non rogatus ad inuiſendam centurionis domum, & iam ne vnico quidem verbo mulierculam dignatur? Difficile planè eſt Ieſu Chriſti conſilia perſpicere, & cogitationes perſcrutari. Non immeritò itaque ſponſa dicit capillos eius nigredine coruum, & obſcuritate palmarum corticem referre. *Capilli tui ſicut elata palmarum, nigri vt coruus*. Vnde modus nullus eſt Seruatoris noſtri capillos, id eſt, ſenſa & cogitationes dealbādi. Patet hoc ex eo quod glorioſa morte triumphata Mariam Magdalenam ſibi obuiam, ac more ſolito pedes amplexari & oſculari molientem, à ſe ſubmouit dicens: *Noli me tangere*: Thomam autem incredulum non ſolum à ſe amolitus non fuit, ſed ipſemet vulnera vt ſua benedicta & pretioſi lateris plagam palparet inuitauit. Verum elucet hic admirabilis cœleſtis noſtri Medici experientia, qui ſicut omnium animarum arteriam tetigit, ita quid cuique ſalutare ſit vnus omnium optimè cognoſcit. Oportebat ergo feruorem Magdalenæ nonnihil temperari, & ne ex nimio amore ſuperbiret ac inſoleſceret, prudenter cohiberi: Thomæ autem tepor & frigus calore indigebat; & ideò vt incaleſceret, igni propius admouendus erat. Conueniebat ergo Centurionem eo modo à Seruatore noſtro tractari quo tractatus fuit, & Cananæam etiam qua par erat ratione adiuuari: vt videlicet vterq; humilitatem addiſceret, iſta autem maiorem etiam deuotionem acquireret. Sinite Deum facere. Audit quod vult, & ſicut ipſi placet: vnicus enim ille eſt qui quid vnicuiq; expediat optimè callet ac nouit.

Dimitte eam, &c. Etſi ex nullo alio loco, attamen ex hoc ſatis ſuperq; intelligeremus, Dei repulſas ac negationes eò tendere vt petentum affectum augeant atque amplificent! In hac enim Cananæa noſtra in tantum auctus fuit, ipſi vt Apoſtoli amplius clamātem audire nō poſſent. Hinc ad Seruatorem noſtrū conuerſi dicebāt: Dimitte potius illam, quę clamoribus nos ſuis prope iā exſecauit. Adeò errare mi-

hi non

hi nô videor ſi dicam Apoſtolos ſubodoratos fuiſſe quod Seruator noſter mulierculam illam aliquantiſper ſuſpendere voluerit:adhibendo repulſas;illa aquæ loco qua prunæ perſperſæ ac irrigatæ maiorem ac luculentiorem adhuc ignem concipiunt. Vt ergo mulieres procorum ſuorum amorem conſpicientes, repulſas adhibere conſueuerunt, vt dum eos amoliri videntur, tum vel maximè irretia & attrahant, Ita Seruator noſter cum hac Cananæa ſibi agẽdum eſſe exiſtimauit: quippe cum nihil æquè vſitatum illi ſit quam deuotas animas per ariditatem amplexari,& per repulſas ineſcare. Verum hoc ciborum genus non ad omnium ſtomachum aut teneram ſaliuam eſt: ariditatem namq; aut ſiccitatẽ ſuperare,ea deniq; tanta laus eſt,quãta quidem in animam aliquam cadere poſſe videtur. Hinc Scriptura Sacra honorificam equitis illius ac Herois Banaiæ mentionem facit, qui *percuſſit leonem in media ciſterna in diebus niuis*, quando videlicet corpus & membra præ frigore hominibus obrigeſcunt,ita vt vix arma manibus tractare poſſit:& additur *in ciſterna*, in qua locus nullus eſt vbi aduerſarium declinare aut temet paſſis protegere ac tutari. Admirabilis reuera fortitudo illius fuit. Verum mihi credite Auditores, cum Deus animam aliquam inſpirationibus ſuis nutrit, ac in deuotionis ardore conſeruat,tum verò mirandum non eſt ſi vtiliter certat ac ipſum etiam Infernum prouocare non veretur. Si autem in temporibus niuis rigida & deſolata à Deo repulſas patiens nihilominus fortiter pugnet, precandi ſtudium & Chriſtianarum virtutum exercitium non intermittat, mihi crede exclamare potes: *Bara auis in terris nigroq; ſimillima cygno.* 2. Reg. 23.

Nõ eſt bonum ſumere panem filiorum,& dare canibus. Quid hoc rei eſt? An ergo non ſufficit Domine quod reſponſione dignatus illam non fueris? canem etiam appellare, & vt canem ſupplicam tractare audes: Vos autem Auditores quid expectatis? vtrum Cananæam illam animũ deſpondiſſe,aut ab oratione ceſſauiſſe exiſtimatis? Non moratur illa re pulſam iſtam, imò vt illecebram ac veluti arrham quandam miſericordiæ ſubſecuturæ acceperat: & dum canem appellari ſe audit,fortius ſibi adhuc latrandum eſſe perſuadet. Neque enim meliore modo canem ad latran-

dum excitatis, quam eum pellendo aut minas ipſi intentando. Hinc animoſa illa muliercula qua ingenij acie & ſagacitate pollebat, quid Seruator noſter intenderet ſubodorata, amplius clamare cõſtituit, & velut cum animo ſuo deliberans ait. Licet ſanè, canem me appella, & malè te me tractaturum ſimula, ego interea latrare non ceſſabo, imò proprijs tuis verbis te conuincam & ſuperabo. Dicis tum quidem non conuenire vt panis filiorum canibus porrigatur, verum ego addo non cruſtas, non micas, non pręſegmina ex menſis Dominorum delabentia catellis ſolere denegari: Porrò beneficium iſtud quod ego à te ſupplex peto, nunquid tui reſpectu aliud eſt quam mica panis? O admirabilem fœminam! Quanto illam longius Seruator noſter à ſe amolitur, tanto propius ſe infert, & cum Iob dicere vel-

Cap. 15. le videtur: *Etiamſi occiderit me, in ipſo ſperabo.* Author eſt D. Ambroſius piſciculum quendam naturali quodam inſtinctu maritimam tempeſtatem paulò antè quam ingruat ſentientem ad ſcopuli pedem ſe recipere, illiq; tam diu adhærere, quoad fluctibus compoſitis malacia reducatur. Ad eundem planè modum mulier iſta terribilium Domini reſponſionum procellas in ſe detonantes videns, ad eum non aliter quam firmiſſimum ſcopulum ſe recipiebat, & tantò firmius illi adhæreſcebat, quantò amplius tempeſtatem creſcere conſpicabatur, cum Propheta Dauid dicens: *Mihi autem adhærere bonum Deo eſt, ponere in Deo ſpem meam.* Mihi credite Audit. fęliciter vt omnia tibi cedant, potentius medium non eſt, quam fulcro huic initi. Certè ſicut latronibus, maleficis, ac prædonibus qui ad tribunalia & ſubſellia iudicum citantur, vnicum hoc & potentiſſimum medium ſupereſt, iuriſdictione excedere: ita coram Dei tribunali ſententiam illius declinare volenti vnicus modus reſtat, ad illius ſe pedes abijcere, aut in illius brachia & amplexus prorruere. Hinc namque Eccleſia in officio pro Defunctis canit: *Heu mihi Domine, qui peccaui nimis in vita mea, quid faciam miſer, vbi fugiam, niſi ad te, Deus meus.* Tu ergo qui Iudex meus es, refugium etiam meum & aſylum eſſe debes: neque enim manus tuis magis miſericordes poſſum inuenire.

O mulier magna eſt fides tua. Etſi Proph. Dauid fieri non poſſe arbitretur, vt ſupplicum ſuorum non è veſtigio miſereatur

fereatur dicens: *Nunquid obliuiſcetur miſereri Deus, aut continebit in ira miſericordias ſuas?* Ego nihilominus dicere, & affirmare auſim Deum nonnunquam miſericordiæ ſuæ riuulos inhibere, maiore vt poſtea cum impetu eos effundat. Quemadmodum enim fluuius aliquis aggeribus, & cataractis quibus continebatur perfractis maiore cum impetu fluit, & campos peruagatur: ita miſericordia Dei ad maiorem Cananeæ vtilitatem inhibita, maiore cum violentia erupit, & Seruatorem noſtrum dicere coegit: *O mulier magna eſt fides tua. Fiat tibi ſicut vis* O verba plena conſolationis. Nullius ego profectò memini quem Seruator noſter maiore cũ ſeueritate tractauerit, aut verbis ſuauioribus conſolatus fuerit. Atque hic ſcopus eſt, ad quem omnes illæ miſericordiæ diuinæ repulſæ, ſuſpenſiones, ac ſuſtentationes collimant, quando videlicet anima aliqua neutiquam ſe tranſuerſam agi ſinens à benefaciendi inſtituto nunquam deſiſtit. Tunc enim Dauidicum illud impletur, quod ait Deum fulgura in pluuiam commutare. Cuius oraculi interpretem D. Auguſtinus agens dicit id tunc fieri quando peccatores fulmine ac fulgetris timoris ſui terræ afflictos miſericordiæ brachijs iterum eleuat ac attollit. Ita cum hic Seruator noſter Cananæam mulierculam aliquoties à ſe ſubmouiſſet, petitionem repuliſſet, ac canem denique illam appellauiſſet, *fulgura in pluuiam fecit*, repulſas in miſericordiam; aſperitatem in beneuolentiam, opprobria in laudem, ac panis deniq; negationem in iucundiſſimum *Fiat*, commutauit. Maneat ergo eum qui aliquid a Deo petit atq; efflagitat, etſi aliquantiſper ſuſpendatur, animo tamen contrahi ac cadere non oportere. Quod ſi aliquanto difficiliorem cum animaduertatis, Dauidicum illud conſilium adhibere, qui ait: *Viriliter agite, & confortetur cor veſtrum omnes qui ſperatis in Domino.* Vt enim benè quis cum illius Maieſtate tractauiſſe dicatur, opus eſt animo virili, corde forti, & fiducia cõſtanti. His vos inſtructi ſanitatem corporis, animæ incolumitatem, vtrorumq; autem gloriam ſempiternam conſequemini.

Pſal. 76. *Pſ. 134.* *Expoſ. myſtic. in Pſal. 134.* *Pſal. 26*

CONCIO DECIMA,

PRO FERIA SEXTA

POST DOMINICAM INVOCAVIT.

Erat dies feſtus Iudæorum, &c. Ioan. 5.

MIRACVLOSA illa veteris Teſtamenti piſcina, de qua hodiernum Euangelium adeò fusè ac luculenter tractat, iuxta D. Ambroſij ſententiam, *Lib. 2. de Sacramentis.* vera figura fuit Seruatoris noſtri, qui idcircò in hunc mundum deſcendit, vt humanum genus ſanaret, quod per peccatum protoplaſtorum paralyſi fuerat affectum. Quod myſterium ſicut admirabile prorſus eſt, ita vt aliquanto melius perſpiciatur, tria ferè præſupponenda ſunt Primum eſt, quod Verbum incarnatum in Sacris litteris Angelus appelletur, prout ex Eſaiæ illo, ſecundum ſeptuaginta interpretum verſionem liquet, vbi *Cap 9.* *Magni conſilij Angelus nuncupatur*. Quod Magni conſilij epitheton idcirco illi attribuitur vtà cæteris Angelis diſtinguatur. Tres enim tantummodo diuinæ perſonæ illi tunc interſunt: inter quas Verbum incarnatum numeratur, quod ſicut trium perſonarum vna eſt, ita nunquam illinc excluditur; atq; idcirco *Magni conſilij Angelus* appellatur. Secundum præſupponendorum eſt quod labores ac ærumnæ recepto vocabulo in Sacris litteris aquæ appellentur, ſicut ex Pſalmographi illo liquet: *Saluum me fac Deus quoniam intrauerunt aquæ vſq; ad animam meam.* Et ex Canticorum illo: *Aquæ multæ non poterunt extinguere charitatem.* Tertium eſt quod videlicet multitudo illa infirmorum quæ piſcinam obſidebat, expectans donec Angelus in eam deſcendiſſet, ſicq; aquam ab illo turbata lota ſanitatem reciperet, naturā humanam ſignificarit: quæ ſicut innumeris propter peccatum infirmitatibus obſita erat, ita iam inde à conditi mundi exordio Filij Dei aduentū præ-

ſtolaba-

ſtolabatur, fundatu ſuper ſpe quæ illi concitata erat de Meſſia naſcituro. Hinc S. Paulus docet omnes antiquos Patres harum promiſſionum complementum expectâtes in fide illa mortuos fuiſſe. *Iuxta fidem*, inquit, *defuncti ſunt omnes, non acceptis repromiſſionibus, ſed à longè eas aſpicientes, & ſalutantes.* Hac doctrina ita præſuppoſita tria neceſſaria fuiſſe dico vt firmius ille ſanitatem ac priſtinā valetudinē conſequeretur. Primo n. requirebatur vt Angelus deſcenderet: Secundo vt piſcinā ingrederetur, & aquā turbaret. Tertio vt infirmus in ea lauaretur; abſq; tertio namq; iſto omnia reliqua nihil proderant. Eodem planè modo vt genus humanum paraliſi ſua in quam per peccatum ſuū ceciderat liberaretur, neceſſe erat Verbū diuinum, id eſt, *Magni conſilij Angelum* in ærumnarum humanarū aquā deſcendere, ac illā mortē pro hominibus oppetendo turbare. Hoc aūt totū completum fuit in Verbi incarnatione, quod ait: *Veni in altitudinem maris, & tempeſtas demerſit me.* Verū nunquid prodeſt quod Deus in aquas deſcenderit, & vitā ſuam in illis reliquerit? Prodeſt ſanè, ac neceſſe etiam eſt infirmos piſcinæ immergi, alias enim parum omninò nobis proderit quod Seruator noſter pro nobis tollerauit. *Viā feciſti in mari equis tuis in luto aquarum multarum*; inquit Propheta Abacuc in Cantico ſuo. Verum ſicut parū omninò Iſraelitis profuiſſet ante ſe iter per mare rubrū videre, ſi nemo præcedentē Aminadab ſequi voluiſſet: ita parū admodū fidelibus proderit dolores quos Seruator noſter pertulit, & aquas quas tranſiuit intueri, ſi animo in eas nos immergendi deſtituamur. Paſſus eſt Seruator noſter, itaq; & te pati neceſſe eſt, aliàs cœli poſſeſſio tibi nulla debetur. Intrauit ille marè ſuppliciorum, vt ergo, & tu ad ſempiternæ fœlicitatis portū enauiges, eum neceſſario ſequi debes. Et quamuis ille altū nauigarit, ac idcircò dixerit: *Veni in altitudinem maris*; vobis tamen litus legere, & cū voletis in terrā exſcendere permittetur. Magna autē proculdubio nauigationis vtriuſque differentia eſt: Qui enim in alto nauigat, is præter cœlum, & aquam nihil intuetur, non cum liber ſe reficere poteſt, mucidum bis coctum comedere, & olidam aquam bibere compellitur, ac denique tempeſtate aliqua ingruente aliò quam ad cœlum recurrere non poteſt. Ad hunc autem modum Seruator noſter

Heb. 11.

Cap. 3.

mundi huius mare nauigauit, vnde ait: *Laboraui clamans, rauca ſunt facta fauces meæ*, imò perdidi viſum meum dum cõtinuò, & quaſi indeſinenter oculis cœlum aſpicio. Cęterum qui littus tãtum ſtringunt, ij etſi laborent, & famẽ aliquando patiantur, attamen cum volunt appellere, & ſemet reficere accurate, poſſunt. Et talis per omnia noſtra nauigatio eſt, quemadmodum pulchrè, & ſubtiliter S. Chryſoſtomus de iuſtorum ærumnis loquens animaduertit cum ait: *Verùtamen miſericors Deus mœſtis rebus quædam etiam iucunda permiſcuit, quod certè in omnibus Sanctis fecit, quos neque tribulationes, neque iucunditates ſinit habere continuas, ſed tum ex proſperis tum ex aduerſis Sanctorum vitam mirabili quadam varietate contexuit.* Vita iuſtorum nauigationi ad littoris oram factæ ſimilis eſt, quæ neque ſemper maris inclementiam ac tempeſtates experitur, nec cõtinuò in portu reficitur, ſed modo ex hoc, modo ex illo aliquid habet. Vnde vides, Chriſtiane homo, neminẽ planè mortalium vitæ huius ærumnis exemplum eſſe, quemlibet autem in miſeriarum iſto mari pedem madefacere oportere. Quanta autem inter ipſas ærumnas differentia ſit, vel inde credo intelligis quod aqua piſcinæ ante Angeli deſcenſum ſordida, olida, ac lutulenta erat: ſimulac autem ille in eam ſe dimiſiſſet, ſalutaris, & maximæ virtutis, efficiebatur. Ita aquæ ærumnarum, & aduerſitatum priuſquã à Seruatore noſtro tangerẽtur, horribiles vulgò habebantur; poſtquã autem Chriſtus propter noſtrum amorẽ illis ſe immerſit, ſalutares, & miraculoſæ continuò effectæ fuerunt, quia quaslibet infirmitates depulerunt ac ſanauerunt. *Dilectus*, inquit Dauid, (puta patris Ieſus Chriſtus) *quemadmodum filius vnicornium*. Quemadmodum enim Monoceros ſeu Vnicornis aquas venenatas cornu ſuo verſans ac turbans ſalutares facit: ita Seruator noſter miſeriarum mare ingreſſus, omnem venenum ab ijs expulit, & è contra apprimè vtiles ſalutareſq; effecit. Nunc myſterio illo per piſcinam probaticam præfigurato, & à nobis explicato, gratias Deo ſupplices agamus, qui humanam naturam longa peccati paralyſi ſolutam ſanaturus, Magni conſilij Angelum ablegauit, qui miſeriarum ac ærumnarum aquas multò quam dexterrimè nobis turbauit. Et quoniam certum ac indubitatum eſt ſanitatem

Hom. 8. ſuper Mat.

Pſal. 28.

tem nos recuperare non poſſe niſi in eas pariter deſcendamus,libenter aliquid patiamur,& tanti Mag. veſtigijs inſiſtentes,Euang.Hiſt.proſequamur.

Erat autem Hieroſolymis probatica piſcina, &c. Charitas, ſecundum doctrinam D. Auguſtini,duo obiecta habet,puta Deum quem ſuper omnia amare debemus,& proximũ noſtrum quem propter amorem Dei diligere adiuuareq; tenemur. Cum autem in his duobus punctis totius legis ſcopus ac meta conſiſteret, & ab eorum impletione ſalus noſtra dependeret,infinita ſupremi numinis bonitas, quæ iuxta D. Paulum, omnes omninò mortales ſaluari vult, ita omnia diſpoſuit ac ordinauit, vt citra magnam moleſtiam,& difficultatein charitatis præceptum, & geminas illius partes adimplere valeremus. Hinc probaticam illam piſcinam cum quinque ſuis porticibus, quæ quædam magni Noſocomij cænacula erant, iuxta templum ædificari voluit,vt ita Dei domo ac pauperum Hoſpitali cõiunctis, illam ingredientes primæ præcepti parti ſatisfacerent,hoc autem introeuntes ſecundam implerent,ſicq; vna eademque opera vtrumque præceptum obſeruarent. Ob eandem credo cauſam noſtra etiamnum tempeſtate iuxta Eccleſias Cathedrales Noſocomia extructa videmus, quæ ſi ijs vicina non ſunt, tum verò tu nunquam non ingentem pauperum ac mendicorum turbam ad Eccleſiarum valuas es reperturus: vt poſtquam materiales illæ templorum portæ ex oliua miſericordiæ ſymbolo ææxedificari deſierunt, nihilominus in eorum ingreſſum eos inueniamus qui per portas illas ſignificabantur, ſicque cum hac inſtructione, & conſideratione domos Dei ingredientes ſupplicibus votis miſericordiam illius imploremus. Huius nos myſterij recordari oportet, quoties Eccleſiarum portis ac valuis pauperes aſſidere aſſiſtereque conſpicamus. Pauperes.n. inquit S.Gregorius Naziãzenus,Dei domeſtici ſunt,in quos ille continuò oculos ſuos defigit. *Oculi eius* inquit Dauid. *in pauperem reſpiciũt*, & aures precibus illorum indeſinenter vacãt, & patent. Nullus dubito, Auditores,non Demoſthenẽ,non Ciceronẽ, nõ Quintilianum, paucioribus,& ſignificatioribus verbis intrinſecã illã magni alicui⁹ viri cũ Rege ſuo familiaritatẽ deſcribere potuiſſe. Domeſtici mei, inquit Deus portę Palatij mei aſſideãt,

1. ad Timot.

Noſocomia tẽplis vicina.

Super Acta cap. 3.

vt quia ceſſuri ſunt, eos in veſtibulo offendentes donis ac munerib. ſubornent, quo mecũ ſuper negotijs ſalutis ſuæ accuratiùs pertractent. Nolite mihi ambigere Chriſtiani, maximo illum benefaciendi deſiderio teneri, qui veſtibulum Palatij ſui à domeſticis occupari ac inſideri voluit, vt eorum voluntates muneribus nobis obnoxias facientes, interceſſores poſtea illos experiamur. Quiſquis proinde apud Regẽ Regum Ieſum Chriſtum doctum, ac fidelem aduocatum habere deſiderat, is Spiritus Sanctus cõſilium

Eccleſ.9. illud ſequatur: *Conclude eleemoſynam in ſinu pauperis, & hæc pro te exorabit*. Caue autem buccinam, aut tympanum adhibeas, ſicque Hypocritarum more bonum faciendo vulgi applauſi inſidieris. Vt enim Regi honor eſt ſi neſciatur domeſticos illius ac Officiales muneribus ſe corrumpi ſinere: ita Deus eleemoſynas in pauperes erogatas, ita ſecretas eſſe vult, ipſi vt tantummodo de ijs conſtet ac liqueat. Quod ſi opus publicum ſit, intentio ſaltem, inquit S. Gregorius, ſecreta ſit, quo videlicet eleemoſynam non glorioſæ aucupandæ, ſed Deo placendi, & proximi neceſſitati ſubueniendi ergò erogemus. Fructum autem quem ex bono illo opere conſequeris, Sanctus Spiritus ſubiungit dicens, *ipſa exorabit pro te*. Vbi aduerte non dici pauper orabit pro te, etſi enim ille vitijs onuſtus, ac ſæpè extra Dei gratiam conſtitutus precibus ſuis nihil efficere valeat, tu tamen aduocatis non deſtitueris, quia ipſamet eleemoſyna pro te apud Deum intercedet, & ita cauſæ tuæ patrocinabitur, nullo vt ea modo perdatur atque prodatur. Hic D. Gregorij Nazianzeni admirabilis planè diſcurſus eſt, quo nihilominus nos non contenti penſiculatius adhuc Dei bonitatem examinemus. Conſiderate, Auditores quemadmodum ipſemet Seruator noſter eleemoſynam in pauperem erogatam accipiat dicens: *Quod vni ex minimis meis feciſtis mihi feciſtis*. Vnde Eccleſiam introeuntes & mendicum aut pauperem aliquem offendentes, ipſum Seruatorem eum eſſe cum quo in templo conuerſaturi eſtis debetis exiſtimare. Nolo ego vt in Eccleſia tantum illum reperiatis, ſed etiam in porta. Inuentio iſta ſimilis planè illi eſt, qua in Venerabili Sacroſanctæ Euchariſtiæ Sacramento inſtituendo vſus fuit. Vt enim antequam in cælum aſcenderet, ſe in diuino illo Sacramento

Digitized by Google

mento nobis relinquere voluit, eum vt æquè hic atque illic inueniremus, hic ſaluandi, illic autem nos glorificandi cauſa: Ita perſonam pauperis inducere, & Eccleſiarum portas, & limina obſidere voluit, vt eum non modo in templo, ſed etiam in porta illius ac veſtibulo inueniremus, in porta quidem eleemoſynam erogantes ac è veſtigio eam recepturi, in Eccleſia autem erogatam recipientes & mille donorum ſupernorum genere impetrantes. O excellentem amoris inuentionem! Eſt planè hæc ex earum numero, quas Eſaias per nos qui Concionatores ſumus, manifeſtari ac propalari voluit dicens: *Notas facite in populis adinuentiones eius.*

Ex hac pulcherrima doctrina rem haud aliquanto pulchriorem colligimus, differentiam videlicet inter eum qui facta eleemoſyna Deo ſupplicat, ac inter eum qui nec dum ſtipe erogata precatur. Qui enim Eccleſiam orationem ſuam perſoluturus eleemoſyna data ingreditur, is ideò adeſt vt debitum ſuum inde aſportet: qui aũt antequam quidquam elargitus eſt, domum Dei inuiſit, is mutuo gratiam antiquam diuinam ſumpturus aduenit. Prior ſecundum ius in verbo Dei fundatum procedit, poſterior autem in ſola miſericordia confidit. Cæterùm ne quis hoc loco arbitretur inuentionem iſthanc meã eſſe, audite quid Spiritus S. in prouerbijs dicat. *Fœneratur Domino qui miſeretur pauperi, & viciſſitudinem ſuam reddet ei.* Vbi nota voculam *reddet*, quæ ſignificat quia datum ante aliquid fuerit ideo viciſſim datori deberi. Vnde ſicut is qui mutuum dedit, illud cum volet iure etiam repere poteſt, & ſicut is qui mutuũ accipit creditori id reſtituere tenetur: ita quoque qui eleemoſynam fecit, iure à Deo, ſatisfactionem repoſcere poteſt, & Devs iure promiſſi eam dare obligatus eſt. An verò vobis admirabile videtur ꝙ dico Devm homini pauperculo ſtipem porrigenti obligatũ eſſe Audire aliquid amplius, & quod nonniſi Spiritus S dicere debuiſſe poſſit videri. *Diues pauperibus imperat,* inquit Scriptura *& qui accipit mutuum ſeruus eſt fœnerantis.* Diues ait pauperibus imperat, quia videlicet ſua ope & auxilio indigent. Verum hæc Dominij ſpecies politica eſt, poſſunt enim cum volunt ipſimet illud excutere: qui autem mutuum ſumpſit is fœnerãtis ſeruus ac mancipium efficitur.

Cap. 12.

Prou. 19 v. 17.

Prou. 22

Adeò vt accommodans dominij quoddam ius non politici tantum, ſed deſpotici etiam acquirere ſibi in eum videatur cui mutuum dedit, & non aliter quam Dominus ſeruum ſuum obnoxium ſibi offecerit ac obligarit. At componite mihi iam nunc ſuperiorem illam cum iſta ſententiam, & veſtrapte ſponte euidentem illius conſequentiam cognoſcetis. Dum enim Spiritus Sanctus modo ait mutuum accipientem eius ſeruum effici qui accommodarit, & dum modo dicit pauperi eleemoſynam porrigentem Deo illam fęnerari: quid amabò aliud relinquitur quam Deum illius ſeruum fieri qui propter ſui amorem eleemoſynam in pauperes erogarit? Poteſtne excellentius priuilegium reperiri, quam eum in ſeruum accipere, quem ipſi Angeli legitimum ſuum dominum eſſe confitentur? Poteſtne argumentum firmius, ratio plauſibilior, ac verba efficaciora inueniri quibus hominem ad eleemoſynam faciendam obliges, ac obſtringas? Quid autem excuſationis prætexere ille poterit qui cum poſſet eleemoſynam non fecit? Maneat proinde ideò Deum Noſocomia iuxta Eccleſias ædificari, pauperes autem & mendicos ideò templis aſſidere voluiſſe, vt ab introeuntibus ſubornati Deum nobis concilient: illeque eleemoſynam ex manu pauperis recipiens obnoxius tibi efficiatur, ſicq; à te maiore cum fiducia adoretur ac inuocetur. Ne autem quiſpiam ignorantiam excuſationis loco allegare poſſet, audite quid Euangeliſta dicat: *Quinque porticus habens*: quibus verbis oſtendit quinque porticus circum piſcinam fuiſſe, ac conſequenter totidem portas per quas ad infirmos &, ægros adiuuandos aditus concederetur. Noluit videlicet Deus ſibi exprobrari propter paucitatem portarum minus multos ad eleemoſynam faciendam introiuiſſe. Quinque ergò præcipuæ portæ ſunt, per quas ad miſericordiæ virtutem quilibet poteſt introire. Prima & principalis eſt proximi neceſſitatem præuenire, & quantum quidem in nobis eſt allaborare ne in eam prolabatur. Hac miſericordiæ ſpecie inſignis ille Nolanæ Eccleſiæ Præſul & Antiſtes S. Nicolaus vtebatur, qui vicinorum ſuorum quempiam propter extremam inopiam filias ſuas proſtituere velle animaduertens, tribus vicibus tantum auri argentique vim in domum illius coniecit.

Miſericordia habet quinq; portas.

fecit, commodè vt ſingulas nuptum dare ac dotare iuxta potuerit. Hæc eleemoſynæ ſpecies Deo gratiſſima eſt: & animo alto ac exaggerato multò quam digniſſima. Maius enim ac illuſtrius plane factum ille facit, qui hominem à calamitate quipiam protegit, quam qui ea iam affectum conſolatur. Opulentus homines exiſtimationis ac notæ alicuius propter inopiam verecundari cernens, nequaquam expectare debet donec ad incitas delabatur, ſed infortunium potius illorum præueniet. Hanc curã ſi Præſules, & qui poteſtate ac authoritate aliqua in Rebuſpub. pollent, in ſe ſuſciperent, vtique ſæpenumerò graues ac enormes contra Deum offenſç euitarentur. Secunda ad miſericordiam porta eſt, neceſſitati in quam proximus delapſus eſt, quibuſcunq; licet modis mederi velle. Neq; enim is perfectè miſericors eſt, qui cum omnibus proximi neceſſitatibus poſſet ſubuenire, vni tantum medicinam malui adhibere. O felicem illum qui per iſtam portam ingreditur. *Quis eſt hic & laudabimus eum?* Nimis enim exiguus illorum numerus eſt, qui ad hunc Charitatis gradum aſcendiſſe inueniantur. Tertia porta eſt vt is qui omnibus proximi calamitatibus opitulari non poteſt, ijs tantum ſuccurrat quibus per vires ac facultates ſuas ipſi permittitur: accumulando eleemoſynam quam facimus deſiderio plus faciendi, quemadmodum de vidua illa legimus quæ duos denarios in templi gazophilacio depoſuerat. Quarta porta eſt vt qui opere non poſſunt, verbis ſaltem & alloquijs afflictum recreare nitantur. Minus enim ab homine exigere non poſſumus, quam ſi id aliquo peramus, quod canes Epulonis Lazaro vlceribus obſito præſtabant: qui etſi crudelitatis ſymbola ſint, nihilominus huic miſero & afflicto vulnera, & plagas ſuas lambuiſſe perhibentur. Quinta & poſtrema ad miſericordiam porta eſt vt qui propter inſcitiam alijs conſulere non didicerunt, compaſſionis tantum ſignum aliquod edant, & deſiderium ſuum afflicto ſubueniendi demonſtrent: in tali enim caſu voluntas pro facto accipi poteſt, iuxta Paulinum illud: *Voluntas enim prompta eſt ſecundum id quod habet, accepta vero ſecundum id quod nõ habet.* Nũc quinque iſtis in miſericordiæ Hoſpitali portis ita explicatis, quis amabò excuſare ſe poterit, ac portarum raritatem alle-

Eccl. 31.

Luc. 16.

2. Cor. 8.

lega-

legare audebit? At videamus quemadmodum totam hanc doctrinam ſenior Tobias nos docuerit, vbi filium ſuum inſtruens ait: *Ex ſubſtantia tua fac eleemoſynam:* non autem ex aliena, quia iſtiuſmodi eleemoſyna Deo exoſa ac penitus inuiſa eſt. *Et ne auertas faciem tuam ab vllo paupere*, qualiſcunque etiam ſit, exhibendo ſaltem illi faciem affabilem ac beneuolam, aliud ſi ipſi facere ac præſtare non poſſis, *ita* namque *fiet vt nec à te auertatur facies? Domini.* Qualem tu ſtipem mendico porrexeris talem à Domino recipies, qualem vultum pauperibus monſtraris; talem tibi viciſſim Deus exhibebit. *Quomodo poteris eſto miſericors, ſi multum tibi fuerit, abundanter tribue, ſi exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impartiri ſtude.* Caue autem exiſtimes eleemoſynam te faciendo pauperem futurum: *nam præmium bonum tibi theſaurizas in die neceſſitatis*, obligando Deum vt ſicut tu alienam miſeriā ſubleuauiſti, ita quoque ipſe tuis in neceſſitatibus tibi ſubueniat ac opituletur.

Cap. 4.

Videte, Chriſtiani mei, quemadmodū omnes illas quinque portas quib. vt ad Miſericordiæ Hoſpitale ingredi liceat hactenus declaratū eſt, ſanctus ille Senex Tobias pauculis planè verbis nobis deſcripſerit ac cōplexus fuerit. Et audebūt ſe homines adhuc excuſare miſericordiæ templū quod non intrauerint, & virtutē illam homine digniſſimā non frequentarint; Habent hic portas ſufficientes, habent omnib. hominibus conuenientes: Hic pauperes ac opulēti ſuas: ægri & ſani ſuas: alias iuuenes, alias ſenes, alias denique quot & qualeſcunque intrare cupientes inueniunt. Quod ſi quis per primum ingredi non poteſt præueniendo videlicet neceſſitatē proximi priuſquam in illam prolabatur, intret mihi ſaltem per ſecundam & omnibus egenorū neceſſitatibus ſuccurrere annitatur. Quod ſi nec hoc facultates ac vires illi ſuæ permittunt, progrediatur ad tertiam & aliquid ſaltem largiendo plus dare deſideret; Verum ſi etiam hic ad pauxillum illud donādum medijs deficitur ad quartam mihi abeat; & quem re ac opere non poteſt, hunc verbis tātum erigere ac recreare allaboret. At ſi etiā hic quod aiunt aqua illi hæret, ingrediatur mihi per quintam, proximo ſuo cōdoleat, & alterius neceſſitati cōpatiatur. Certè Seruator noſter hodierna die per ſecūdam portam ingreſſus fuit, conijciendo miſericordiæ ſuæ oculos

los

los in paralyticum, ipſos iam triginta octo annos cum morbo illo conflictantem, & integræ ſanitati omnipotenti ſuo brachio illum reſtituendo. Verùm quoniam modus quem Seruator noſter in infirmo, hoc ſuo ſanando adhibuit notabilis prorſus eſt & conſideratione dignus, ideò nos penitius aliquanto eum inſpicimus. *Et cum cognouiſſet* I E S V S, inquit Euangeliſta, *quia iam multum tempus haberet, dixit ei, vis ſanus fieri?* Vbi ſignificare nobis velle videtur, cauſam propter quam Seruator Noſter num ſanari vellet interrogarit, morbi longitudinem ac diuturnitatem fuiſſe. Tametſi hominum opinionẽ ſecuti dicere poſſimus hanc morbi diuturnitatem cauſam potius eſſe debuiſſe, vt an ſanari vellet ex ægroto non ſciſcitaretur. Si verò ab aliquot tãtum diebus ex paralyſi ſua decubuiſſet, tum verò dubitare licuiſſet, vtrum infirmitatẽ fatigatus ab ea liberari vellet. Nunc autẽ quoniam ipſos triginta annos cũ morbo iſto conflictatum illum fuiſſe conſtat, dubitandi locus non relinquitur, quin illicò à diuturna illa infirmitate cupiat liberari. Verum hic humanorum iuditiorũ diſcurſus eſt, noſter autem Seruator IESVS CHRISTVS qui inſtar cæleſtis ac experti medici quorumlibet animæ morborum accidentia cognoſcit, ſciſcitari ex ægroto voluit vtrum ſanari vellet; quia videlicet intelligebat infirmitatem ſuã longam ac diuturnã valde fuiſſe. Illud namq; infirmitatibus animarũ proprium eſt, vt quo diutiùs illã obſederunt, hoc amplius illam recreent atque delectent, quemadmodum etiam nihil æquè malum allubeſcere, & medicinam difficulter operari facit, ac in malorum principio venienti haud occurrere peſti. Atque hoc illud eſt quod non nemo ex amicis Iob præclarè intellexit, vbi de ijs differens qui ab ipſa ſua adoleſcentia in peccatorum ſordibus volutantur ait; *Oſſa eius replebuntur vitijs adoleſcentiæ ſuæ, & cum eo in puluere dormient* Et ſequitur cauſa: *Cum enim fuerit dulce malum in ore eius, abſcondit ſub lingua, parcet illi & non derelinquet, & non celabit in gutture ſuo* Id eſt. Malum propter conſuetudinẽ dulce ill viſum fuit, & ideò digitos lambit, labia ſugit, velut delicato aliquo eſculento aut cupedijs comeſtis, ſub lingua id tenet ac deglutit, velut metuens ne ſibi caſu aliquo ex ore id excidat. Et arbitretur adhuc quiſpiam iſtiuſmodi aliquem adeò qui genialiter ma-

Cap. 20

malum hactenus,quod eſt animæ infirmitas,deglutiuerit, ita facilè ad illud nauſeaturũ? Hunc vos ſanitatẽ etſi oblatã acceptaturum opinamini? O miſerabilẽ ac deplorandũ illorum ſtatum qui voluptatẽ quandã ex peccatis percipiũt, & peccata ad inſtar delicatorum eduliorũ abſorbent; Væ illi qui ad hanc ſortem & amentiã ſe deuolui paſſus eſt. Vtinã tu potius quid animæ tuę accidat intelligeres,quãdo in peccato tibi places atq; applaudis. *Panis eius*, inquit idẽ Spiritus S. ſuperiorem diſcurſum continuans, *in vtero eius vertetur in fel aſpidũ intrinſecus. Diuitias quas deuorauit euomet,& de vẽtre eius extrahet eas Deus. Caput aſpidum ſuget,& occidet eũ lingua viperæ.* Hoc autẽ totum adimplebitur quã-
Cap. 18. do Apocalypticum iſtud illi accinetur: *Quantũ glorificauit ſe,& in delicijs fuit,tantum date illi tormentorum.* Tunc Deus faciet eum ex imo ſtomachi ſui gurgite cupedias ſuas quas ille pro inæſtimabilibus diuitijs habebat, euomere, vt ita plus tormenti vomendo perferat, quã comedendo voluptatis perceperat. Cogetur tunc ille aſpidum capita ſugere: & lingua viperæ quæ vermis conſcientiæ eſt, inteſtina illi ſua rodet ac deuorabit, Ecce quo tandẽ infirmitates illæ euadãt quas lõgior vſus,& conſuetudo diuturnior dulces ac iucundas effecit. Ecce tibi voluptatis finem quæ ex ijs capi ac hauriri conſueuit. Caue proinde tibi, Chriſtiane homo,ne in ſimile periculum prolabaris: quod facilius cõſequeris,ſi Poetici illius identidem recorderis.

Principijs obſta, ſerò medicina paratur,
Cum mala per longas inualuere moras.

Tunc enim peccator ſanitatem etſi oblatã reſpuit,quia lõgior cõſuetudo malũ quod patitur dulce ipſi effecit. Eſtne ex vobis ſimiliter aliquis triginta & octo ipſos annos decumbens, Conijciat ille in ſe paulisper oculos & vtrũ ad hanc miſeriam deuenerit conſideret. Dic mihi Chriſtiane homo cum peccare,cum contra timorem Dei ipſemet diſpẽſare inciperes,quid te retinebat, quid appetituũ tuorum petulantiã refrænabat? An nõ experiebaris cõſcientię quoſdã in te ſcrupulos,nũquid remorſus,nunquid terrores aliquos ſentiebas, & ne in peccato morereris ac in æternum condemnareris metuebas? Hoc autem quid erat? Nunquid morbus incumbens grauis tibi videbatur? Non diſceptabas magnoperè tecum vtrum confiteri velles, ſed obla-
tam

tam tibi ſanitatem obuijs quod aiunt vlnis excipiebas.

Nunc autem poſtquã frontẽ perfricuiſti, & diuini amoris frena penitus momordiſti, numquid ſimiles terrores te percellunt? ijdẽ remorſus lancinant? idẽ qui antea conſcientiæ vermis te morſicat? Adeò videlicet ſecurè & placidè viuis ac omniũ omninò mortaliũ ſanctiſſimus eſſes. An ergo hoc pacto infirmitas tibi tua non placet ac allubeſcit? Quid ſi adeò tibi placet, quomodo ſanitatem etſi oblatam non reſpues ac auerſaberis? O te miſerum qui Syrtem in qua nauigas, ſcopulum ad quem tendis, præcipitium ad quod tuis, non animaduertis. *Voluntariè enim peccantibus iam non relinquitur Hoſtia pro peccatis. Terribilis autem quadam expectatio iudicij, & ignis æmulatio quæ conſumptura eſt aduerſarios;* inquit Sanct. Paulus de ijs loquens qui infirmitate ſua iucundiſſimè acquieſcunt. O verba horribilia, & quæ ſoli peccatores nequaquam, ipſa autem ſaxa & ſcopuli intelligere poſſe videntur. Heb 10.

Verum quidem eſt, inquit Apoſtolus, quod Seruator noſter in paſſione ſua ac etiã in altaris Sacramẽto ſacrificium nobis reliquerit, per quod Deum placare & peccatorum ab illo veniam impetrare valeamus, verũ ſacrificium iſtud nihil planè ijs prodeſt qui voluntariè peccant. Itane verò? An ergo aliquis non voluntariè peccatum poteſt deſignare? Certè D. Auguſtinus docet peccatum peccatum eſſe, hoc ipſo quia voluntarium eſt. *Deo peccatum quia voluntarium.* Quomodo ergo dicitur, eum qui voluntariè peccauerit, ſacrificij dele, pro peccatis oblati participem non futurum? Obſeruate mihi hoc loco Auditor. peccatores nonnullos eſſe, qui impetu paſſionum ſuarum ferantur ac rapiantur. Hinc quamuis verò veriùs ſit cum peccare incipiunt, voluntatem peccato conſentire, tamen præter hunc conſenſum extra culpam forent, quia violenter quodammodo illa admiſſa facto ſuo indignãtur, ſatis ſuperque oſtẽdentes errorem illum potius humanæ fragilitati, quam voluntatis pertinaciæ adſcribendum eſſe. De his Apoſtolus loquitur dicens: *Non quod volo bonum hoc facio, ſed quod nolo malum illud ago.* Atque hi ſicut non voluntariè peccant, ita de paſſione Domini proculdubio communicant. Reperiuntur autem & alij adeò perfrictæ frontis, nihil vt vereantur abſque vllo reſpectu Deum offendere, iamque etiã ira illius Rom. 7.

ita prouocata non tantum voluntate ad peccati actum accedere, ſed eo etiam commiſſo in turpiſſimo ſcelerum ſuorum cœno volutari. Atque hi illi ſunt quos Apoſtolus voluntariè peccare dicit: vſurpans idcircò participium præſens, quod rem quæ actu exercetur ſignificat. Ex hac claſſe ſunt omnes vſurarij, concubinarij, calumniatores, & qui inimicitias ac ſimultates cum proximis ſuis fouent ac alunt. His neque Chriſti Paſſio neque incrementum illius ſacrificium quidquam prodeſt, quia videlicet medicinam à Domino ſibi oblatam auerſantur, quam quia repudiant, ideò ſanari non poſſunt.

Surge & tolle grabatum tuum, & ambula. Surge è peccati ſitu ac puluere, accipe lectum in humeros, vt voluptas qua antea titillabaris, iam te purgat, & tu deinceps virtutis ſemitam incedere incipias. Ita facere decreuiſti? Vſuris valedicere conſtituiſti? Honorem quem alteri abſtuliſti eidem reſtituere paratus es? Cum æmulo tuo in gratiam redire, & pœnitentiam facere deſideras? Certè ſi horum aliquid facere nō potes, ſignum eſt voluntariè te peccare, & morbo te liberari non velle. His enim conditionibus ſa-
Pſal. 33. nitas datur atque confertur. *Quis eſt homo qui vult vitam*, inquit Propheta Regi', *diligit videre dies bonos?* Hæc interrogatio ſimilis planè Euangelicæ illi eſt ad Paralyticum hodie factæ. Nemo opinor erit qui non ſe velle clamitet, & qui non duo vtrumque ſe deſiderare vociferetur. At quam verè, per hæc ſigna colligemus. *Prohibe linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum*. Ecce tibi hoc *ſurge* illud eſt quod paralytico noſtro dicitur. Sequitur *diuerte à malo & fac bonum*, hoc Euangelico illi reſpondet: *Tolle grabatum tuum & ambula*. His tu ergo conditionibus ſanitatem deſideras? Aliquam harum ſi non accipis, ſanitatem non vis. Hæc enim pharmaca & cataporia Redemptoris noſtri ſunt, quibus ille paralyſin pellit, & vires ægroto reſtituit. Hæc ergo ſi auerſaris, ex eorum numero es qui voluntariè peccant, & quibus Dominica Paſſio & incruentum Altaris ſacrificium nihil prodeſt. His autem bonis ſi deſtitueris, quid aliud expectandum tibi eſt, *niſi terribilis quædam expectatio iudicij, & ignis æmulatio?* ignis inquam diuini honoris terribilis zelator, qui in æternum te excarnificabit. Societas Dæmonum & abyſſus camini tamdiu ſuccenſi & æſtuantis

tis quoad Deus duraturus eſt. Nunquid exiſtimatis tormenta illa metuenda eſſe? Nunquid igitur ſanari vultis? Agite Deo gratias quod non ſicut paraliticus ille hominem qui vos in piſcinam deferat deſideratis. *Ecce homo.* Ecce IESVS CHRISTVS qui te modo velis ſanaturus eſt. Ad hunc conuertere, ab hoc peccatorum veniam pete, & pœnitentiam fac. Hic enim non modo omnia tibi delicta condonabit, ſed inſuper vires ac robur addet; vt grabatum pœnitentiæ humeris imponere, & hoc modo ad gloriam peruenire poſſis, *quam mihi. &c.*

CONCIO VNDECIMA PRO SABBATO POST DOMINICAM Inuocauit.

Aſſumpſit Ieſus Petrum & Iacobum, & Ioannem fratrem eius, &c. Matth. 17.

DVO ſunt quæ Seruatorem noſtrum tribus diſcipulis, PETRO, IACOBO, & IOANNI feciſſe Euangeliſta commemorat, cum videlicet gloriam illis ſuam per admirabile transfigurationis ſuæ myſterium manifeſtaturus eſſet: quæ nobis ſimiliter neceſſaria ſunt, quatenus illum in gloriæ ſuæ Tabor transfiguratum videre valeamus. Primum eſt quod ex reliquorum Apoſtolorum numero tres illos ſelegerit, prout vocula illa *Aſſumpſit* declarat. Secundum eſt quod inſtar Ducis ad montem vſque illos deduxerit, ſicut ex verbo *duxit* apparet. His autem duobus ita ſimul iunctis ac præcedentibus dubium nullum erat, quin confeſtim ipſa transfiguratio ſecutura, quodque illa à diſcipulis videnda eſſet. Cæterum eadem iſthæc duo Deum etiam tunc obſeruauiſſe legimus, quando populum ſuum ab Aegyptiacæ ſeruitutis iugo liberatum in terram promiſſionis educebat. Hinc

Moyſes

Deu. 32. Moyſes in Cantico ſuo ait: *Et ipſe tanquam Aquila prouocans pullos ſuos ad volandum, & ſuper eos volitans aſſumpſit eos*. Ecce tibi idem illud *aſſumpſit* quod in hodierno Euangelio legitur. Ecce etiam *duxit* noſtrum, dum dicitur, *Do-*
Phil. 3. *minus ſolus dux eis fuit*. Vnde intelligis montem gloriæ aſcendere molienti, vbi, ſecundum D. Paulum, *reformabitur corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ*, duo illa Ieſus Chriſtus cum tribus ſuis Apoſtolis fe-
Rom. 8. cit neceſſaria prorſus eſſe. Primum eſt quod ex omnibus gentibus ac nationibus electi ſumus, ſolos autem *quos prædeſtinauit*, inquit Apoſtolus, *hos & vocauit*, ac vt cælum aſcenderent inuitauit. Hic primus paſſus eſt quem in itinere ſalutis conſtitutos facere oportet, & quem nos gratia Dei adiuti iam nunc fecimus. Dum enim Chriſtianiſmi ſacris imbueremur, hoc ipſo ex gentibus ac nationibus vniuerſis electos nos eſſe poſſumus gloriari. Id au-
Eph. 2. tem ſola miſericordia Dei factum eſt, prout idem Apoſtolus ſignificat dicens: *Nos ſorte vocati ſimus*. Vt enim cum ſorte res agitur, nullius perſonæ ratio, aut partis reſpectus habetur, adeò vt æquè facilè opificem aliquem quàm nobilem ac optimatem qui in electione ſunt ſors tangat: Ita ſolius fortunæ in diuina voluntate fundatæ fuit, quod ſors Chriſtianiſmi ſuper nos cecidit: remanentibus alijs in craſſis, & cimmerijs Gẽtilitatis ſuæ tenebris, qui fortaſſis melius gratiam illam ſibi collatam adhibuiſſent. Agnoſcamus ergo multũ nos vel eo tantũ nomine Deo debere, ac gratias illi continuò perſoluere pro gratia iſthac oportere. Porrò cùm electio illa per ſe ſufficiens non eſſet, Duce etiam nobis opus erat, à quo regeremur, ac gubernaremur, & idcircò neceſſarium fuit ipſummet Deum in mundo incarnari quippe cum inter homines vniuerſos nemo adeò ſanctus, & perfectus reperiretur, qui vitæ ſuæ ſanctimonia, ac incorruptis moribus viam ac cælum præſignare nobis poſſet. Et hoc opinor illud eſt quod Moyſes præuidit, quando videlicet populum in terram promiſſionis ducere detrectans, & hanc prouinciam in ipſum
Exo. 33. Deum amolitus dicebat: *Si non tu ipſe præcedas, ne educas nos de loco iſto*. Reuera namque Chriſtiani (nihil vt de terra promiſſionis hoc loco dicamus quæ figura tantùm erat itineris noſtri ad cælum) negari non poteſt hominem qui

nos

nos ad ſupernam illam patriam deduceret reperiri non potuiſſe. Qui enim alteri Ducem præbere ſe vult, is duas qualitates habere debet, ſecurè vt eum ſequi non dubitemus. Primò vt per ignorantiam falli non poſſit, ac vt deinde ipſe ex malitia alios non circumueniat. Si enim falli poteſt, iam malè viam præſignabit, ſi autem viam ſciens ex malitia rectè eam demonſtrare nolit, tum verò peſſimè illis qui eam ignorant ibit conſultum. Verùm quem tu mihi hominem dabis cui qualitates illæ abſolutè poſſint conuenire? Hoc enim ipſo quod homo eſt falli poteſt, & alios ſimiliter fallere dicente Dauide: *Omnis homo mendax*. Nemo, inquit, hominum eſt, qui naturam aurigantem ſecutus, modo per ignorantiam, modo per malitiam mentiri hallucinarique non poſſit. Hoc autem Propheta in extaſi, & contemplatione ſe dixiſſe profitetur: *Ego dixi in exceſſu meo*. Vt enim in raptu ac enthuſiaſmo homo cæleſti lumine perfuſus res vti in ſe ſunt contemplatur: ita hic Dauid intellexit ſolum Deum eſſe qui falli non poſſit, propterea quod infinitè bonus eſt, ac ideò alios circumuenire non valere, quia infinita bonitate pollet. Neque enim ignorantia quæ cauſa eſt propter quam homines decipiuntur, cum ſuprema ſapientia, neque malitia qua homo ad alterum fallendum impellitur, vllo modo cum immenſa Diuini numinis bonitate poſſunt conciliari. Vnde ad extremum conſequitur ſolum Deum verum Ducem eſſe ac viam ad cælum præſignare nobis poſſe. Huius mihi veritatis aliquem ſaltem radium Plato habuiſſe videtur, qui ait, ſicut oues benè vt ducantur Duce aliquo opus habent quam ipſæ ſapientiore; ita homines vt feliciter ad vltimum ſuum finem perducantur Ducem habere debent, cuius intellectus humano excellentior, ac diuinus tantùm ſit. Verum Sanct. Auguſtinus admirabilis ingenij doctor notabilem difficultatem ſuper hoc puncto mouet, dum ait, bonum Ducem videri oportere, Deum autem qui inuiſibilis eſt idcircò Ducem noſtrum eſſe non poſſe. At reſpondet ipſemet dicens: *Homo ſequendus non erat qui videri poterat; Deus ſequendus erat, qui videri non poterat. Vt ergo haberet homo quem videret, & ſequeretur, inuiſibilis Deus factus eſt viſibilis homo.* Atq; hoc ipſum Regius Propheta Dauid ſignificare vole-

Pſ. 115.

bat cum diceret: *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lu-*
Pſ. 118. *men ſemitis meis*. Ac ſi diceret ſecundum D. Ambroſij ex-
poſitionem, Eligant ſibi alij, ò bone DEVS, duces quos
volunt, ſequantur lumen quodcunque ijs collibitum fue-
rit: ego nec alium Ducem nec aliam ſemitam quam ver-
bum tuum deſidero. Vbi nota verbum incarnatum id-
circò lucernam appellari, quoniam lux illa quam deſide-
1. Ti. 6. rabat, & Dux quem optabat, non verbum Dei necdum
incarnatum erat, quod quia ſecundum D. Paulum *lucem
habitat inacceſſibilem*, potius oculorum noſtrorum aciem
hebetat atque occæcat; ſed lumen Verbi Diuini in lucer-
na Humanitatis conſtitutum, ne videlicet debili oculorũ
noſtrorum potentiæ obeſſe nocereque poſſet. Habemus
ergo Audit. quod Dauid dicit pro Ducem Deum incar-
natum, & ab eo omnibus planè mundi nationibus ad glo-
riam ſuam in monte Tabor contemplandam electos nos
eſſe poſſumus gloriari. Verum cum electio nequaquam
ſufficiat, Seruatorem inſuper noſtrum ſequi omnes nos
oportet, quemadmodum tres illos Diſcipulos feciſſe com
perimus. Parum enim admodum ijs profuiſſet à Seruato-
re noſtro electos eſſe, niſi eundem ſequi conſtitiuiſſent.
Videamus proinde nos pro concione hodierna quibus paſ
ſibus ad montem illum euaſerint, ipſum autem transfi-
gurationis myſterium in craſtinum differamus.

Duxit illos in montem excelſum, vbi ego addere auſim ad
diuinæ gloriæ compendium, & quoddam velut paradig-
ma videndum exeuntes egregiè laborauiſſe, ac ſudore e-
tiam perfuſos fuiſſe. Reuera enim inſignis ſtupor & ex-
trema ignorantia foret, gloriæ ſibi præmium imaginari
labore adhuc planè nullo exantelato. Et ideò S. Marcus
Cap. 9. eandem Hiſtoriam recenſens, dicit quod S. Petrus Domi-
num rogans quatenus ſibi in monte conſidere, & transfi-
gurationis illa gloria frui liceret, non reuertendo in ciui-
tatem Hieroſolymorum vbi is paſſurus erat, *neſciebat quid
diceret*; imprudenter enim & pueriliter ad gloriam perma-
1. Cor. 9. nentem adſpirabat, priuſquam paſſus fuiſſet. Hinc S. Pau-
lus præmium gloriæ brauio comparat quod curſoribus
ac athletis in ludis Olympicis porrigebatur. Hinc etiam
Seruator noſter in Euangelio gloriam ſuam regnio alicui
aſſimilat quod vi capitur, ſubijcitur, ac occupatur. Et S.
Ioan-

Ioannes in Apocalypſi ſua dicit vidiſſe ſe innumerabiles Sanctos in gloria, qui omnes palmas triumphales in manibus præferebant. Et quis omninò vnquam audiuit in luctis ac certaminibus alijs quam victoribus præmium ſolui? Corona autem cui amabò imponitur niſi illi, ante qui viriliter ac fortiter dimicarit? *Non coronabitur*, inquit Apoſtolus, *niſi qui legitime certauerit*. Quis vnquam Regnum aliquod obtinuit, qui non ante bellum geſſerit, Martem expertus fuerit, & ſanguine campum aſperſerit? *Regnum cœlorum vim patitur* inquit Seruator noſter, & *violenti rapiunt illud*. Triumphantes priuſquam palmam in manus ſumerent, vitam ſuam ſæpius in diſcrimen adduxerant, hoſtium copias deleuerant, & campo victores exceſſerant. Vnde cum ipſe S. Ioannes turmas illas manibus palmas præferentes in cœlo conſpiciens, ſciſcitaretur *Hi qui amicti ſunt ſtolis albis qui ſunt & vnde venerunt*? ad primum illi punctũ nihil planè reſponſum fuit, quia nimirum in cœlo ratio nulla habetur vtrum Græcus, Iudæus, an gentilis ſis, omnia enim illic vnum ac idem ſunt, inquit S. Paulus. Adeò cum ad ſuum *qui ſunt* nihil illi reſponderetur, ad alterum interrogationis ſuæ caput *vnde venerunt*? ſatisfactum illi fuit, ac in hæc verba ſucclamatum. *Hi ſunt qui venerunt ex magna tribulatione, & lauerũt ſtolas ſuas, & de albauerunt eas in ſanguine agni*. Etſi enim ſanguis agni in quo lotę fuerunt rubicundus fuerit, attamen accedentibus Seruatoris noſtri meritis, dealbatę ſunt. Nolim proinde Chriſtianus aliquis erret ac traducatur exiſtimãdo gloriam pro fungis ac ocioſis eſſe. Si enim vos ſeruo alicui veſtro qui non laborauit precium non ſoluitis, quomodo a Deo glorię prę mium expectatis, nihil cum promeriti fueritis? *Lætabuntur coram te*, inquit Eſaias, *ſicut qui lætantur in meſſe, ſicut exultant victores capta præda, quando diuidunt ſpolia*. Non dubito ego Domine quin admirabili letitia illi perfundendi ſint, gloria qui tua perfruentur, ſiquidem in illa omnis felicitas ac beatitudo conſiſtit. Verum eorum gaudium meſſorum lætitiæ ſimile erit poſtquam ſementem fecerunt, aut militũ tripudio poſtquã videlicet illi ſpolia ac exuuias inter ſe deſtribuunt ac partiuntur, vt enim meſſores non niſi ſemente facta lætantur, & milites non niſi prælio commiſſo ſpolia cum exultatione diuidunt: Ita impoſſibile eſt

Cap. 7. 2. Tim. 2. Matth. 11 Apoc. 7. Cap. 9.

ſeruos tuos gloria tuæ præſentiæ inebriari, niſi ante labores exhauſerint, & varias moleſtias deuorarint. *Euntes ibant*
Pſ. 152. *& flebant*, inquit Rex Dauid, *mittentes ſemina ſua: venientes autem venient, cum exultatione portantes manipulos ſuos*. Dixerat ille paulo ante: *qui ſeminant in lacrymis in exultatione metent*. Statio ſementem præcedit, quam vt cum gaudio ac lætitia in horrea inuehas, cum lachrymis ſeminare oportet. Ita namque Sancti vniuerſi per abrupta ac deſerta huius mundi cœlum verſus contendentes, *ibant, & flebant*: qui aliquando in extremo iudicij die vna cum gloriæ Rege reuertentes *venient cum exultatione*, portantes ſinguli manipulum gloriæ qui meritis, ac laboribus in hoc mun-
Apo. 21. do exantelatis reſpondet. Ad extremum Auditores dilectus Diſcipulus ait: *Abſterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum, iam non erit amplius neque luctus, neque clamor, neque vllus dolor*. Et additur cauſa, quia videlicet *prima abierunt*, quia moleſtiæ præceſſerunt quas immediatè gaudium & lætitiam ſequi oportet. Quin ipſe Seruator noſter corporis ſui gloriam oſtentaturus, ante in montem *excelſum* conſcendit, ac nõ niſi magna cum difficultate in illum euaſit. Sed & Apoſtoli transfigurationis illud Myſterium ſpectaturi Magiſtro ſuo ſe conformauerunt, & poſt illum ſenſim, ac ſenſim in montis iugum ſubierunt. Vnde & nos qui Apoſtoli non ſumus cęleſtium myſteriorum arcana ſpectaturi in eo Redemptorem ac Diſcipulos pariter illius debemus imitari Neque enim conueniens eſt maiora nos, quam Apoſtoli, ac ipſe Filius Dei habuerit, priuilegia nobis velle arrogare. In quali habitu vos D. Ioannem Ieſum Chriſtum conſpexiſſe exiſtimatis? Dixi id vobis proxima ſecunda Feria, ſi recentem adhuc dicto-
Apo. 15. rum memoriam attuliſtis. *Erat* ille *veſtitus veſte aſperſa ſanguine: & ex ore eius procedebat gladius ex vtraque parte acutus. Oculi eius ſicut flamma ignis, & in capite eius diademata multa*. Ad hunc autem Regem plenum gloria, & Maieſtate, vt quis perueniret, tranſeundus erat ſanguis, ferrum, & ignis: quemadmodum etiam omnibus ijs faciendum eſt, qui ad æternam gloriam peruenire ſatagunt atque contendunt. Nullus dubito Audit. quin ſi ex vobis quæſiero vtrũ quæ dico Catholica exiſtimetis, & vtrum ſicut fidelibus conuenit ea accipiatis, ac approbetis, vniuerſos mihi an-

nuituros

uituros eſſe: & tamen vnde hæc dementia eſt, quod celerrimo curſu quilibet improbas ſuas inclinationes conſectatur? Æternam gloriam omnes ſperamus: & tamen nihil pati, nihil tolerare volumus? vbi ieiunia, vbi lachrymæ, vbi diſciplinæ, vbi carnis mortificationes ſunt? vbique riſus, luſus, & ſcurrilitas dominatur. Vbique voluptatibus, genio, ac vanitatibus indulgetur. Quid hoc eſt? Ita quiſquam cœlum ſibi polliceri, &, gloriam ſempiternam promittere audeat? Ecce vobis ipſe Seruator, ac Redemptor noſter ſe transfiguraturum in aditum montis iugum enititur, ſequentibus pone Apoſtolis ad id ſpectaculum, & myſterium contemplandum admiſſis. Scito proinde, quiſquis es, in cœlo ſedente non habiturum niſi labores, quippe cum mercedes, ac ſalaria non niſi laborantibus, &, dignis conferantur. Atque hic primus paſſus eſt, quem Seruator noſter ad transfigurationem ſuam aſpirantes facere docuit.

Excelſum ſeorſum. Non contentus Seruator noſter ad Transfigurationis ſuæ Myſterium tribus Diſcipulis exhibendum montem excelſum elegiſſe, voluit inſuper eum ab hominibus ſecluſum, ac ſeparatum eſſe, vt videlicet doceret, quantumuis anima aliqua contra malas inclinationes dimicando ſurſum contendat, nequaquam tamen Deum gloriam illi ſuam monſtrare, & delicias ſpirituales communicare conſueuiſſe, niſi à mundo ſe ſegreget, ac ad inſtar Moyſis alicuius in intima deſerti ſe retrudat. IESVS CHRISTVS animarum noſtrarum ſponſus eſt, &, inſigniter caſtus. Hinc quatenus ſponſus ſe cum dilecta ſua recreare deſiderat, quatenus autem caſtus eſt, à locis illis abhorret in quibus videri poſſet, ac ideò in ſolitudinem ſe recipit. Hoc Spiritus Sanctus, indicare nobis per verba illa voluit, de quibus quoties dicere aggredior, toties nouum aliquid ſuper illis excogitare mihi poſſe videor. *Introduxit me Rex in cellaria ſua: exultabimus, & lætabimur in te memores vberum tuorum ſuper vinum*. Cant. 1. Id eſt, O ſancte ſponſe ſola recordatio lactis, ac vberum tuorum (ita illa delicias ſibi communicatas appellat: oſtendere vnicam diuinarum conſolationum guttulam mari voluptatum mundanarum præſtare, quæ nihil aliud ſunt quam vinum, quoddam intellectum turbans, & ce-

rebrum obfuſcans) animam meam exhilarat,ac ipſum etiam corpus tripudiare facit, ita vt cũ Dauide dicere poſ-
Pſal.83. ſim: *Cor meum,& caro mea exultauerunt in Deum viuum.* O quales delicias illas eſſe oportet, quarum ſola memoria ac recordatione ſponſa adeò afficitur ac recreatur? Vtinam & nos aliquid ex illis delibare ac deguſtare valeremus, mihi credite è veſtigio quidquid nunc pulcrum,& bonum in mundo exiſtimamus, beſtiarum delicias, & terræ lolium reputaremus,propter cuius ſtulta, vana, ac puerilia gaudia æternæ beatitudinis naufragium pati non dubitamus. Verum videamus vbinam ſponſus deliciarum illo pretioſiſſimo ſuo vino ſponſam potarit ac inebriarit. *Introduxit me Rex in cellaria ſua*, inquit ſponſa; vbi pro voce *cellaria* nonnulli *penetralia ſua* reponunt, intelligens locum ab omnibus ſecretum, & ab arbitris quibusque remotum. Volens ergo ſponſus ſponſam ſuam exhilarare, eam primum ab hominum ſtrepitu, & ſocietate ſeduxit, ac poſtea in intimum domus ſuæ penetrale inuitauit. Hoc enim is omnibus illis facere conſueuit quos teneriùs tractare conſtituit: & hoc omnes illi procurare ſolent, medullitus qui ab eo amari concupiſcunt. Vt autem faciliùs intelligatur quænam illa penetralia ſint, in quæ ſponſus ſponſam ſuam tenerius tractaturus induxit,

Tẽplũ Salomonis tripartitũ. ſciendum eſt quod ſicut in templo Salomonis, quæ Deo ſacra domus erat, tres partes fuerunt, quarum prima *Veſtibulum*, ſecunda *Templum*, ac Tertia *Sancta Sanctorum*, vbi diuina maieſtas ſummo cum Sacerdote loquebatur, nuncupata fuit: Ita in vaſto iſthoc vniuerſalis mundi circo, qui Dei quædam domus eſt, tres partes à ſe inuicem ſegregatæ conſtitui poſſe videntur. Prima omnia quæ ſub Lunæ cœlo ſunt comprehendit, vbi elementa, & alia ex illis compoſita. Secunda globos cœleſtes, aſtra, planetas, Angelos, & intelligentias motiuas continet, quæ in hæc inferiora influunt ac operantur. Tertia ſuper omnes cœlos eleuata, Sacroſanctæ Trinitatis Conciſtorium, ac totum Beatorum cœlitum æterna lætitia perfruentium aulam complectitur. Hæc tertia Dei conclaue appellatur, quod videlicet in hoc ille omnes theſauros ſuos habet, & magnificentiam ſuam manifeſtat, prout Reges in conclauibus ſuis facere conſueuerunt. Qui

ergo

ergo circa fluxa ac terrena tantum occupantur, hi veſtibulum ſeu atrium domus Dominicæ inſident. Qui autem ad cœlum vſque cogitationibus penetrantes, de eorum motibus ac influentijs veterum Philoſophorum more diſputant, & hac ratione in ipſius Dei cognitionem deueniunt, quemadmodum Sanctus Paulus diſcurrit, *Rom. 1.* hi inquam ſecundam Domus Dominicæ partem tenent, tametſi ad interiora penetralia ac ſpiritualium deliciarum guſtum non pertingant. Porro qui caducis iſtis contemptis animum à creaturis abſtractum cœleſtibus ſtudijs occupant, ſicq; hac conſideratione præuia ad ipſam Dei perſonam ſe penetrant: hi verò ad ſecretiora Dei conclauia perueniunt, & ad ipſa penetralia domus ſuæ admittuntur. Vnde nulla eloquentia tanta eſt minimum quæ gaudiorum quibus illi perfunduntur poſſet explicare. Itaq; Sponſa ſatis feciſſe ſe exiſtimat, quando ea *ſuper vinum*, imò ſuper omnia mundi delecta dulciora eſſe proteſtatur. Quin etiam in hodierno Euang. S. Petrum, poſtquam Diuinæ Maieſtat. gloriam adumbratam conſpexiſſet, omne reliquum vitæ ſuæ tempus in monte exigere, ac omnibus plenè rebus valedicere velle audimus. Vt ergo, & nos in hac mortali vita aliquam ſaltem diuinarum illarum dulcedinum portiunculam delibemus, ante ab omnibus fluxis, & caducis mundi huius bonis animum abſtrahamus: quoad enim anima in hoc reciproco rerum ſtatu ac æſtu verſatur ſuperna pace ac tranquillitate perfectè frui non poteſt. Atque hoc nobis ſedula illa ſponſæ in ſponſo ſuo perquirendo cura præfigurat. Intrauit illa primum in cubile ſuum, nec inuenit. Egreſſa eſt domo, percurrit ciuitatem, vigilias ſciſcitata fuit, ſed fruſtra. Excubias accedit, obuios compellat, quemlibet conſulit, neque tamen quem quærit inuenit. Hæc omnia præclarè ac ſatis ſuperque nobis ſignificant Deum inter creaturas ita teneri inuenirique non poſſe, eo vt gaudeas, fruaris, ac potiaris. Ad eundem planè modum S. Auguſtinus ſub finem ſuarum Confeſſionum fatetur ſe ad inſtar ſponſæ Deum ſuum inter creaturas quæſiuiſſe, nullibi autem inuenire potuiſſe. SEQVITVR autem in Scriptura: *Paululum cum pertranſiſſem inueni quem diligit anima mea.* Id eſt. Poſtquam paululum

à creaturis me abſtraxiſſem, relinquendo eas ſub pedibus ac me mundi huius circum ſonantis pelago eximendo, inueni quem diligit anima mea, & cognoſcens quod non niſi in locis ſecretioribus bona ſua diſtribuat. *Tenui eum, nec dimittam, donec introducam eum in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ.* Quod ſimul ac ſponſa feciſſet, & à populi ſtrepitu ac tumultu in penetrale confugiſſet, ſponſi ſui blanditias experta confeſtim fuit. Vnde capite octauo vbi eadem ferè verba quæ modo adduximus legũtur, ſponſa delitias ſuas recenſet inquiens: *Laua eius ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* Sponſus meus matrem imitatur quæ filiolum ſuum quem tenerrimè diligit, brachijs ſtringit, in gremio deponit, ac mulcet, tum ſi ſomnolentum illum aduertat, eum in lectulo collocat ac legit, deinde verò cubili egreſſa ſeruos, & ancillas monet ne quis ſtrepitu excitato corculum ſuum expergefaciat.

Cant. 8. *Adiuro vos filiæ Hieruſalem ne ſuſcitetis neque euigilare faciatis dilectam donec ipſa velit.* Poteſtne aliquod gaudium, recreatio, ac oblectatio maior iſthac reperiri? Faxit Deus ſimiliter nos in illius brachijs iucundiſſimè indormiamus, & requieſcamus! O cæcos, & inſenſatos filios Adæ ecquando firmiter mundi voluptatibus nuncium remittere conſtituetis, cum Deo deinceps ſuauiſſimè conuerſaturi? quando atricis iſtis quibus omnia plena ſunt vos expedietis? quando ſummum illud bonum cui omnia bona vnita ſunt ſincerè, & ex animo diligetis? Quod ſi vnica ſupernæ beatitudinis gutta diuiti illi epuloni non malè eius efficaciæ videbatur ipſarum vt flammarum infernalium æſtum reſtincturam illam arbitraretur: quomodo nos tantum ac tam excellens bonum adeò, parui faciamus? neque maiore eum contentione ad eius fruitionem aſpiramus? Maneat ergo eum qui ſpiritualibus delicijs frui vult, à mundi ſtrepitu ac tumultu ſe ſecernere, omnibus alijs negotijs ſe abdicare, & quotidie ad aliquod temporis ſpatium in penetrale ſuum cum Deo conuerſaturum ſecedere oportere. Tunc enim Deus ipſi glorioſam ſuam Transfigurationem communicabit, quemadmodum Apoſtolis eum feciſſe legimus, ducendo illos *in monte excelſum ſeorſum.*

Recollectio neceſſaria.

Cap. 9. *Et aſcendit vt oraret.* Hæc tria verba S. Lucas eandem de

Domi-

Dominica Transfiguratione Hiſtoriam deſcribens ponit, etſi à S. Matthæo omiſſa fuerit. Volẽs ergo Chriſtus trãſfigurari, ante orandũ eſſe exiſtimauit, ſciens orationem ad talem effectũ producendum efficaciſſimũ mediũ eſſe. Oratio enim, inquiunt S. Doctores, eſt eleuatio partis ſuperiotioris animæ in Deũ, qua mediante in ſupremã bonitatem transformata eã perfectè diligit, & virtutum, ac perfectionum ſuarũ particeps efficitur. Tũc enim intellectus ex hebeti ſapiẽs, ex ignaro doctus, ex obſcuro clarus, ex obtuſo ſubtilis, & volũtas ex tepida feruida euadit, adeò vt homo alium iam intellectum ac voluntatẽ diuerſam accepiſſe videatur, nõ quaſi eſſentia ac ſubſtantia in illis mutatæ ſint, ſed quia in accidẽtibus commutatio ac transformatio aliqua accidit. Quin non tantum interior ſed exterior etiam homo per Orationem quodammodo transformatur. Obſerua tu mihi aliquem qui ab oratione cui feruenter vacauit reuertitur, mihi crede adeò immutatũ illum inuenies, vt vix ac ne vix quidem agnoſcere eum poſſis. Aduertes enim à capite vſque ad pedes diuinam quandam grauitatem ac compoſitionem, oculos deiectos, brachia cancellata, greſſum maturũ, & aures patulas ac interioris Dei affatibus vacantes ſpectabis. Nec immeritò: Si enim ab homine quopiam Sancto & literato diſcedentes facere non poſſumus (inquit S. Chryſoſtomus) quin Sanctiores, & iuſtiores abeamus: & ſi *qui communicat ſuperbo induet ſuperbiam*, conuerſatione ſimiles ijs nos efficiente quibus cum conſueuimus: Quid mirum eſt ſi homo poſtquam oratione mediante familiariſſimè cum Deo fuerit conuerſatus, totus mutetur ac in alium transformatus videatur? Niſi fortè hominum quam Dei familiaritatem efficatiorem eſſe debere exiſtimatis. Legimus in Exodo Moyſen à colloquio ſuper montem cum Deo inſtituto reuertentem, diuinam quandam in vultu maieſtatem præ ſe tuliſſe. Quæ quidem Moyſis trãſfiguratio in luce & claritate vultus Seruatoris noſtri transformationi non diſſimilis, fuit, prout S. Paulus ad Corinthios obſeruauit dicens: *Non poterant intendere filij Iſrael in faciem Moyſi propter gloriam vultus eius*, adeò vt cum ijs verbis commutaturus faciem velo tegere debuerit, non animaduertente id interea Moyſe: *Et ignorabat Moyſes quod cornuta eſſet facies* ſua ex conſor-

Per orationem ſpiritus trãsfiguratur.

Lib 2. de Orando Deum.

Eccl. 13.

2. Cor.

ſortio Dei, In hoc namque etiam admirabilis diuini numinis prouidentia elucet, quod qui orationi inſiſtunt, immutationes ac transfigurationes illas in ſe non animaduertunt, ne videlicet quodam ſe modo deſſicatos videntes animos ſumant ac extolantur. Hoc autem Deus per humilitatem præſtat quæ virtutum radijs velum prædicit, quo videlicet ſecuriores ſint, dum ne ab eo quidem qui illas poſſident ſentiuntur. Et quamuis tu Chriſtiane minus feliciter in oratione te proficere arbitreris, caue idcircò ab orandi ſtudio deſiſtas: fieri enim poteſt vt transfiguratione in anima tua facta tu nihilominus eam non animaduertas. Inſiſte modo conſtantes orationi ſi ex carnali caſtus, ex debili fortis, ex tepido feruidus, ex iracundo comis, ex inuido beneuolus, & vno vt verbo dicam, ſic ex humano ac terreſtri cœleſtis ac diuinus effici deſideras. *Nos autem omnes*, inquit S. Paulus, *reuelata facie gloriam Domini ſpeculantes, in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem tanquam à Domini ſpiritu*. Super quæ verba S. Anſelmus ait vocem illam *ſpeculantes* hic non à *ſpecula* ſed à *ſpeculo* deriuari oportere, prout ex Græca & Theodoreti ac aliorum Græcorum interpretatione conſtat. Et addit Illuſtriſſimus Cardinalis Caietanus qui vnus omnium optimè verba illa mihi explicuiſſe videtur, vocem *ſpeculantes* non tantum ſignificare velut in ſpeculo contemplari, ſed inſtar ſpeculi etiam lucem in ſe recipere, quod è veſtigio radios ſuos per reflexionem reuerberationemque communicat Ita Theophilactus ſuper hunc locum dicit: *Nos namque ſpeculum ſumus qui claritate accepta ſplendorem à nobis remittimus*. Et confeſtim elegantiſſimam ſimilitudinem in qua expoſitionem ſuam fundauerat apponit dicens. Si ſpeculum radijs Solaribus exponitis, recipit in ſe confeſtim Solis imaginem non aliter quam ſi ipſe Sol illi coniunctus ſit: adeò vt pertinaciùs id intueri volentibus per radiorum reflectionem ac reuerberationem oculi hebetentur. Eodem modo, inquit Apoſtolus, quando nos Dei in nouo teſtamento gloriam contemplamur, lucem hanc non aliter in animas noſtras recipimus quam in pulcherrimum quoddam ſpeculum. Vt ergo ſpeculum Solis lumen in ſe recipiens, quodam modo in illius imaginem transformatum videtur, adeò vt dicere verè poſſis ipſum

Pulchra cō ſolatio & conſideratio.

2. *Cor.* 3.

So-

Solem id eſſe: *Ita nos in eandem gloriam transformamur*, & iã Dij quidam minorum gentium facti eſſe videmur. Hoc enim proprium contemplationis effectum eſt homines transformare ac deificare; non ad inſtar Moyſis qui lumen facie excipiens idem non niſi obnuptus remittebat, ſed ad inſtar Seruatoris noſtri qui in Transfigurationem lucẽ vt acceperat ita quoque refudit & ſpectatoribus communicauit. Hoc erat illud *ſpeculum ſine macula*, quemadmodũ à Scriptura S. appllatur. Et ideo ſicut ſpeculum lucem ſuã ita vt recepit refundit, ita Seruator noſter lucẽ ſuam Diſcipulis cõmunicauit, nos autem ad inſtar ſpeculorum illã per reuerberationem reflexionemq; refundimus. Neq; verò quiſquã mihi hoc exiſtimet transformationẽ illam noſtra nos induſtria poſſe conſequi. Homo enim ſolummodo in præſentia Dei ſe conſtituit, quemadmodũ ſpeculum radijs Solaribus exponitur: expectãs radios lucis ſempiternæ à Deo cũ illi placuerit in ſe conijciendos. Maneat proinde ideò Seruatorem noſtrum ante ſuam Transfigurationem orare voluiſſe, vt nobis conſtet orationem efficaciſſimum medium eſſe animas noſtras transfigurandi.

Et dum oraret, inquit S. Lucas, *facta eſt ſpecies eius vultus altera*. De hac externa Seruatoris noſtri in vultu transfiguratione craſtina die dicturi ſumus: in præſentiarum autem vnicum hoc à vobis contendo, vt ſicut ad Transfigurationem & gloriam Seruatoris noſtri ſpectandum luctam contra inclinationes naturales, mundi ſocietatem, & orationis exercitium requiri audiuiſtis: ita nunc tria hæc ſerio frequentare incipiatis, multam ſalutem mundo dicendo, viriliter contra carnem dimicando, & ad delicias precationum ardenter aſpirando. Horum duo priora ad tertium nos diſponunt, quippe cum abſque recollectione & mortificatione nulla planè oratio rectè inſtitui poſſit: Cogitate ab hoc negotio gloriam ſempiternam pendere, delibate cœleſtes dulcedines, & precandi ſtudium diligenter excolite. Per hoc enim in alium hominem transformabimini, per hoc peccatorum veſtrorum veniam conſequemini, mores veſtri immutabuntur, gratiam vobis conferetur, & regia ad gloriam viam oſtendetur, *quam mihi*, &c.

CON-

CONCIO DVODECIMA PRO DOMINICA SECVNDA QVADRAGESIMAE, QVAE *Reminiſcere dicitur.*

MEminiſtis credo adhuc, Audit. dilectiſſimi, heſterna die de paſſibus illis apud vos verba me feciſſe, quemlibet quos Chriſtianum facere oportet, qui montẽ aſcẽdere, ac illic IESV CHRISTI transfigurati gloriam ſpectare concupiſcit. Nũc autem ſicut promiſimus ſuper ipſa trãsfiguratione aliquid etiam in medium exprom̃edum eſt, quam Seruator noſter mundo innoteſcere manifeſtarique volens tres tantum Apoſtolos ex vniuerſo cœtu aſſumpſit, ac gloriæ ſuæ ſcenam ſpectandi ius illis conceſſit. Quod verò infinita illa bonitas adeò paucos admirandi illius myſterij manifeſtationi ac ſpectaculo adhibuerit, mirandum non eſt, quippe cum heri dixerimus paucis admodum in ſponſi conclaue ingreſſum dari, ac in ſecretiorem habitationi ſuę locum aditum patere. *Trahe me poſt te,* dicebat ſponſa, *curremus in odorem vnguentorum tuorum.* Et confeſtim ſubdit. *Introduxit me Rex in cellaria ſua.* Vbi obſerua ſponſam de comitatu & aſſeclis ſuis verba facientem dicere *Curremus* de conclaui autem & penetrali in, quod ipſa ſolum recepta fuit differentem non niſi ſui meminiſſe, *Introduxit me Rex.* Vnde idem eſt ac ſi dicat. Numerus currentium &, frequentia aſſeclarum vti magna fuit, ita plures ad veſtibulum ac portum Regij palatij peruenerunt; ſola autem ego in ſecretiùs conclaue & penetrale admiſſa fui. Ad eundem planè modum in palatio Salomonis ſexaginta Reginæ, octuaginta concubinæ, ac innumerabiles adoleſcentulæ erant; ſingulæ ſuis muneribus ac officij occupatæ; inter has autem vniuerſas vnica columba electa erat, quę vſque ad ſecretiorem parietem admittebatur, & maceria petræ penetrabat. Similiter ad portam templi Hieroſolymitani,

Cant. 1.

quod

quod quædam ipſius Dei domus ac palatium fuit, cuilibet acceſſus dabatur, plures etiam in ipſam ædem ac Baſilicam ingrediebantur, in Sancta autem Sanctorum non niſi Summo Sacerdoti ac ſemel tantum in anno, prout D. Paulus obſeruauit, aditus permittebatur. Idem hodierna tempeſtate in Regum Palatijs vſu venit: nemo enim ab ingreſſu arcetur multis atria, ac aulæ patent, ad conclauia autem & ſecretiora penetralia in quibus Regia Maieſtas cum intrinſecis tantum ſuis ſe exhilarare conſueuit, ad illa inquam non niſi Principes ac Magnates horis ac temporibus quibus Regiæ Maieſtati placuèrit admittuntur. In ipſis autem priuatorum hominum domibus ac familijs nunquid aliqua etiã iſtiuſmodi differentia reperitur? certè non æqualiter omnes intromittuntur, ſed perſonarum quædam ratio ac diſtinctio habetur: quo fit, vt non perinde hi ac illi omnibus in locis ac temporibus adhibeantur. Legimus Iacobo duodecim legitimos filios fuiſſe, cùm tamen ille nonniſi duos Ioſeph ac Beniamin reliquis tenerius diligebat Ita Deus etſi vniuerſum populum ſuum ex AEgypto educeret, nõ tamen plures quam Moyſen ac Aaronem familiaritate ſua frui & colloquio in monte inſtituto voluit intereſſe. Hinc poſtquã ſpiritus S. multos nos amicos nobis comparare præcepiſſet dicens. *Multi pacifici ſint tibi*, idem poſtea conſilium egregiè limitat, & ex mille vnum eligendum eſſe docet quî cum conſilia capias ac familiarios conuerſere, inquiens. *Sed conſiliarius ſit tibi vnus de mille.* Hæc autem ſi in Regum aulis ac priuatorum etiam hominum familijs obſeruantur, nũquid in domo Domini in vſu futura non ſunt? & quis ab illo petat omnes vt æqualiter tractet, ac ſingulos ad ſecreta & conſilia ſua adhibeat? Certè quæ ſaluti humanæ neceſſaria ſunt, ea promiſcuè omnibus communicari debent: gratiæ autem & ſpiritualia dona non niſi in pauculos conferri, ne ſi illa ſingulis impertirentur, iam non ex gratia ſed iure collata fuiſſe videantur. Quod ſi etiam hoc loco quæras cur Seruator noſter potius S. Petrum, Iacobum & Ioannem glorioſo illi ſpectaculo voluerit intereſſe: Reſpondeo ſingulos Doctores ſingulas propè cauſas ac rationes reddere: mihi autem in hac eligendi ſecernendiq; materia illud tutiſſimũ videtur dicere Deum

Hebr. 9.

Gen. 35. & 42.

Exod. 3. & 19.

Eccle. 6.

hac

Digitized by Google

hac ratione offendere ſe legitimum ac abſolutum bonorum ſuorum Dominum, Oeconomum, ac Diſpenſatorē eſſe, & ſe iuxta ſuum beneplacitum vni aliquid conferre poſſe, altari vt tamen idcircò iniuriam non inferat. *Operatur omnia*, inquit S. Paulus Apoſt. de Dei electione loquens, *ſecundum conſilium voluntatis ſuæ.* Vbi nota Apoſtolum conſilium illud quod in Deo eſt, voluntati eius attribuere, tametſi illud in nobis intellectus quidam actus ſit; quatenus videlicet intelligamus Deum in operibus ſuis exequendis neutquam conſilio indigere, ſola videlicet ipſi voluntate ad id ſufficiente. Vti enim illa eſſentialiter bona eſt, ita omnia quæ vult bona ſunt, imò hoc ipſo bona quia Deus illa vult. Vnde nihil neceſſe eſt curioſius ſcrutari cur Seruator noſter tres illos Apoſtolos ſelegerit, quippe cum ſcientes hanc illius voluntatem fuiſſe, electionem ſimil. non niſi bonam eſſe debuiſſe citra deliberationem inferre valeamus. Verum ad ipſum Myſt. abeamus.

Eph. 1.

Quid ſit Tráſfiguratio.

Transfiguratus eſt ante eos. Trāſfiguratio, ſi nominis ethymon ſeu ethymologiam ſpectes, aliud nihil eſt quam figuræ alicuius in aliam cōmutatio ac quædam veluti Metamorphoſis. Porro ſicut figura accidētalis eſt, ita ipſa etiā transfiguratio in accidentibus tantum, non autem in ſubſtantia etiam accidere poteſt. Atq; hoc D. Hieronymus declarare mihi voluiſſe videtur cum ait: *Transfiguratio ſplendorem addit, faciem non ſubtrahit: non ſubſtantia tollitur, ſed gloria commutatur.* Cum ergo Seruator noſter transfiguraretur, animæ lumen corpori communicatum fuiſſe dicimus. Hoc admirabilis Doctor & profundiſſimus Theologus S. Gregorius Nazianzenus elegantiſſima ſimilitudine petita à Sole nube cooperto declarat: tantò etiam libentiùs eam vſurpans, quantò familiariùs Sacræ ſcripturæ eſſe videt myſterium Incarnationis hac potiſſimum ſimilitudine explicatū ire. Simili ſtylo ac ſenſu Eſaias vſus fuiſſe exiſtimandus eſt cum diceret. *Aſcendet Dominus ſuper nubem leuem.* Quæ verba Procopius & S. Cyrillus de incarnatione intelligunt, in qua Filius Dei carnem induit, non multo à nube omnis peccati ponderis experte diſſimilem, quo videlicet vibrantes clariſſimi Solis ſui radios aliquantulum tēperaret. Ad eundem planè ſenſum Ambroſius Anſbertus viſionem illam Apocalypticam reducit, quando videlicet S. Ioannes ait

Cap. 9.

Ange-

Angelum ſe fortem, de cœlo deſcendentem, ac nube co- opertum vidiſſe. Neq; abſq; cauſa, inquit, Rupertus huma- nitas filij Dei nubi Solem cooperienti aſſimulata fuiſſe exi ſtimanda eſt. Vt enim Sol nube tectus ſubſtantiam ſuam abſcondit, per effecta autem prodit: ita verbum æternum ſub carne quidem noſtra diuinitatem ſuam abſcondebat, eandem autem per effecta manifeſtabat, illuminando qua- qua verſum mundum doctrinæ radijs, & terram ipſam mi- raculis ſuis fœcundando. Hinc S. Auguſt. eandem Metapho ram adhibens, & verbum incarnatum lumen à Sole pro- cedens appellans ait: *Nube tegitur carnis, nō vt obſcuretur Sol, ſed vt temperetur.* Ac ſi dicat: Sol Iuſtitiæ humanitatis no- ſtræ luce ſe operuit, non vt obſcuraretur ſed vt illius clari- tas temperaretur: quod niſi factū fuiſſet, nos eum neutiquā intueri ac aſpicere potuiſſemus. Elegit ergo hunc modum Baruch illam proph. eadimpleturus: *Ecce in terris viſus eſt & cū hominibus conuerſatus eſt.* Vnde S. Greg. Naz. ait: Sicut Sol nube rectus claritatem ſuam quæ operta ac velata tan- tummodo eſt, nō amittit: ita Sol increatus æterni verbi Hu manitatis noſtræ nube ſe veſtiens, nequaquam lucem ſuā, perdidit, ſed repreſſit, tanto vt melius ac commodius nobis illam communicaret. Quo ergo Transfigurationis myſte- rium plenius intelligatis, cogitate Filium Dei ab inſtanti ſuæ Conceptionis naturæ noſtrę vnitum animam diuina ſua luce qua pollebat veſtiuiſſe: remanente nihilominus il la in gloria, claritate, ac cæteris omnibus ſuis qualitatibus. Ex hoc deinde ſequebatur gloriam & claritatem illam per naturalem redundantiam corpori Seruatori noſtri commu nicari debuiſſe: adeò vt ſacroſancta illius humanitas plus gloriæ, quam ferrum ex fornace protractum ignis habue- rit. Quoniam autem pro ſalute noſtra paſſus erat, ideò con- uenire non videbatur, omnis vt illa charitatis abundantia in corpus effunderetur, ne videlicet glorioſum affectum pa ti deinde non poſſet. Quomodo ergo fieri poterat vt anima adeò glorioſa exiſtente, corpus nihilominus quod ab illa informatur mori diſceret ac pateretur: Miraculo opus eſt, inquit Deus, non multum ab illo diſſimili quod aliquando in flumine Iordanis operatus fui. Vt enim populo tranſitus daretur, *ſteterunt aquæ in locum vnum ad inſtar montis intu- meſcentes: quæ autem inferiores erant deſcenderunt vſque quò*

omninò

Lib. 5. c. 10.

Trac. 34 ſuper Io.

Cap. 3.

Ioſue 3. 16.

omnino deficerent. Idem planè in perſona IESV CHRISTI fecit, retinens, in ſuperiore animæ parte aquas gloriæ (ita
Pſal. 35. enim Propheta eas appellat dicens: *Torrente voluptatis potabis eos*) ne videlicet parti inferiori, quæ caro eſt, communicarentur; laborum autem ac ærumnarum aquas inferiores tamdiu per partem inferiorem decurrere permittens, donec à morte exſiccarentur. Hoc autem ideo factum eſt, vt aquis gloriæ hoc modo inhibitis populus Chriſtianus per merita paſſionis Dominicæ in terram promiſsionis introiret. Verùm in Transfiguratione illa Seruator noſter gloriæ ſuæ aquis quas in anima clauſas cõtinebat, ſolo ac vnico voluptatis ſuæ ſigno liberiorem nonnihil curſum indulſit: permittens eas in nubem Humanitatis guttatim deriuari, ſicq; eam cœleſti lumine aliquantulum colluſtrari. Hinc factum fuit quod facies illius ad inſtar Solis corruſcauerit, & veſtimenta eius velut nix albicarint. Per faciem verò in hoc loco corporis faciem intellige, quod circumquaque lumine perfuſum fuit, eodem poſtea in veſtimenta etiam redundante. Vt enim Sol radios ſuos in denſam aliquam nubem effundens totaliter illã colluſtrat ita lux quę ex corpore Seruatoris procedebat in veſtimenta coniecta pulcherrima ac ipſa niue candidiora efficiebat. Et quamuis hæc ad Myſterij hodierni ſubſtantiam intelligendam ſufficere poſſe videantur, nos tamen ijs non cõtenti duo adhuc notatu ac obſeruatu digna vobis ob oculos conſtituemus. Primum eſt quod quamuis plerorumq; & grauiſſimorum Doctorum ſententia ſit claritatẽ illam quæ in corpore Seruatoris noſtri apparuit, non totam ſacroſanctæ ſuæ perſonæ ſubſtantiam penetrauiſſe, ſed tantum in extrema eius ſuperficie promiſcuiſſe: quemadmodum videlicet Sol corpus aliquod exterius tantum luce ſua irradiat atque colluſtrat. Mihi tamen rationi & Sanctorum etiam doctrinæ affinius videtur dicere lumen illud transfigurationis totam Dominicæ Humanitatis ſubſtantiam penetrauiſſe: quemadmodum Solem corpora tranſparentia, vt vitrum cryſtallum aut alabaſtrum radijs ſuis tranſcurrere ac penetrare ſæpè videmus. Lux enim & claritas quæ in Seruatoris noſtri corpore apparebat, non exterius ſed interius & ab anima promanabat; vnde neceſſe erat vt ad ſuperficiem aut partem exteriorem perueniret, totam Dominici

corpo-

corporis ſubſtantiam eam penetrare. Atque huic meæ doctrinæ adſtipulantur grauiſſima quæque Eccleſiæ columina, vt S. Auguſtinus, S. Gregorius Nazianzenus, & S. Ioannes Damaſcenus. Secundum quod à nobis obſeruari volebam eſt (ſicut præclarè & ſubtiliter S. Thomas animaduertit) quod videlicet Seruator noſter ſe transfigurans, non dotem claritatis, ſed claritatem dotis, prout diuinus ille Doctor loquitur, aſſumpſerit; quippè cum gloriæ dotes non aliter quam ipſa gloria cum perpetuitate coniunctæ ſint. Vnde ſequitur claritatem illam quæ in corpore Seruatoris noſtri apparuit, quia non perpetua, ſed certi ac determinati temporis fuit, non dotem claritatis, ſed participationem illius fuiſſe, quæ hac ratione claritas dotis appellatur, cui nequaquam repugnabat Seruatorem noſtrum paſſibilem eſſe. Impaſſibilitas enim dos diuerſa ac differens à claritate eſt, præterquam quod comperimus Seruatorem noſtrum nonnunquam dote alicuius proprietatem vſurpaiſſe, alias interea nihilominus non adhibendo. Fructus autem & vtilitas quam Chriſtiani Auditores ex hac doctrina colligere decerpereque debent, hæc eſt, vt videlicet accuratè conſiderent quantum Seruatori noſtro debeant, qui vt propter nos ſe paſſibilē faceret, Cogitate mihi paulisper quantū Seruatori noſtro diſpliceat videre vos veſtrapte ſocordia ac negligentia gloriam illam perdere. Quæ malum dementia iſta eſt, ò peccator, gloriam quam Filius Dei adeò grandi pretio acquiſiuit, altera etiam vice amittere non dubitare. Fuit nimirum illa ſemel temporaliter in Humanitate ſua perdita: & vis adhuc eandem in corpore ac anima tua in ſempiternum interire? Seruator noſter ex ore ſuo bolum extraxit, tibi vt eum porrigeret: & quomodo tu adeo parui illum facis, nihil vt dubites cum vno voluptatis momento illum permutare? Si ferculum delicatum ac exquiſitum in menſa tibi appoſitum amico tuo honoris cauſa tranſmitteres, ille autem acceptum canibus indignabundus obijceret, nunquid ira excandeſceres, & inſigni te iniuria affectum fuiſſe arbitrareris? Cogita proinde & tu vtrum non bono iure Filius Dei indignari tibi poſſit, adèò quod parui gloriam ſuam facias, qua illemet tui cauſa ſe priuare non dubitauit, vt te illius participem efficeret. Cogita inquam quid peccati deſignes, & de cætero

3. part. q. 35. art. 2

maiori in pretio quod modo contemnis habere memento.

Et transfiguratus eſt. Transfigurationem Filij Dei totius Sacroſanctæ Trinitatis opus fuiſſe vel ex eo liquet, quia cum ſit ex illorum effectorum numero quæ Theologi *ad extra* appellant, actio per quam productum fuit, neceſſario toti SS Trinitati communis eſſe debuit, quemadmodum etiam principium ex quo illa procedebat, communis ipſi fuit. Quamuis ergo Euangeliſta hanc veritatem ſequendo dicere potuerit in verbo actiuo Seruatorem ſe noſtrum transfigurauiſſe, maluit tamen Spiritu S. calamum illius regente vocem paſſiuam vſurpare ac dicere, *transfiguratus eſt*, vt enim transfiguratio opus gloria ac honore plenum erat; ita etiam neceſſarium fuit demonſtrari Seruatorem noſtrum plus in eos pertuliſſe quam egiſſe; quatenus videlicet Chriſtiani hinc diſcerent cum quæſtio de honore incidiſſet, eum qui illum recipit, non agere ac procurare multo autem minus illum vſurpare, ſed potius pati debere, ad inſtar alicuius cui crux imponitur: ſub qua propediem paſſurus eſt. Hanc autem Doctrinam ex Epiſtola D. Pauli ad Hebræos eruimus, vti Apoſtolus de ratione quam Deus in Paſtore Eccleſiæ ſuæ eligendo obſeruat loquens ait: *Nec quiſquam ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur à Deo tanquam Aaron.* Quod idem eſt ac ſi dicat: Nemo ſibi honorem vendicet, nam in iſtiuſmodi materijs is qui honorandus eſt, non agere debet ſed pati, *ſed qui vocatur à Deo tanquam Aaron.* Ille qui à Deo vocatus eſt, honorem admittere poteſt, *& habere ſe paſſiuè*, quemadmodũ Doctores noſtri loquuntur. Adeo vt Apoſtolus in materia aut quæſtione honoris verba actiua penitus audiri vſurparique non velit. In cuius etiam rei confirmationem confeſtim ipſiuſmet Seruatoris noſtri exemplum adducit inquiens: *Sic Chriſtus nõ ſemetipſum clarificauit, vt pontifex fieret, ſed qui locutus eſt ad eum filius meus es tu?* Non clarificauit ſe inquit ipſemet, vt
Ioã. 17. Pontifex fieret ſed ſemel tantum cum neceſſarium ad noſtram ſalutem eſſet, humiliter id à Patre ſuo poſtulauit dicens: *Clarifica me Pater apud temetipſum.* Eſto ſi tibi placet, pater mi, eſto inquam author clarificationis meæ, vt homines videant, quod non ego ſim qui me clarificem, inuolando manibus meis in honorem; ſed quod illud à te proueniat,

niat, quod tu huius operis author ſis, & quod ego tuæ tantummodo voluntati cupiam morigerari. Ecce quam verè Sanctus Paulus dixerit non CHRISTVM ſemet clarificauiſſe. Vbi nota cum Sancto Thoma quod Apoſtolus non dicat Seruatorem noſtrum honorem Pontificatus prenſauiſſe, ſed nequaquam ſe clarificauiſſe, ne fortaſſis illo afficeretur. Ea enim nonnullorum hominum aſtutia ac ambitio eſt, vt quamuis honoribus apertè non inſidientur, & dignitates non coemant, vnicum tamen hoc agunt vt heroica facinora præſtantes in oculos hominum incurrant, ſicque ab ijs penes quos dignitatum conferendarum ius eſt, velut inuiti ad eas accerſeantur. Atque hic ſæpenumerò Deus Creator metit quod non ſeminauit, dum videlicet ambitione illos eleemoſynarios ac deuotos efficiente, interim pauperum alimenta ab ijs accipit, & bonum exempli vulgo proponit. Quotquot autem hoc artificio honores quos fugere videntur conſectantur, hi tanto ſuperbiores ſunt, quanto ſecretioribus cuniculis dignitatibus inſidiantur, ac humiliores vulgo haberi contendunt. Vtuntur nãque illi non aliter virtute quam piſcator fera. Vt enim is tamdiu manibus illam tenet, quorum piſcatio durat, & cum in aris aliquam partem piſcando peruagatus fuerit, eandem in angulum conijcit: ita poſtquam illi qui ſeipſos clarificant id quod perſequebantur indepti fuerint, virtutem pedibus proculcant, eleemoſynas intermittunt, ac omnem deuolutionem ſeponunt: quia videlicet id conſecuti iam ſunt, quod illa mediante piſcari deſiderant. Ait ergo Apoſtolus Seruatorem noſtrum non modo honores non appetiuiſſe, ſed ne illos forſitan adipiſceretur clarificare ſe nũquam voluiſſe. Quod quam veritati conſentaneum ſit, ex eo ſatis ſuperque liquet quod oblatos ſibi etiam curribus quod aiũt & quadrigis ſemper fugit. Hinc cum iam Cruci affixus amplius fugere non poſſet, prout quidem tunc fecerat quando populus Regem illũ ſalutare volebat, capite à titulo regio in ſummitate Crucis poſito auerſo, demonſtrauit vſque ad extremum vitæ ſpiritum honores ſe aſpernatum fuiſſe. Verùm non tantum Apoſtolus diſcurrendi ac philoſophãdi illum modum calluit, ſed ipſe etiã Seruator noſter ſtylo illo ac phraſi delectatus fuit, cum diceret: *Qui ſe humiliat exaltabitur.* Vbi de humilitate loquens verbo actiuo vtitur,

Aſtuta ambitio.

Mat. 23.

oſtendens hoc modo actionem optimè inſtitutam eſſe; verum poſtea de exultatione ac recompenſatione mentionem iniĳciens paſſiuam vocem adhibet, quia nimirum nemo vel mediocriter Dei ſpiritu afflatus eſt qui nô magnoperè doleat ad aliquem ſi honoris gradum ſe euehi conſpicit. Hinc S. Iob Reges ac Principes in dorſis ſuis
Cap. 9. mundum portare dicit, cuius grauitate ac mole depreſſi penitus curui ac parui efficiuntur: aliàs eoſdem *gigantes* vocans qui *ſub aquis gemunt*, vbi per aquas populos intelligo, quemadmodum ex Apocalyptico illo liquet: *Aquæ*
Cap. 17. *quas vidiſti populi ſunt.* Quod ſi honores tot ac tantas paſſiones & moleſtias generãt, quis miretur ſi illi qui eos accipiunt, multa pati ac ſufferre coguntur, immo ſi ipſi honorum actus nonniſi paſſiuè efferuntur? Non dicamus ergo Chriſtum ſe transfiguraſſe, ſed potius transfiguratum fuiſſe, vt videlicet conſtet honores illum grauauiſſe, & vt quilibet diſcat eos pro tormentis habere, ſi quando ſibi aliunde fuerint oblati. Intellexit hoc probè ille, & reapſe pro tormentis honores habuit qui coronam imperialem
Couarru uias in Emblemat. ſuper fimeto pinxit cum his verbis. *Tollat te, qui te non nouit.* Ego qui te cognoſco nec tangere te dignabor. Eiuſdem etiam opinionis Rex ille erat qui Regna & Imperia nil niſi auream ſeruitutem eſſe profitebatur.

Et ecce apparuerunt Moyſes & Elias. Vix Seruator noſter IESVS CHRISTVS transfiguratus fuerat cum ecce tibi Moyſes & Elias ab vtraque parte eum circumſiſtunt, ac cum illo loquuntur. Hæc autem viſio non ficta aut imaginaria, ſed vera & realis fuit. Et Moyſes quidem realiter ex ſinu Abrahæ aduenit, Elias autem ex eo loco in quem DEVS illum amandarat: Porrò cur Seruator noſter potius hos duos Prophetas quam alios ſibi aſſiſtere voluerit, hæc cauſa eſt, prout S Efrem animaduertit, quia videlicet verum DEVM ſe eſſe probaturus erat; cui ſoli conſtabat vbi nam locorum duo illi
Deut. 34 verſ. 6. Prophetæ commorarẽtur. Ad Moyſem quod eum .n. quod attinet clarum ac manifeſtũ eſt, legislator fuiſſet ad transfigurationem conuenienter acceſſit. Ad Eliam autẽ quod attinet luce meridiana clarius ſoli DEO de illius manſione cõſtitiſſe. Ait namque Scriptura eum curru igneo aue-
4. Reg. 2. ctum fuiſſe, & quinquaginta robuſtis hominibus triduo

quæ-

quæſitum inueniri non potuiſſe. Vnde cum nemini mortalium de eo quicquam conſtaret, ideò non ab eo alio quam à ſolo Deo in montem abduci potuit pręſentia ſua Seruatoris noſtri transfigurationem confirmaturus. Aſſiſtentibus autem duobus illis Prophetis IESV CHRISTO coram Diſcipulis trãsfigurato, eius diuinitas ſicut S. Efrẽ docet, ſatis & ſufficienter fuit comprobata. Cæterum vt etiam gloriæ aliquid Dominicæ transfigurationi accreſceret, conueniens erat hos duos potiſſimum Prophetas apparere, de quibus ſolis legimus quod in vetere lege ac Inſtrumento fuerint transfigurati.

Cum enim Elias igneo curru per aëra abriperetur, abeſſe non potuit quin fulgurantes equi ac quadriga nouã in illius facie lucem claritatemque cauſauerint. Moyſes autem poſtquam familiariſſimè cum Deo conuerſatus de monte deſcendiſſet, faciem ad iſtar Solis, prout heri dicebamus, coruſcantem rutilantemque reportauit. Conueniebat adhæc etiam potiùs his duos quam alios Prophetas apparere, vt videlicet conſtaret Seruatoris noſtri transfigurationem cum illorum comparatam multis paraſanguis excellentiorem eſſe. Et quoniam Elias propriè transfiguratus non fuit, ideo de eo dicere ſuper ſedebimus: Moyſis autem Iſraelitici legislatoris transfigurationem idcircò adducemus, vt omnes perſpicuè intelligant, quantum Seruator noſter gratię legislator illum præcellat, non modo quantum ad perſonam ipſam, quod euidentiſſimum eſt, ſed etiam quoad transfigurandi modum ac rationem. *Elias & Moyſes transfigurati.*

Fuit ergo Moyſes exterius tantum transfiguratus, ita vt faciei illa claritas quam *ex conſortio ſermonis Domini* referabat, aſperſam quodam modo illi fuerit & ſuperinducta. Claritas autem Seruatoris non inducta, ſed propria ac naturalis erat, quia videlicet ab ipſa anima oriebatur, & totũ corpus diuinitatis ſuæ virtute penetrabat ad ſignificandum nimirum illud quod Ioannis primo legitur: *Lex per Moyſen data eſt, gratia & veritas per Ieſum Chriſtum.* Moyſes legem à Deo acceptam dare ac perferre poterat, gratiam nõ poterat, quia à ſeipſo illam non habebat. Non poterat ille lucem alijs ad veritatis cognitionem communicare, nam ipſemet mutatus illam erat. Noſter autẽ Ser- *Differẽtia trãsfigurationis. Moſaicæ, & Dominicæ.*

uator vtrumque dare & conferre poterat, quia ſuapte natura gratię claritatē habebat, & lumen veritatis illis communicare poterat, quibus legem imponebat. Fuit deinde Moſayca transfiguratio in facie tantum, non autem etiam in veſtibus; cum à contra Seruatoris noſtri corpore non cōtenta ad ipſa etiam veſtiméta transfuſa fuerit. Atq; hoc docemus Moyſen ſolius legis cognitionē habuiſſe, ſigni-
Hom. 3. super Ezec. ficatam videlicet, per faciem teſte D. Gregorio, & aliud populo cōmunicare nō potuiſſe, quā diuinæ voluntatis in lege contētæ declarationem: non valendo interim gratiam eidem conferre aut vires ac robur addere, qui videlicet id quod præcipiebatur adimplerent. Transfiguratio autē Seruatoris noſtri toto corpori cōmunicata fuit, ac ipſamet etiā veſtiméta, penetrauit, vt videlicet intelligeremus, cū omnibus ſuis mébris ac veſtimétis (qui fideles, ſūt iuxta Scripturæ illud, *his omnibus tanquam ornamentō veſtieris*) non ſolum
Iſa. 49. legis, quam ferebat cognitionem, ſed inſuper illud quod iniungebat implendi gratiā ac vires poſſe conferre. Vnde inteligimus quantum lex noſtra veteris teſtaméti gloriam ſit; veterem antecellat, & quantò maior noui quantum
2. Cor. 3. que reuera ipſa illa cōcluſio eſt quā Sāctus Paulus ad Corinthios probare aſtruereq; conatur. *Si miniſtratio mortis*, inquit, *litteris deformata in lapidibus fuit in gloria? &c. Quomodo non magis miniſtratatio ſpiritus erit in gloria?* Vbi veterem legem mortis miniſtrationem appellat, quia malum prohibendo per priuationem appetitum excitabat, & ad illam ſuperandum vires nō ſufficiendo occaſio mortis ſpiritualis omnibus ijs erat illam qui non obſeruauiſſent. Ait ergo S. Paulus. Si vetus lex quæ gratiam non conferebat, tanto in honore fuit, quanto iuſtius eſt noſtram honorari quem viris ſufficit obſeruare illam cupientibus? Hoc ego in loco quemlibet Chriſtianū negligentiam ſuam agnoſcere velim, & ad interrogatum quod inſtituā breuiter reſpōdere. Si Seruator noſter corporis ſui lucem quantum quidem in ſe eſt, veſtimentis ſe ſuis communicat, quid amabò cauſæ eſt quod inter Chriſtianos adeò craſſæ errorum tenebræ reperiuntur? quomodo tanta earum rerum ignorantia inuenitur quas ſcire te anti refert? Et ſi IESVS CHRISTVS Dux noſter gratiam ac vires legem ſuam obſeruandi largiatur, quomodo adeò deſides & ignaui in illius

illius obſeruatione ſumus? Cur adeò ſegniter quod iubemur exequimur? cur adeò licenter diuina præcepta præuaricamur? Conſiderent mihi potius illi qui adeò petulãter leges Dei tranſgrediuntur, Seruatorem noſtrum inter Eliam ac Moyſen apparuiſſe: quorum hic legem populo publicauit, ille admirabili zelo eam ſemper propugnauit. CHRISTVS ergo Seruator noſter medius inter illos eſt, ab vna parte legem fidelibus ſuis donans, ab altera autem accuratã illius obſeruationem exigens ac repoſcens. Tunc enim mortua reuera lex eſt, quando qui eius trangreſſores puniat zelator non reperitur. Cum Deus legem ſuã Moyſi ad populum perferendam daret, totus mons igne coruſcabat, ab hac parte tonabat, ab illa vero fulgurabat, vt qui eã recipiebant intelligerent eadem ratione obſeruandam illam eſſe, qua in monte rogata, & perlata fuerat: & vt cõſtaret, ſicut diuinæ miſericordiæ erat populo legem cõſcribere, ita trangreſſores ſeueriſſimè à Iuſtitia diuina puniendos eſſe. Hinc Propheta Abacuc in Cantico ſuo Deum ad populum legem perferentem nobis repræſentas ait, cornua illum in manibus habuiſſe (*cornua in manibus eius*) & fortitudinem ſuam in illis latuiſſe (*ibi abſcondita eſt fortitudo eius*) ac inſuper Diabolum & mortem ante ſe habuiſſe (*Ante faciẽ eius ibit mors, ſtetit diabolus ante pedes eius*) Quę omnia non reuera alio fine dicuntur, quã vt intelligamus eum ferro contra legis ſuæ tranſgreſſores armatos eſſe, ac iuſtitiæ ſuæ executores ad tales puniendum ſecum ducere: Mortem quidem vt vitam illis auferat, Diabolum autem vt eos in Infernum præcipitet. Vnde cum veriſſimum ſit legem Dei ſuauem eſſe, dicente S. Paulo: *Non accepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterum in timore, ſed ſpiritũ filiorum Dei*; ideoq; Moyſes cum CHRISTO appareat, vult tamen etiam Eliam non abeſſe, vt nimirũ conſtet Eliæ ſe zelo contra illos ferri mandata qui ſua præuaricari non verentur, Filij enim degeneres & pietatis ac obedientiæ quam parentibus debent immemores, vt ſerui & mancipia debent caſtigari. Rom 8.

Domine bonum eſt nos hic eſſe. Hæc verba D. Petri ſũt, qui cum ob admirabile illud tráſfigurationis myſterium attonitus eſſet, omnium quæ in mũdo deſiderari poſſent, complementum id eſſe arbitrabatur. Et ſiquidem vnicus & nõ omninò magnus diuinitatis radius adeò S. Petri cor ac

mentem admiratione percellere potuit, hac nos occaſione ad diuinæ gloriæ abyſſum conſiderandam merito inuitari debemus, propter quam videlicet creati omnes ſumus. Quidquid videri, quidquid audiri, quidquid ab ingenio humano concipi poteſt, id reſpectu eorum quæ Deus amicis ſuis præparauit, iuxta Sanctum Paulum, nihil eſt. Et quoniam idem Apoſtolus ait non modo animas noſtras ſed corpora etiam Chriſto Ieſu configurata iri: hæc vnica recompenſatio carnem noſtram animare debet, ſi quando deficit atque contrahitur. Bono animo eſto Frater Aſine, dicebat S. Franciſcus, corpus ſuum alloquens. Erit enim quando mihi gratias pro aſpera illa tractatione ages: hoc autem fiet, quum corpori Seruatoris noſtri configurabe-

1. Co. 2.

Phil. 3. ris. Quem verò hæc ſpes non excitet: *Noſtra conuerſatio in cœlis eſt*, inquit Apoſtolus, *vnde, & Saluatorem expectamus Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui reformabit corpus humilitatis noſtræ, conformatum corpori claritatis ſuæ*. Quibus verbis tria obſeruat, quæ nobis neceſſaria ſunt vt corpora noſtra Seruatori ſuo configurentur, ac eaſdem quibus illud iam in cœlo pollet, qualitates accipiant. Primum eſt vt conuerſatio noſtra in cælis ſit, vt ſępè de fortunata illa patria tractemus, &c bonorum illorum supernorum propter quæ creati ſumus nunquam non recordemur, vt corda noſtra non ita mundi negotijs ceu trabali aliquo clauo affigamus, interea vt portus ac centrum noſtrum, quòd Deus eſt ſe ponatur, ac denique vt ita corpori neceſſaria ſua ſuppeditemus aliquando, vt etiam ſpiritus libertati vacare poſſimus. Prima ergo conditio quam Apoſtolus requirit vt Chriſto Ieſu configuremur, his verbis continetur: *Noſtra conuerſatio in cœlis eſt*. Secundam hæc conſtituunt: *Vnde & Saluatorem expectamus Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.* Quod ſi ſcire deſideras qui non continuò aduentum Seruatoris noſtri præſtolantes ad illum ſe diſponant, dico eos eſſe qui frequenter Filij Dei in fine mundi iudicaturi aduentum conſiderant, & quod *horrendum eſt incidere in manus Dei*: procurantes ita viuere ac ſi quotidie eſſent morituri, cum præſertim ne vnico quidem momento ſecuri ſint. Tertia conditio eſt, vt corpus noſtrum humile ſit ac in omni humilitate exerceatur, quippè cum Apoſtolus dicat Chriſtum non niſi humilia cor-

pora

pora reformaturum. *Qui reformabit corpus humilitatis noſtræ*, adeò vt illi qui corpora ſua ieiunijs mortificationibus, ac pœnitentijs iam deformant, ad hanc diuinam configurationem aptiſſimi planè ſint. Ex quibus conditionibus ab Apoſtolo requiſitis, illud etiam liquet eos qui non niſi fortunas conquirunt, palatia extruunt, aurum, & argentum accumulant, honoribus inſidiantur, voluptatibus indulgent, & velut æternum terram inhabitaturi viuunt, cum Seruatore noſtro non configuratos iri, quippè cum prima conditione deſtituantur quæ in cœlo conuerſationem noſtram eſſe oportere docet. Qui deinde mortis penitus obliuiſcuntur, qui iudicia Dei nunquam ruminant, ab hac etiam configuratione excludentur, quia ſecundam conditionem quæ monent aduentum Domini operiri nō habent. Quos adhæc corporis pulchritudo, quos nobilitas, quos pretioſæ veſtes, & peregrini habitus inflant, ad configurationem illam non admittentur, quia diuerſam à tertia conditione viuendi ſectam profitentur. Conuerſemur ergo in cœlo, Chriſtiani hoc aſſiduè cogitemus: aduentus Dominici non obliuiſcamur, mortem expendamus, corpora noſtra humiliemus: ſi enim nos hoc pacto hic Chriſti vitæ configurari nitimur, poſtea etiam eiuſdem gloriæ configuratos nos iri certo ſciamus.

CON-

CONCIO DECIMATERTIA.
PRO FERIA SECVNDA POST DOMINICAM Reminiſcere.

Ego vado & quæretis me, & in peccato veſtro moriemini. Ioan. 8.

INTER omnes omninò punitiones, ac vindictas, quibus omnipotens Dei manus & diuinæ iuſtitiæ rigor animam aliquam propter peccata ſua caſtigare poteſt (tametſi illius potentia infinita, & brachij ſui fortitudo incomprehenſibilis ſit) nulla æquè magna, ac metuenda eſt, quam cum animam iſtiuſmodi totaliter deſerit, ac derelinquit Huius doctrinæ veritas ratione Philoſophica manifeſta euadit, nam ſecundum communem omnium philoſophantium opinionem, priuationes tanto magis, aut minus pernicioſæ ſunt quanto bonum illud quo res priuatur minus aut magis excellens vulgò exiſtimatur. Ita maius malum interpretamur cæcum quam ſurdum eſſe: quia nimirum, viſus quem cæcitas tollit, quam auditus ſenſus nobilior ac magis vniuerſalis eſt. Ita mortem omnium malorum maximum, & ſicut Ariſtoteles loquitur terribilium terribiliſſimum exiſtimamus, qui maximi boni quod vita eſt priuationem importat. Vnde præclarè conſequitur Deum qui ſummum noſtrum bonum eſt animas noſtras deſerentem ac præſentia ſua priuantem, omnium malorum maximum nobis creare atque inferre. Cum diuina Maie-
Exo.33. ſtas Moyſi ſe manifeſtare vellet, ait: *Ego tibi oſtendam omne bonum;* quia videlicet me manifeſtando omnium bonorum quæ paſſim in creaturas diſperſa ſunt cumulum & aceruum videbis: & quia viuam ſcaturiginem ex qua nũquam inſiſtente curſu omnes creaturarum perfectiones pro-

promanant: & denique quia infinitum aliorum bonorum numerum quæ ijs communicari non poſſunt, quia videlicet illorum non capaces ſunt, videbis. Quoniam ergo Auditores Deus tale bonum eſt in quo omnia bonorum genera contineantur, dubitandum non eſt quin ſi eo anima priuetur, omnibus pariter bonis ſpolietur, ac malo omniũ malorũ maximo plectatur: Atque ex hoc loco facilè etiam intelligere vobis licet, cur peccatum in ſcriptura nihil, & peccator annihilatus appelletur. *Ego ad nihilum redactus ſum & neſciui*, inquit Propheta Dauid. Id eſt: Peccando annihilatus fui, neque tamen damnum quod incurri animaduerti. Porrò huius locutionis modus à Philoſ. petitus mihi eſſe videtur qui aiunt: *Ens & bonum conuertuntur* Id eſt. Omne quod habet eſſe eſt bonum, & omne quòd bonum eſt habet eſſe: adeò vt neque eſſe ſine bonitate, neque bonitas ſine eſſe ſit. Vnde conſequitur Deum qui omne bonum eſt, omne eſſe etiam eſſe oportere: & qui Deum perdit, eſſe quòd habebat amittere, quo ſublato annihilationem cauſari nemo eſt qui neget. Vnde peccator aliquis quantum ad gratiæ ſtatum quo excidit attinet, minus eſt quam ſi nihil eſſet. Melius enim illi foret nihil quam peccatorem eſſe. Atque hoc mihi Seruator noſter indicare voluiſſe videtur, quando de Iuda ait: *Melius ei eſſet, ſi non fuiſſet natus homo ille.* O infelicem igitur animam illam quæ Deum ſuum perdidit: quid illi obſecro gaudio ac delectationi eſſe poteſt? Adeſto Propheta, inquit Deus ad Ieremiam, *vade & poſſit tibi lumbare, & pone illud ſuper lumbos ſuos*. Huic præcepto cum Propheta paruiſſet, & lumbari empto aliquod poſt diebus à Deo rurſum vocatus eſſet, audiuit. *Tolle lumbare quod poſſediſti, & ſurgens vade ad Euphratem, & abſconde illud in foramine petræ.* Itaque cũ hoc Propheta feciſſet, diu poſt rurſum aduocato Deus dixit: *Vade ad Euphratem, & tolle inde lumbare quod præcepi tibi vt abſconderes.* Audit Ieremias, petram accedit, & videt quod *computruerat lumbare, ita vt nulli vſui eſſet*. Tum verò Deus myſterium Prophetæ explicauit dicens: *Sic computreſcere faciam ſuperbiam Hieruſalem multam, populum iſtum peſſimum, quia nolunt audire verba mea, & ambulant in prauitate cordis ſui*. Ac ſi dicam. Populus iſte non aliter mecum vnitus erat, quam cingulum cum renibus ac lumbis,

Curpeccatum nihil dicitur.

Pſ. 72. 22.

Mat. 26

Cap. 13. & 1.

bis, communicando illi calorem meum, & circum ligando illud cordi meo. Verum quia voluntati meæ parere non voluit, & peccati ſemitam ambulauit, abijciam illum a me, ſicut tu cingulum tuum abijciebas, cui autem ita à me auulſum vſui eſſe poterit? quid faciet abſq; Deo ſuo? quid faciet? cui proderit? Non plus quam cingulum putrefactum. Hoc tibi modo, ô Chriſtiane homo, Deus oſtendere voluit cui vſui peccator aliquis eſſet. Et declarauit adhuc melius iſtud eo in diſcurſu quem cum Propheta Ezechiele inſtituit, dicens: *Fili hominis, quid fiet de ligno vitis ex omnibus lignis nemorum quæ ſunt inter ligna ſyluarum?* Vbi ſimilitudinem palmitis vite ſuo ſeparato vſurpat: qui loquendi modus Scripturæ familiaris eſt, in qua fideles palmites appellantur, quod videlicet in gratia conſtituti vitis ſuæ quæ Deus eſt influentijs ac benigno ſucco ſuſtententur. Conſtat ergo palmitem folijs præſertim bellè onuſtum, & vuis ornatum ſi viti adhæreat, vtiliſſimum ac iucundiſſimum viſu iuxta eſſe: ſi autem à vite ſua putetur, cui inſeruiet, inquit Deus ad Ezechielem? Alia.n. ligna etſi à trunco ſuo amputentur, vſum tamen aliquem inter homines habent: ita vt his conclauia veſtiantur, his portæ extruantur, iſta feneſtris, hæc ſcamno aut menſæ inſeruiant. Palmes aũt à vite ſua reſectus ac amputatus, cui vſui eſſe poteſt? *Nũquid tolletur de ea lignum vt fiat opus, aut fabricabitur de ea paxillus vt dependeat ex ea quodcunq; vas?* Nunquid pedi pro ſcamno inſeruiet? inſeruiet ſane, at cui ego inſidere nolim. Nunquid paxillo accommodari non poteſt? Nequaquam, quippè cum lentus nimis ſit, & ne leuiſſimũ quidem pondus valeat ſuſtinere. At quid de illo fiet? *Ecce igni datus eſt in eſcam*, inquit Spiritus S. in eodem loco. Quod poſtea S. Auguſt. prolixius ac pluribus aliquanto verbis explicauit dicens: *Vnum de duobus palmiti congruit, aut ignis aut vitis. Si in vite non eſt, in igne erit. Vt ergo in igne non ſit, in vite ſit.* Hæc exaggeratio maior adhuc eſt quam illa de linteo putrefacto. Etſi enim linteum putridum ſit, attamen ſi in rite in molino ſuo ſubigatur ac præparetur, charta ex ea fit, in qua res maximi ponderis ac momenti deſcribuntur. Et ad eũdem planè modum Deus cum populo ſuo feciſſe videtur, quem toties ac tandiu cecidit, & flagellauit, donec ex eo velut ex putrido panno puriſſi-

Eze. 16.

Tract. 81. in Ioan.

puriſſimorum Partheniorum viſcerum chartam effecit, in qua poſtea verbum æternum ita deſcripſit ab vniuerſo vt mundo commodè legi poſſit. Vides ergo quemadmodum lintei etiam putrefacti vſus adhuc aliquis ſit, palmites autem à vite ſua auulſi ac ſeparati nulli alij rei quam igni excitando inſeruiunt. Cogitate ergo Chriſtiani quomodo Deus ſe vitem, vos autem palmites ſæpenumerò appellarit: vnde etiam cauete ne vos à vite veſtra ſeparantes ab illa viciſſim derelinquamini: quod ſi fiat iam nulli alteri rei quam igni æterno inſeruietis. Hic.n omnium illarum animarum finis eſt quæ ſe à Deo ſuo ſeparare non dubitauerunt. Atque hoc ipſum Seruator noſter hodierna die in præſenti Euangelio minatur cum ait: *Egò vado.* Ego pro vobis paſſurus à vobis diſcedo, ac propter duritiam, & obſtinationem veſtram meritò vos derelinquo. Et poſtquam ego mortuus fuero, quæretis me non quidem in mea perſona, ſed in diſcipulis meis, vt videlicet per tormenta ac ſupplicia vitam illis auferendo meam memoriam penitus extirpetis. Vos autem propter extremam veſtram obſtinationem *in peccato veſtro moriemini.* Hoc enim ratio dictat, & Prouerbium poſtulat quod ait. *Qualis vita, talis mors.* Miraculi namque inſtar fortet eum bene mori male qui vixit. Sumamus ergo exemplum ab alijs dilicti in Chriſto Ieſu, in re præſertim adeò graui ac ponderoſa; non ſimus adeò faciles in animarum noſtrarum perniciem, ſed quibus modis poſſumus eas in tuto ac vado collocemus. An dubitatis adhuc vtrum id illæ mereantur? Nunquid ambigitis vtrum veſtra eas ſaluari interſit? An ergo quam bona veſtra, quam opes, quam facultates minoris illas facitis? In cenſu exigendo, in fœnore recipiendo, in re familiari augenda tot ſubtilitates, & argutias indies excogitatis, animam autem veſtram adeò parui facitis, & adeò temerè periculo exponere non dubitatis? Quid vos animat, quis vobis ſpondet tempeſtiuam adhuc in hora mortis pœnitentiam vos eſſe facturos? Nunquid quando, & quotieſcunque vobis libuerit vos conuertere poteritis? An ergo cum ſingulis diebus diuinam Maieſtatem offenditis, eam obligari putatis, vt cum opus erit vobis ſuccurrat? Mihi credite, Chriſtiani, ſi malè vixeritis *in peccato veſtro moriemini.* Iuſtiſſima vobis ti- *Pſal. 70*

moris

moris cauſa eſt ne in peccatis moriamini. *Noluit peccator conuerti cum potuit*, inquit, S. Aug. *& ideò propter malum nolle perdidit bonum poſſe*. *Pro hac* (conuerſione) inquit Propheta Dauid, *orat ad te omnis Sanctus in tempore opportuno: veruntamen in diluuio aquarum multarum ad eum non approximabunt*. Ac ſi dicat. Non quodlibet tempus pœnitentiæ idoneum eſt, non qualibet hora Miſericordiæ forum patet, nec ſemper cum libet venia impetrari poteſt. Vera.n. & infallibilis illa Spiritus S. regula eſt: *Omnia tempus habent*. Alias vanum Eſaiæ illud eſſet: *Quærite Dominum dum*
Eccl. 3. *inueniri poteſt inuocate eum dum prope eſt*. Quod ſi ſingulis diebus ac etiam momentis inueniri poteſt, quomodo eum quærere iubemur dum inueniri adhuc poteſt? Et ſi nun-
Cap. 55. quam non audientiam nobis præſtat, cur Propheta eum inuocare iubet dum propè eſt? Quoniam ergo Propheticum illud monitum vanum eſſe non poteſt, reuera relinquitur tempus aliquod eſſe quo inueniri, & aliud quo non reperiri poteſt. Sunt ſanè oportunitates ac commoditates nonnullę eum inuocandi, & veniam poſtulandi, quæ non quolibet momento nec ſingulis horis nobis ſe offerunt. Hæc autem temporum, & opportunitatum diuerſitas non à Deo eſt, qui nunquam non inueniri poteſt, iuxta Dauidicum illud: *Prope eſt Dominus omnibus inuo-*
Pſ. 144. *cantibus eum in veritate*. Tota autem difficulas à nobis eſt, qui non quolibet tempore ad eum in veritate inuocandum, & ex ſincero animo eum quærendum ſumus diſpoſiti. Qui autem illum quærit quando amplius fugere non poteſt, qui veniam rogat quando à neceſſitate premitur, hic vtique timere poteſt ne non in veritate eum quærat, & non bono ex corde eum imploret: non .n. amore, ſed metu, non voluntate, ſed neceſſitate impellente ad preces conuertitur. Ita ſecundum quorumdam opinionem, Iudæi in ciuitate Hieroſolymitana ab hoſtibus obſeſſi Dominum noſtrum quærebant: quem quia miracula multa aliquando patrauiſſe recordabantur, idcircò eundem in viuis adhuc eſſe optabant, aliquo vt miraculo ab hoſtium poteſtate liberarentur. Verum hoc non erat Dominum noſtrum ſed ſeipſum quærere, ſiquidem eum quærebant non amore illius adacti, ſed neceſſitate, & vitæ amittundæ timore impulſi. Eadem ratione impius Rex Antioch. graui mor-

ui morbo oppreſſum ſe videns ad Deum confugit: verum *Rogabat ſcelestus Dominum, à quo non erat miſericordiam conſequuturus*; inuocabat enim illum non ex bono animo & vero, idcircò tantum quia ampliùs fugere non poterat. Vnde ſi alia via ad ſanitatem peruenire potuiſſet, nunquā vel minimam de diuino auxilio implorando cogitationē ſuſcepiſſet. At quodnam oportunum illud tempus eſt, in quo Deus per pœnitentiam placari, & peccatorum remiſſio ab illo poteſt impetrari? Tunc inquam quando homo libertatem peccandi habet, & nulla neceſſitate impellitur; tunc enim clarè ac euidenter cognoſcitur, vtrum deuotio illa ex bono animo proficiſcatur. Hoc illud tempus oportunum eſt, in quo ſancti pro peccatorum ſuorum remiſſione Deum inuocant, iuxta Dauidicum illud: *Pro hac orabit ad te omnis ſanctus in tempore oportuno*, & addit confeſtim. *Veruntamen in diluuio aquarum multarum ad eum non approximabunt*. Vbi horam mortis diluuium appellat, quia ſicut illud ex inundatione multarum ac ex diuerſis locis concurrentium aquarum inundatione proceſſit, ita in extrema mortis hora mille ac mille anguſtiæ concurrent ad vnam peccatoris alicuius animam ſuffocandam: vrgentibus ab hac parte morbi doloribus, ab altera affectu diuitiarum quas non niſi iniquiſſimo animo quilibet deſerit, infantium & agnatorum lachrymis, horrore mortis, & timore iudicij imminentis. Hæ autem ac infinitæ præterea aliæ aquæ animam peccatricem inuolent, addo etiam ſuffocabunt. O diluuium terribile! O inundationem horrendam! O cataclismum obſtupeſcendum. Dicit ergo Propheta Dauid eos qui ad diluuium illud vſque Deum quærere diſtulerunt, tunc etiam ne quidquam illum imploratos eſſe videlicet propter anguſtias ac tribulationes quibus vndequaque impetiti & cruciati ſuiipſorum ad extremum turpiſſimè obliuiſcentur. Inter quas tamen vniuerſas malè agendi ac peccandi inueterata conſuetudo grauiſſimè eos affliget ac etiam dementabit. Huius rei nunquid non verum minus quam terribile ex Sacra Scriptura depromptum exemplum audire deſideratis? Conſiderate pauliſper mecum generalis illius cataclyſmi ſucceſſum: videbitis reuera Noacum ipſos centum annos in arca exædificanda conſumpſiſſe ac toto illo tempore populum ad pœnitentiam

2. Mac. 9

Pſal. 31

tiam faciendam exhortatum fuiſſe. Verum hic ludibrio optimi viri conſilium habens, ne tunc quidem commoueri ſe paſſus fuit quando flumina exundare, & indies ac in ſingulas horas creſcere augerique conſpexit, licet euidenter colligerent iam non nænias & fabellas, ſed ipſam veritatem Noacum hactenus concionatum illis fuiſſe. Agite ergo Chriſtiani mei quot vos homines in arcam cõfugiſſe,& ad optimum ſenem ſe recepiſſe exiſtimatis? Mirabile reuera hoc eſt,at nihilominus verum prout Scriptura refert,& ipſe Apoſtolus Petrus velut rem fide maiorem recenſet inquiens: *Pauci, id eſt octo animæ ſalua facta ſunt per aquam.* Octo autem illi iuſti fuerunt,alij enim qui peccandi viam pertinaciter antehac inſtiterant, ac vix & ne vix quidem de Deo vnquam cogitarant,adeò aquarum illa confluge & inundatione fuerunt conſternati, vt Dei ac ſuiipſorum etiam obliuiſcerentur. Et ſic adimpletum fuit D. Auguſtini illud: *Hac animaduerſione percutitur impius,vt moriens obliuiſcatur,ſui,qui cum viueret oblitus eſt Dei.* Ad eundem planè modum Iudæis hodierni Euangelij euenit,qui Seruatorem noſtrum præſentem nihili facientes abſentem poſtea fruſtra quæſiuerunt, & ideò in peccatis ſuis expirauerunt. Idem etiam tibi accidet ô Chriſtiane homo,niſi Deum tuum ante diluuij aquas,id eſt,ante horam mortis quæſiueris:conuertere proinde & ſalutis tuæ rationẽ in tempore oportuno habendã tibi eſſe exiſtima.

Prou. 2.

Quo ego vado vos non poteſtis venire, quia videlicet *vos de deorſum eſtis,ego* autem *de ſuperius ſum.* Ac ſi dicat. Quælibet res naturaliter ad cẽtrum ſuum vergit: veſtrum autem centrum in terra eſt,quia ex terra facti terrena appetitis, & quia amor animæ pondus eſt, quo illa depreſſa,& onerata neceſſario eum ad locum quem naturaliter reſpicit ſubſidit. Ad me autem quod attinet, centrum meum in cœlo eſt, & in ſinu patris è quo egreſſus ſum. *Exiui à patre & veni in mundum, & iterum relinquo mundum & vado ad patrem.* Quibus omnibus efficitur quod quia contraria centra habemus, ideò etiam impoſſibile ſit motus noſtros ad vnum eundemque terminum collimare. Et ideò *quò ego vado vos non poteſtis venire.* Hæc ſententia affinis ac ſimilis illi eſt quam aliquando Seruator noſter ad Nicodemum dixit:

Ioan. 16

Ioan. 3 *Nemo aſcendit in cœlum niſi qui deſcendit de cœlo filius hominis*

nis qui eſt in cœlo. Quæ verba non mediocriter intellectu difficilia ſunt, videtur enim Seruator noſter non ſolum de improbis quales Iudæi erant, loqui, ſed in genere de omnibus omninò hominibus, prout ex vocula *Nemo* conſtat, quæ ſicut nota vniuerſalitatis eſt, ita omnes complectitur ac neminem planè excludit, niſi ſolum Filium Dei, qui expreſsè verbis illis excipitur. Videndum itaque in primis fuerit quomodo filius hominis de cœlo deſcendiſſe perhibeatur. Fieri enim reuera non poteſt verba vt iſta vel de diuina, vel de humana natura intelligi debere videantur. Ac primum quidem nequaquam ſecundum Diuinitatem, quippe cum Seruator noſter quatenus Deus omnia impleat, vbique ſit, & omnia complectatur. Vnde apud Prophetam ait: *Cœlum & terram ego impleo.* Et alibi: *Cœlum mihi ſedes eſt, terra autem ſcabellum pedum meorum.* *Iere.23.*
Et Dauid poſtquam Deum offendiſſet, nequidquam diu *Iſa. 66.*
multumque loco aliquo vbi ab illius facie ſe abſconderet explorato, ad extremum exclamat: *Si aſcendero in cœlum, tu illic es: ſi deſcendero in infernum, ades. Si ſumpſero pennas* *Pſ.338.*
meas diluculo, & habitauero in extremis maris: illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua. Ex quibus apparet Saluatorem noſtrum ſecundum Diuinitatem de cœlo deſcendere non potuiſſe, quia videlicet ſecundum illam æquè in cœlo ac in terra eſt. Secundo neque ſecundum Humanitatem de cœlo illum deſcendiſſe ex eo liquet, quod corpus ſuum nequaquam de cœlo deſcendit, niſi fortè puriſſima Diuiparæ Virginis viſcera cœli nomine placeat appellare. Quo ergo ſenſu dicitur filium hominis de cœlo in terram deſcendiſſe? Certum ac indubitatũ omninò eſt, Auditores mei Chriſtum hic non de corporea aliqua deſcenſione loqui, ſecundum quam is qui deſcendit locum ſublimiorem deſerit ad humiliorem deinde peruenturus: loquitur autem hic de admirabili illa deſcenſione per quam cum Dominus cœli eſſet, cum mortalitate noſtra ſe coniunxit, & hominem induit: quod reuera aliud nihil fuit quam de altitudine ad humilitatem, de immortalitate ad immortalitatem, ac denique de inæſtimabilibus ſuis diuitijs ad paupertatem noſtram deſcendere. Quare eum dicitur ſolum illum cœlum aſcenſurum qui de illo deſcenderit, intellige ſolum eum eſſe qui Deus

ac homo cœlum poteſt aſcendere. Verum accedit huic non multo minor difficultas, quia cum dicitur ſolum Seruatorem noſtrum cęlum aſcenſurum ſicut etiam inde deſcendit, ſequitur nullum hominem tantum eo loci pertingere poſſe, ſicque non Phariſæis tantum, ſed omnibus omninò hominibus verba illa dicta erunt: *Quo ego vado vos non poteſtis venire*. At ſunt nonnulli qui nodum iſtum ſoluturi docent per verbum illud *deſcendit*, non tantum Seruatorem noſtrum debere intelligi: obſeruantes vocem deſcendo non localem tantum illum motum ſignificare, ſed originem etiam ac ortum ſeu deſcenſionem genealogicam indicare. Vt cum dicimur quempiam à Regia ſtirpe deſcendere, intelligi volumus cum regia familia oriundum eſſe. Eſt namque etiam in genealogijs quædam deſcenſio, dum pater in filium, & filius in nepotem deſcendit. Cum ergo ait neminem cœlum poſſe aſcendere niſi qui ex illo deſcenderit, dicere vult eos tantum qui per gratiam & ſecundum ſpiritum à Deo deſcenderunt, cœleſtis familiæ eſſe, & ad cœleſtis regni poſſeſſionem admiſſos iri: quod vt etiam omnibus nobis pateret, ipſe filius Dei in terram de cœlo deſcendit vt nos Dei filios faceret, ac cœleſti familiæ adſcriptum iret. Inſinuat hoc nobis S. Ioānes Euangeliſta in principio Euangelij ſui dicens: *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, ijs qui credunt in nomine eius, qui non ex ſanguinibus neque ex voluntate carnis, ſed ex Deo nati ſunt*; qui inquit ex Deo nati ſunt, non autem ex voluntate carnis, aut per ſucceſſionē ſanguinis, ſed natiuitate quadam ſpirituali in fide charitateque fundata. Quotquot ergo duabus iſtis virtutibus præditi ſunt, reapſe de cœlo deſcendunt, & conſequenter ad illud reuertentur. Qui autem ex hac familia oriundi non ſunt, ſicut Phariſæi reuera non erant, qui Ieſum Chriſtum recipere noluerunt, ij ad diuinæ Maieſtatis locum, ac regionem peruenire nullo modo poſſunt. Et idcircò audacter illis dicitur. *Quo ego vado vos non poteſtis venire*: oſtendens infortunij huius cauſam aliam quam infidelitatem non eſſe. *Si enim non credideritis*, inquit, *quia ego ſum, morie miini in peccato veſtro*. Atque hanc doctrinam veriſſimam eſſe, S. Auguſtinus pro more ſuo ſubtiliter planè obſeruauit. Quod autem verba hæc: *Nemo aſcendit in cœlum niſi qui deſcen-*

Cap. 1.

Lib. 1. de pe. c. merit. & re miſ. cap. 31.

deſcendit de cœlo, de ſolo Seruatore noſtro intelligenda ſint, ex eo quod ſequitur colligo, *Filius hominis qui eſt in cœlo.* Vnde idē eſt ac ſi dicat, Nunquid ſcire deſideratis quemnam intelligam dicens ſolum illum cœlum poſſe aſcendere? Hic filius hominis eſt, qui in cœlis eſt; hic inquam qui ſuper terram viuens, ſimul etiam in fęlicitatis ſuæ cęlo commoratur. Quod reuera de nullo alio quam de Ieſu Chriſto intelligi poteſt, qui ab inſtanti ſuę conceptionis ſecundum partem ſuperiorem beatus fuit, quia nimirum anima illius abſolutè diuinitate fruebatur, in qua cœlum ac vniuerſa felicitas beatorum conſiſtit. Hinc ad quantum corpus, Seruator noſter in terra erat, quantum verò ad portionem, ſuperiorem, vtique dici poterat eum in cælo eſſe, quia nimirum beatitudinis compos erat. Sequitur ergo eos qui verba hæc *qui deſcendit de cœlo* de ſpirituali deſcenſione accipiunt, admittentes ad illam alios etiā præter Chriſtum, à ratione ſecundum litteræ rigorem haud parū aberrare; quippe cum ſolius Ieſu Chriſti mentio in hoc loco facta ſit, qui ſicut ſolus de cœlo deſcendit, ita ſolus ad idē aſcendere poteſt. Verum expoſitione iſthac ita iamnūc explicata in eodem tamen quo ante labyrintho hærere errareq; videmur. Sequitur enim nihilominus ex hoc etiam diſcurſu, omnes nos à cœlo excludi, & nequidquam pro illius poſſeſſione nos laborare. At reſpondent nonnulli, & inquiunt: Sicut Seruator noſter dicens: *Nemò bonus niſi ſolus Deus*, noluit ſignificare præter ſe neminem bonum eſſe poſſe; ſed potius ſolum Deum natura bonum eſſe, ſicque ipſi ſoli bonitatem conuenire, tametſi alios etiam participatione bonos non ineptè poſſumus appellare. Eodem modo cum hîc Redemptor noſter ait præter ſe neminem cęlum poſſe aſcendere intelligit ac ſubaudiri vult, propriæ virtutis beneficio, per alterius namque virtutem ſeu participatam multi, imò quotquot volunt cęlum aſcēdere poſſunt ac introire. Quod ſi etiam hoc loco quæras quomodo virtutis iſtius participes fieri valeamus, reſpondeo cum S. Auguſtino, Seruatoris noſtri virtutem nobis communicari ſi fide, & charitate cum eo fuerimus copulati. Virtus .n. capitis non niſi membris quæ cum illo vnita ſunt poteſt communicari. *Vt autem ſimus membra eius* inquit S. Doctor, *vnitas nos compaginat, vt compaginet vnitas,*

Matth. 19. v. 17

Trac. 26 ſuper Io.

L 2 *quid*

quid faciet niſi charitas? charitas inquit quæ locus perfe-ctionis cum Deo nos vniens à S. Paulo appellatur. Si itaq; hac ratione cum illo vniti fuerimus, fieri non poteſt quin cum illo cœlum aſcendente nos etiam pariter non illuc euolemus: adiuti videlicet virtute illius, quam ille nobis non aliter quam ſpiritus membris ſuis infundet ac communicabit. Cum autem eo modo aſcendemus dici nihilominus poterit ſolum illum cœlum aſcendere, quippe cũ nos non niſi illius virtute ad cœlum pariter aſcendamus. Vnde Chriſtiani Auditores idem nobis faciendum eſt quod Regulus auicula in fabulis feceſſe perhibetur: quod commentum ſeu apologus quoniam apprimè propoſito noſtro congruere videtur, ideò hoc loco eum ibimus ex-

Fabula bene applicata. plicatum. Ferunt aues noui Regis eligendi cauſa conciliũ coegiſſe, ac ita tandem inter omnes conueniſſe, vt ea corona regia inſigniretur quæ volatu omnibus altius in aera ſe librauiſſet, illaque iuxta Regina ſalutaretur, proxima quæ ipſi inter volandum extitiſſet. Cum ecce immani auium immixtus cætui Regulus auſcultat, cui etſi vires ad ſublimem aeris regionem peruolitandam deeſſent, animus tamen ad id facinoris aggrediendum, & verò regiã dignitatem inuadendũ abundè ſufficiebat. Exploratis itaq; virib. ſuis, ac iuxta præuidens Aquilæ regnum illud ac imperiũ in aues deberi, poſtquam ad volatũ conueniſſent, ille induſtria, & calliditate quã virib. ac robore potentior, ſub aquilæ ala ſe abſcondit, vt quod de ſe appromittere ſibi non poterat, alterius ſaltem beneficio ac ope conſequeretur. Ita ergo in altum euectus, cum aquilam volatu feſſam altius eniti non poſſe animaduerteret, animoſo ſuper eam volatu librata Regis dignitatem ac titulum pariter conſecutus fuit. Cœlum, ô Chriſtiani, adeò ſublime, & à ter-

Applicatio. ra remotum eſt, virtus autem noſtra adeò exigua, fruſtra vt ſimus ſi ad id euolare nos poſſe cogitemus. At ecce habes Aquilam in ſinu patris ſui nidificantem, ex quo deinde in maternum gremiũ deuolauit, vt humilitatis noſtræ Sion, quemadmodum Ezechiel loquitur, exaltaret. Quid

Cap. 17. ergo faciendum vobis eſt, ô Chriſtiani? Imitemur Regulũ, vniamur cum diuina iſta aquila, vt illius virtute vna ſurſum abripiamur, quemadmodum in glorioſa ſua Aſcẽſio-

Eph. 4. ne fecit, quando *aſcendens in altum, captiuam duxit captiuitatem,*

tatem; ſanctos puta, qui ſicut ſuaptè ſponte aſcendere non potuiſſent, ita beneficio charitatis per quem cum illo vniti erant, ad ſublimem illam regionem euolauerunt. Fabulantur Poetæ Iouem Ganymedis pueri amore captum, vt illum pro pocillatore ſuo menſæ adhiberet, in Aquilam ſe transformauiſſe, ac venatui in monte Ida intentũ adeò dextrè vnguibus ſuis apprehendiſſe, vt neque pueri grauitas volatum ſuum impediret, nec ipſe vnguibus ſuis aquilinis prædã vel leuiſſimè ſtringeret ac vulneraret. Ita Deus ex ſola miſericordia humanam noſtram naturam deperiens, ita dextrè diuinitatis ſuæ vnguib. apprehendit, vt neque carnis noſtræ pōdus volatum illius inhiberet, nec potentia illius diuinitatis infirmitatem noſtram conſumeret. Quod autem Deus tunc fecit in hodierno etiam die ac ſēper cum fidelibus ſuis facit facturuſque eſt. Quare ſi Chriſtiane deſideras ab aquila in cęlum eleuari, ita vitam tuam inſtitue, vt tui amore capiatur, ſicq; huius amoris beneficio cum diuina illius Maieſtate. Dicebat in Euangelio hodierno Seruator noſter Phariſæis eos ſe ſequi non poſſe, quod videlicet fide, & charitate cum illo vniti, non erant.

Si autem tu cum eo vniri a llaboras omnia poteris, iuxta Paulinum illud: *Omnia poſſum in eo qui me confortat.* Ita videlicet, peccatum execraberis, quod omnium malorum zeuguma eſt, & complementum: non morieris deinde in peccato quę omnium miſeriarum miſerrima eſt: & denique beneficio ac ope diuinæ gratię adiutus vſq; ad ſupernam gloriam euolabis, *quam mihi, & vobis præſtare dignetur.* *Philip. 4*

CONCIO DECIMAQVARTA PRO FERIA TERTIA POST DOMINICAM Reminiſcere.

Super cathedram Moyſis ſederunt Scribæ. Matth. 23.

SI quemadmodum ratio, & æquitas poſtulat, D. Paulo electionis vaſi ac gentium doctori, ex inſpiratione S. Spiritus loquenti fidem adhibere volumus, confiteri reuera debemus ſoli nos Deo honorem, & gloriam adhibere oportere, quia videlicet ipſe ſolus Rex ſæculo-
1. Tim. 1. rum, æternus, inuiſibilis ac immortalis eſt. *Regi ſæculorum,* inquit S. Apoſtolus, *immortali, & inuiſibili ſoli Deo honor, & gloria.* Quam enim amabò gloriam, aut quem honorem Regi alicui adhibere poſſumus, cuius gloria ac magnificentia ſepulchro terminatur, cuius potentia nonniſi ad illa quæ oculis corporis ſubiecta ſunt porrigitur? Cuius denique regnum paucis elapſis diebus intercidet ac exſpirabit? Maneat ergo ſoli Deo gloriam deferendam, & honorem exhibendum eſſe, quippe qui quatenus immortalis non perire, quatenus inuiſibilis non comprehendi poteſt: qui denique quatenus Rex omnium ſæculorum regnum poſſidet in omnem æternitatem duraturum. Et quamuis hæc Apoſtoli doctrina ab obedientia quam Principibus, & reuerentia quã ſuperiorib. debemus ſoluere nos videatur, quia videlicet omnes illi mortales, & corruptibiles ſunt, attamẽ quiſquis benè, & accuratè eam trutinarit, is contrarium prorſus ex illa proficiſci deprehendet. Etenim cum Dei Maieſtas tanta ſit, omnis vt ei gloria ac honor debeatur, vult omninò ratio ipſa eius nos gloriæ ac Maieſtatis omnibus locis ac perſonis in quibus illa nobis repræſentabitur exactam rationem habere. *Non iurabis per cœlum,* dicebat Seruator noſter, *quia ſedes*
Matt. 5. *Dei eſt: Neque per terram quia eſt ſcabellum pedum eius.* Ac ſi dicat:

dicat: Non reuerebimini tantum nomen meum non iurãtes per illud, aut ſolummodo perſonam meam ab omnibus blaſphemijs abſtinentes: ſed neque per terram neque per cœlum iurabitis, quia hoc thronum, iſta autem ſcabellum pedum meorum repræſentat. Vnde euidenter ac manifeſtè colligitur Chriſtum Seruatorem noſtrum non tantum in ſeipſo ac in ſuâ perſona velle honorari, ſed etiam in omnibus ac quibuſcunq; rebus diuinam illius Maieſtatem repræſentãtibus. Dũ ergo Concionatores ac verbi diuini adminiſtri Deum quatenus animarum noſtrarum Magiſtrum, & Epiſcopi ac Prælati eundem quatenus ſupremum cunctorum dominum repræſentant, non aliter quam ipſe DEVS honorandi ſunt, non quatenus homines mortales ac interitui obnoxij, ſed quatenus Deum qui inuiſibilis ac immortalis eſt repræſentant. Ita dũ in dignitate aliqua ac honoris gradu cõſtitutos reueremur nõ modo Paulino documento non contradicimus, ſed accuratè, & abſolutè muneris quod nobis imponit partes imus executum. Quiſquis enim ſuperiores vt Deum repræſentãtes ac illius Vicarios reueretur, hic reuera ipſum Deum colit atque honorat. Hanc autem Apoſtoli mentem ac opinionem eſſe, ex ijs quæ ad Romanos ſcribit clarè euidenterque perſpicitur. *Omnis anima poteſtatibus ſubdita ſit*, inquit ille, *non .n. eſt poteſtas niſi à Deo Quæ autem à Deo ſunt, ordinata ſunt. Itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit; qui aũt reſiſtunt ſibi damnationẽ acquirunt.* Vbi Magiſtratus Poteſtates appellat propter poteſtatem puta q̃ in ſubditos ſuos habent, vt non aliter quam Dei vicarij illorum delicta ac peccata caſtigent. Et nota quod non dicat Apoſtolus: *Omnis homo poteſtatibus ſubditus ſit*, ſed *Omnis anima poteſtatibus ſubdita ſub vita ſit*: quamuis enim non modo in hoc ſed in pluribus alijs Scripturæ locis anima aliud quã hominem non ſignificet, hic tamen peculiare aliquod myſterium in ſe continere non immeritò debet videri: volente videlicet Spiritu S. nobis ſignificare obſeruantiam reuerentiamq; illam quã ſuperioribus debemus, non exterius tantum conſpici, ſed etiam ac potiſſimum quidem ab anima promanare debere: aliàs honor iſtiuſmodi nõ multum à Satellitum illa apud Pilatum geniculatione abſimilis eſſet, qui Seruatori noſtro accinebant. *Aue Rex Iudeorũ*

Cap. 13.

Ioan. 19 Cum enim contra cor ac mentem ſuam loquerentur, Dominum noſtrum non honoris ac obſeruantiæ ergo ſalutabant, ſed ſcurriliter deludebant. Non ad eundem modum, inquit S. Paulus, vobis faciendum eſt, ſubijcienda eſt autẽ anima ſuperiorũ poteſtati, & ſimpliciter ac ex animo confitendum omnes nos illis cultũ ac reuerentiam debere. Vt autem facilius Paulino huic monito confirmare vos poſſitis, cogitate *quod non eſt poteſtas niſi à Deo.* Magiſtratus.n. & ſuperiores infinitam Dei potentiam nobis repræſentant, quam nos in illo non aliter quam in proprio ſuo principio ac origine agnoſcimus. Eſt ergo hoc opus diuinæ potentiæ, eſt ordo æternæ ſapientiæ, eſt diſpoſitio ſupremæ Maieſtatis, vt aliqui in terris ſint in finitã qui nobis illius potentiã repræſentent. Quoniam aũt quæ à Deo promanant, bona ac ordinata ſunt, ideo conſenctaneũ eſt eũm qui ſuperiori cõtradicit Dei ordinationi reſiſtere, ac in illius prouidentia errorem, velut in ſcirpo nodũ quærere velle. Fructus autem ac vtilitas quam iſtiuſmodi refractarij conſequuntur hęc eſt, quod *ſibi damnationem acquirunt*. Hoc enim peccatum in eorum etiam numero eſt, quę æquè in hac ac in altera, & futura vita puniuntur. *Qui vos audit,*

Luc. 10. dicebat Seruator noſter ad primitiuę Eccleſię Antiſtites, *me audit: & qui vos ſpernit, me ſpernit. Qui autem ſpernit me, ſpernit eum, qui miſit me.* Quod idem eſt ac ſi dicat. Nolite putare quod leuiter illi peccent qui ſuperioribus ſuis morem non gerunt. Dico enim vobis qui ſuperiori ſuo obedit, mihi ipſi obedit, & qui eum aſpernatur, me ipſum aſpernatur. Et quoniam ipſa hoc natura parentibus inſeuit, grauiter vt commoueantur ſi filios ſuos contemni vident, hinc eſt quod qui me contemnit patrem et meum contẽpſiſſe perhibeatur. Vnde viciſſim conſequitur eos qui Antiſtiti ſuo nõ obediũt, totam Trinitatem inſigni iniuria ire affectum. Quis vnquã credere potuiſſet, tantum peccatum eſſe homini alicui non obedire? Quis inquam niſi ille qui accuratè intelligit ſuperiorem ipſum DEVM in terris repræſentare? Certum enim eſt eum qui Vice-Regi nõ paret, ipſi Regi non obtemperare: & conſequenter illum qui Dei vices agentem contemnit, ipſum DEVM contemnere ac aſpernari. Porro reuerentiam obſeruantiamque illam quam Dei Vicarijs debemus, Seruator noſter

Laus obedientiæ.

in

in hodierno Euangelio accuratè nos docet, tollens nobis grauiſſimum ad hanc obedientiam impedimentum, quod eſt improbam ſuperiorum vitam conſiderare, & diſſolutos Prælatorum mores intueri. Vult enim vt eorum verbis auſcultemus, non opera examinemus, quatenus quidem Deum non repreſentant in ijs quæ veluti priuatæ perſonæ faciunt, ſed in ijs quæ iubent ac veluti Regis Regum Vice. Reges præſcribunt: adeò vt non ea quæ faciunt, ſed ea tantùm quæ dicunt curare morarique debeamus. Verum ad ipſa Seruatoris noſtri verba enucleatiùs aliquanto examinanda accedamus.

Super cathedram Moyſis. Nomen cathedræ iuxta communem claſſicorum plærorumque Doctorum opinionem, duas ferè res nobis exhibet ac repræſentat. Primò authoritatem & iuriſdictionem ſuperioribus in ſubditos competentem in rebus conſcientiam & incolumitatem politicam concernentibus? vna cum poteſtate ac vi erga eos neceſſario adhibenda, qui imperij frena detrectant, & ſuperiorum iuſſa contemnunt. Secundum eſt authoritas populum in ijs erudiendi quæ Scripturæ ſacræ conformia ſunt, authoritas dico planè ac abſolutè à Deo dependens. Simulac ergo illa limites ac terminos eorum quæ Deus doceri tranſgreditur, iam cathedræ poteſtatem amiſit, & cui ampliùs obedientia præſtetur non meretur. In illis namque quæ directè contra Deum ſunt, certum eſt Doctorem Deum non repręſentare. Vnde iſtiuſmodi alicui non iam ceu publicæ ac ius cathedræ habenti perſonæ obtemperandum, ſed potius velut particulari & ſui cerebri commenta docenti refragandum erit. Iam ſicut duo in cathedra ita totidem in cathedras occupantibus &, authorita te illa de qua loquimur pallentibus conſideranda etiam ſunt; puta à vita quam ducunt, & doctrina quam tradunt. Ac primo quidem vita à cuiuslibet voluntate dependet, vnde Antiſtitem aut Concionatorem eſſe nihil te impediet quo minus perditè ac profligatè viuas: adeò vt non repugnet Prælatum ac ſceleratum iuxta eſſe. Secundum quod doctrina eſt ad DEI curam & prouidentiam pertinet, qua ille in ECCLESIA ſua gubernanda vtitur, & quam errare permittere non debet. Si enim nobis præcipiens in omnibus

bus ac per omnia illius decretis obtemperare, in errorem eam prolabi concederet, dicere reuera poſſemus à Deo deceptos nos fuiſſe, quia videlicet eam Ducem ſequi præcepit, à qua circumuenti fraudatique fuerimus. Quod Sanctus Auguſtinus conſiderans ita in Epiſtola quadã ſcribit: *Securã fecit DOMINVS plebem ſuam ex præpoſitis malis, in qua coguntur mali etiam bona dicere, vt intelligatur quod virtus Dei eſt, non in virtute docentis ſed in vnitate cathedræ.* Quemadmodum ergò diuinæ prouidentiæ erat ita Sacramenta inſtituere, vt eorum virtus non ab illa adminiſtrantibus dependeret, ne qui ea recepturi erant vero ſe illorum fructu fruſtratos fuiſſe conqueri poſſent: ita bonitati ac diſpoſitioni diuinæ conueniebat veritatem doctrinæ in cathedra ſua traditæ non à Prælati bonitate dependere, ne videlicet hoc pacto Eccleſia circumuentam ſe eſſe poſſet lamentari. Hinc conſtans etiam ac firma Doctorum opinio eſt, Summum Pontificem Romanæ Eccleſiæ caput in negotijs fidem ac religionem concernentibus errare non poſſe. Imò ſi quandoque Pontificem erroneum aliquid tradere velle contingeret, nullo modo ac ratione finem ſuum conſecuturum eſſe: aut enim manus illi arefieret, aut calamus frangeretur, aut charta atramentum non reciperet, aut denique ſimile aliquod miraculum accideret quo iſtiuſmodi in mente conceptus error impediretur. Et enim ſi Imperator Valentinianus Hæreticus, edictum quo Sanctus BASILIVS Magnus ſolum vertere iubebatur ſua authoritate interpoſita ac Sigillo pariter impreſſo confirmaturus, poſt throni in quo ſedebat fracturam ne vnicam quidem inter tres ſcriptoriam pennam inuenire potuit atramentum quæ hauriret: quis amabò dubitabit Deum non longè plura pro Eccleſiæ incolumitate conſeruanda præſtiturum eſſe? *Hoc fœdus meum*, inquit DEVS ad Iſaiam, *cum eis Spiritus meus qui eſt in te, & verba mea quæ poſui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore ſeminis tui, amodo & vſque in ſempiternum.* Vbi Propheta de aureo illo primitiuæ Eccleſiæ ſæculo, de Meſſiæ aduentu, ac de gratia quam Apoſtolis ſuis, ceu illius Antiſtibus, communicaturus erat ſermonem inſtituit. Docemur autem his verbis DEVM promiſiſſe Spiritus IESV CHRISTI ac illius verba in Apoſtolis ac eorum ſucceſſoribus, id eſt, Pontificibus Ro-

Papa in fide errare nõ poteſt.

Amphilochius in vita S. Baſilij.

Cap. 59.

Romanis eſſe permanſura: qui aliud docere ac ſtatuere non poſſunt quam quod ipſe Dominus noſter ſi apud nos ageret erat imperaturus. Poſſunt illi fateor quatenus priuatæ ac particulatæ perſonæ ad honeſtatis metas adhæreſcere, impingere, ac hallucinari: Vt autem in ijs quæ ceu Eccleſiæ Præſides ac Antiſtites tradunt offendant, id verò admodum ex eorum numero eſt quæ fieri non poſſunt. Verum his ita perſpectis res mihi quædam notatu ac obſeruatu digna proponenda vobis eſſe videtur: quod videlicet Seruator noſter Eccleſiæ Antiſtites alloquens Sal terræ &, lumen mundi illos appellet, ac poſtea non *Quod ſi lux obtenebrata fuerit, in quo illuminabitur mundus?* Sed; *Quod ſi ſal euanuerit, in quo ſalietur?* Demonſtrans etſi Sal ſaporem ſuum perdat, lucem tamen obſcurari nequaquam poſſe. Vt enim Sal bonum exemplum quod in vita Prælati conſiſtit, ita lux doctrinam nobis repræſentat. Et quoniam Prælatus pro voluntatis ſuæ impetu modò bonum, modò malum exemplum dare poteſt, ideò Seruator noſter ait; *Quod ſi Sal euanuerit, in quo ſalietur?* Hoc eſt: ſi exemplum prælati, quo non aliter quam Sale inferiores condiri debebant, ſaporem ſuum perdiderit, in quod ſalietur? Quia autem doctrina ſimili periculo expoſita non eſt, propter ſingularem Dei circa illam curam ac prouidentiam, ideo non additur *ſi lux obtenebrata fuerit*: quippe cum ea omninò obtenebrari non poſſit. Hinc Seruator noſter præſuppoſita doctrinæ ſuæ certitudine, & morum ac exẽplorum quibus Prælati ac Præſides affecti ſunt inſtabilitate, etiam de Scribis ac Phariſæis in ſe ſpecie loquens, de vniuerſis nihilominus eorum ſucceſſoribus verba illa intelligi voluit: *Omnia quæcunq; dixerint vobis ſeruate, & facite.* Quibus verbis Seruator noſter breuiter at efficaciter tria nobis commendat. Primum eſt ne curioſius ea quæ Prælati noſtri faciẽda imponunt examinemus, dubitantes vtrum quæ præcipiunt rationi conſentanea affiniaquæ ſint. Neque enim ſuperiorum noſtrorum Iudices conſtituti ſumus, ita vt inquirere nobis liceat rectẽs an perperam aliquid iubeant, ſed potius mandatorum ab ijs perlatorum executores. Hinc etiam cæco obedire debemus, firmiter confidentes quod DEVS qui ſuperioribus morem gerere abſolutè præcepit, nequaquam perpeſſurus

Matt. 5.

ſit

ſit aliquam vt ab illo in foſſam deducamur; adeò vt niſi euidenter liqueat malum eſſe quod iubetur, iubenti obedientiam ſimpliciter præſtare teneamur. Cum autem res quæ iniungitur boni ac mali pariter ſpeciem aliquam habere videbitur, potiùs bene de ſuperioribus noſtris ſentientes ijs obediemus, nec anxiè ac ſolicitè cur iſtiuſmodi aliquid nobis iniungatur inquiremus. Omnium enim malorum cauſa quibus mundus hic iam nunc ſcatet vnica illa fuit, quod videlicet protoplaſti noſtri nimis curioſè in Dei pręceptum ſibi datum inquiſiuerint, poſtquam a ſerpente interrogati eſſent: *Cur præcepit vobis Deus ne commederetis?* Quotieſcunque proinde vos, Chariſſimi mei, ad cauſam præcepti vobis dati perquirendam pruritis, infernalis ſerpentis ſibilum ſubeſſe, ac certam perniciem vobis, ſi pareatis, imminere exiſtimate. Porrò ad obedientiæ virtutem bene ac laudabiliter exercendam proderit nihil aliud quam ſuperioris ſui voluntatem ſpectare, cui nos DEVS in omnibus planè rebus parere obtemperareque præcepit. Quod ſi nonnullos interrogato cur Deum trinum in perſonis, cur corpus Domini noſtri realiter in Sacramento altarius, cur illud è vergine natum eſſe credant: reſpondebunt ſcio, quia DEVS qui ipſa veritas eſt, quique nec fallere vult nec poteſt, ita credi præcepit. Porro eadem omninò ratio in obedientia quam ſuperioribus ac Prælatis debemus locum habet. Idem namque DEVS qui nobis ea quæ in Scripturis continentur credere præcipit, etiam ſuperioribus in omnibus obtemperare iubet dicens: *Omnia quecunque dixerint vobis ſeruate & facite*. Si ergo Dei hoc præceptum ſufficiens vobis eſt, vt ea quæ intellectum veſtrum excedunt credere non dubitetis, cur non idem vobis ſufficiet ſuperioribus vt obediatis, nec curioſè ac ſolicite in præcepti cauſam inquiratis? Maneat proinde mulierem ſeu filiam quibus maritus vel parens ieiunia in pane & aqua voluntaria inducit, ſimpliciter obedire, nec cauſam explorare debere. Maneat matrem familias aliquam liberia ac filiabus grauatam, ſi ei conſulatur ad maius rei familiaris emolumentum Miſſæ ſacrificio ad quod non obligatur, non intereſſe, cauſam interdicti ſciſcitare non oportere. Maneat eam quæ in vita ſpirituali profectus ſe

aliquos

aliquos feciſſe opinatur, confeſſarium Sacræ Synaxeos frequentiam ſibi interdicentem non pro inepto ac rudi habere, nec vtrum obedire illi expediat deliberare debere. Obedientiæ enim proprium eſt rationes non ſcrutari, ſed promptè ac ſimpliciter mandata excipiendo, ſecundum vnam ſuperioris ſui voluntatem velificari. Huius exemplum Patriarcha Abraham nobis exibuit, qui vnigenitum *Gen. 22.*
ſuum immolare iuſſus, noctu ſurrexiſſe, & equo conſcenſo in viam ſe dediſſe à Scriptura refertur, DEI vt ſui mandato gnauiter ac promptè defungeretur. Deinde vero linteo Iſaac obnubens nos docuit veram obedientiam manus ac pedes ligatos habere oportere, ita vt ei quod iniungitur nulla ratione poſſit reluctari: & velatis atque obnuptis oculis eſſe, ſimpliciter vt à Superiore ſe ſuo duci ac gubernari patiatur. Hinc cum Apoſtolus Paulus cœlitus ex equo deiectus, ac terræ alliſus verba illa obedientiæ plena protuliſſet: *Domine quid me vis facere?* viſum è veſti- *Actor. 9.*
gio perdidit, ita vt inſtar cæci manu duci debuerit, & quo iret ignoraret: quo videlicet intelligeret in ſtar cæci ſequi Ducem ſuum ſe debere, poſtquã ſe videlicet adeò promptè ad obediendum obtuliſſet. Mihi credite Auditores, ſi errare non vultis, tametſi veſtra deſideria ſuperiorum fortè placito meliora vobis videantur, ſecuriores vos eſſe non poſſe, quam ſi promptè ac ſimpliciter iubenti obtemperetis. Cogitate Saulem animam & regnum pariter amiſiſſe, quia Samueli ex Dei præcepto omnes Amalechitas occidere iubenti non obtemperarat. Itaque dum crudelis eſſe non vult, dum hoſti parcit, ac dum denique exquiſitiſſima armenta ſacrificio reſeruat, non modo miſericordiæ ac deuotionis opus non fecit, ſed impius etiam & præuaricator reputatus fuit. Vnde etiam præclarè intelligitur, quam hominum iudicia ac opiniones à Dei conſilijs differant diſcrepentque. Cum enim Saul ſacrificium ſuum inchoauiſſet, Samuel adfuit, ac Dei iuſſu iras diuinas illi denuntiauit dicens; *Nunquid vult Dominus holocauſta & victimas, & non potius vt obediatur voci Domini? Melior eſt enim obedientia quam victima.* Et paulò poſt addit. *Quia proiecisti ſermonem Domini, proiecit te Dominus, ne regnes ſuper Iſrael.* Quis tibi hunc animum addidit, hanc audaciam inſeuit vt miſericordia vti audeas, ac ea illi immolare non *1. Reg. 15.*
verea-

verearis, quæ ipſe penitus deſtrui imperauit? Scito autem quod in huius inſolentiæ pœnam, & quia Dei præceptum tuæ vt voluntati obſecundares contempſiſti (tametſi id in re colorem alicuius religionis habente feceris) *proiecit te Dominus* adinſtar viperæ de manu ſua quæ illũ mordere voluit ac vulnerare. Et quamuis ad huius pœnæ rigorem vix aliquid addi potuiſſe videatur, neſcio tamen quo pacto fiat lõgè vt mirabilior adhuc hiſtoria quam recenſiturus ſum appareat. Legimus tertio lib. Reg. Prophetam quendam Dei inſtinctu ad Regem Achab abeuntem, ne in via cognoſceretur ſanguine faciem reſpergere ac cruentare conſtituiſſe; Cumque idcirco comiti ſuo adoleſcenti diceret, *Percute me* aſſerendo iuxta Dei voluntatem hanc eſſe: atque is inſolitum facinus admiratus quod iniũctum erat omitteret, Pro-
3. *Reg.* pheta Dei voluntatem neglectam & contemptam clamans
20. in ſuæ inobedientiæ pœnam à leone illum ſimul ac à ſe diſceſſiſſet deuoratum iri prædixit: quemadmodum etiam poſtea non ſecus ac Propheta prædixerat euenit. Et addit Scriptura eundem poſtea Dei virum alium quendam in via offendiſſe, qui ſicut alter ſe vulnerare iuſſus, nihil ſibi inquirendum exiſtimans vtrum benè an malè faceret, imperanti ſimpliciter obediuit, & Prophetam in facie vulnerauit. Quis amabò credidiſſet ſanguinarium iſtum non modo malè, ſed benè etiam eſſe facturum? alterum autem illum mitem ac clementem à leone deuoratum iri? Agamus proinde Deo maximas gratias Auditores, tale quod miraculum accidere paſſus fuerit, vt videlicet vel alieno malo ſapientiores effecti, benè monentibus obedire ac recta iubentibus ſimpliciter obtẽperare diſcamus. Tũ vt intelligamus in obedientiæ negotijs, præſertim cum Superior vir timoratus eſt, nequaquam cauſas præcepti aut interdicti licere explorare, ſed ſimpliciter & clauſis quod aiunt oculis obtemperandum illi eſſe, confidendo promiſſioni Domini noſtri, qui vt nos omni periculo ſubtraheret, in omnibus obedientes eſſe conſuluit. *Omnia quæcumque dixerint vobis ſeruate & facite*, inquit ille. Vbi duo illa verba *ſeruate & facite*, in primis obſeruate, in his enim ipſa illa duo comprehenſa ſunt, quæ paulò antè in Dominico præcepto contineri aſſeuerabam. Horum alterum eſt firmiter cordi inſculpere quæ nobis Eccleſiaſtica aliqua authoritate præditi

præſcri-

præſcribunt,quales ſunt Antiſtites,Prælati,ac Concionatores;atque hoc per vocem *Seruate* ſignificatur. Alterum eſt in effectum deducere & executioni mandare ea quæ edocti ſumus,quando videlicet temporis ac loci ratio requirit; atque hoc per vocem *Facite* inſinuatur. Verbum DEI & admiranda ſalutariaque illius monita ac præcepta in Scriptura Sacra theſaurus,arma & medicamenta appellantur. A Dauide verbum DEI ſagitta, à S.Paulo gladius, a Sapiente ſcutum nuncupatur, quæ arma erant ſub id tempus maximè vulgaria & vſitata. Sed & Dominus noſter theſaurum abſconditum, & Salomon medicamentum omnia ſanans nominat.Quæ omnia ſicut maximum vſum habēt, & inſignia emolumenta mortalibus adferunt, ita quæ in tempus neceſſitatis ſedulo conſeruentur digniſſima planè ſunt.Viuimus enim in hoc mundo aſſiduis bellis obnoxij, & modo hac modo alia inuicem ſibi ſuccedente ærumna premimur ac agitamur.Hinc miles armorum, æger medicamentorum, pauper autem nummorum congerendorum curam gerit ac rationem). Verum quid in iuuat inſtructiſſimum armamentarium habere,ſi tempore belli arma in manus non ſumūtur, quando videlicet hoſtis à iugulo noſtro repellendus, aut ſi res exigit cædendus feriendusque eſt? Quid iuuat theſaurum ſub terra defoſſum habere,ſi tempore neceſſitatis,eum tibi aut non licet attingere:aut tutè neſcis vſurpare? Quid prodeſt myrothecia plena pharmacis ac vnguentis habere, ſi cum malè eſt ea non adhibentur? Idem planè verbo Dei accidit quod licet theſauri armorū, ac medicamentorum loco cuilibet ſit, attamē cui bono eſt, ſi cum tempus ac locus requirit, qui id poſſident aut adhibere neſciunt, aut vſurpare nolunt? *Seruate*, inquit Dominus noſter,*& facite*. Hoc eſt:infigite illud memoriæ veſtræ, neque hoc contenti eſtote,ſed quod illud etiam vobis conſulit agitote. Primum autem illud conſeruare ac cuſtodire diſcite: nam quomodo id tibi tempore neceſſitatis vſui futurum eſt,quod ante à te conſeruatum non fuit? Intereſſe concioni,& parum aut nihil ex ea retinere,hoc verò tempus perdere eſt. *Fili mi*, inquit Sapiens, *inclina aurem tuam & audi verba Sapientum. Appone autem cor ad doctrinam meā, quæ pulchra erit cum ſeruaueris eam in ventre tuo*. Vbi obſerua ſapientem Diſcipulum ſuum filium appellare, vt videlicet

Verbi Diuini vtilitates.

Pro. 22.

licet illi conſtet conſilium quod ipſi ſuggerit nõ niſi à corde & paterno affectu promanare. Ait ergo ille Si doctrinam meam in memoriæ tuæ ventrem demiſeris & non aliter quam chylum in ſtomachi officina concoxeris, pulchra erit tibi & poſt digeſtionem ſuauiſſima; tametſi ante non æquè fortè grati guſtus eſſe videatur. Hæc cum primum in aures tibi illabetur, adeò pulchra non apparebit, quia videlicet nullis Rhetorum pigmentis colorata, ſed ſimplex omniſque artificij expers eſt. Poſtquam verò illam ruminaris atque digeſſeris, tum verò pulcherrimam deprædhendes & apprimè animæ tuæ bono ac ſaluti accommodatam eſſe cognoſces. Quem fructum ne vos etiam exiguum iudicetis, quid ſapiens de eo ſtatuat auſcultate. *Verbum ſapiens quodcunque audierit laudabit, & adijciet ad ſe*. Contrarium autẽ inſipientes faciunt, qui more phreneticorum cibos ſibi oblatos in obuios quoſque diſtribuunt ac ſibi interim nihil planè reſeruant. Atque hi illi ſunt qui verbo Dei auſcultantes, & concionatorem vitia reprehendentem ac ſalutares cibos animabus ſuis præbentem audientes, eos in alios erogant ac partiuntur, dicentes: Hoc illi dicitur, hæc faba iſti cuditur, hic ille luit, illic vicinus meus plagiũ accipit, iſtic vicina taxatur. *Sapiens autem adijcit ad ſe*, nihil omninò curans quid alij faciant. Nolim autem quiſpiam hoc loco memoriæ ſuæ debilitatem alleget, & propter illam manus tenaciter audita ſibi ſe infigere poſſe conqueratur: vt.n. vnũ aut alterum maioris ponderis ac momenti punctum retineas, magna memoria nihil omninò opus eſt. Quin ipſi illi quibus hæc excuſatio in ore continuò natat negare non audent, eorum quæ ad rei familiaris auctionem aut priuatum emolumentum faciunt ſe obliuiſci non poſſe. Vnde pro concione dicta aut recitata non recordãtur, id verò nõ à memoriæ debilitate, ſed ab extrema ac ſupina negligentia proficiſcitur, & manifeſtum ſignum eſt eos pluris corporis aliquod quam animæ bonum facere. Agite proinde, dilecti in CHRISTO IESV, ſi ex ſapientum numero eſſe deſideratis, quæ intelligitis retinere allaborate. Cum autẽ hoc ita impleueritis nolite illic exiſtimare omnibus vos muneris veſtri partibus ſatisfeciſſe: reſtat enim alterũ punctũ longè priore illo difficilius, nimirũ, *Facite*. Vt autẽ vnicuique conſtet primũ abſque ſecundo nõ tantũ nullam vtilitatem,

Eccl. 21.

Quomodo verbum Dei ſit audiendum.

ſitatem, ſed incredibile etiam damnum auditoribus ſuis adferre, ſciendum eſt tria hominum genera reperiri qui quæ pro concione dicta ſunt accuratè retinent, & conſeruant. Primum eorum eſt qui illa in effectum deducunt, prout Seruator noſter præcipit: & pro his innumerabiles ſparſi in Scriptura Sacra benedictiones reperiuntur. Secũdum illorum eſt, qui deſides ac ignaui ijs quæ audiuerunt conformare ſe non contendunt. Tertium autem eorum qui contrariam, & ex diametro cum concionatoris doctrina pugnantem amplectuntur. Ac ſecundi quidem illi minus aliquanto quam primi illi màli ſunt. S. Paulus ſic ait. *Reuelatur enim ira Dei de cœlo, ſuper omnem impietatem, & iniuſtitiam hominum eorum qui veritatem Dei in iniuſtitia detinent.* Rom. 1. Reuelatur, inquit, iam nunc ira Dei in Euangelica doctrina. Ita autem illa nequaquam illi comparari debet, quæ Diluuium in vniuerſos mundi indigenas, quæ ignem in Penthapolim, quæ plagas in Ægyptum, aut quæ minas in veteris legis præuaricatores detonabat: erit autem illa ira cœli, hoc eſt iudicij diuini, quando videlicet ipſi cœli iræ diuinæ teſtimonia edent. Ira inquam ab ijs vindictam repoſcens qui abſque cauſa, & ratione verbum Dei in carcere detinuerunt. Quales autem illi ſint, idem Apoſtolus docet cum ait: *Qui cum Deum cognouerunt, non ſicut Deum glorificauerunt*. Hoc eſt, qui lumine naturæ intelligentes Deum honorem mereri, & veritate quam de Deo accipiebant illos ad eum glorificandum impellente, ne veritas illius propalaretur, ſed potius in tenebris obſoleſceret allaborauerunt. Vnde etiam intelligitis omnes eos qui veritatem otio in anima marcere patiuntur, nolentes quod illa nobis dictat exequi, veritatem contra ius ac fas in carcere captiuam detinere Quiſquis proinde in concione audiens mala partè legitimo Domino reſtituenda, concubinam repudiandam, iniuriam condonandam, aut aliud quodpiam peccatum mittendum eſſe, poſtea cum occaſio iſthæc exequendi offertur, ſi deſes eſt, ſi otiatur, ſi internum inſtinctum non ſequitur, veritatem vtique in carcere captiuam tenet, iram ſibi interim illam de qua S. Paulus loquitur citra vllum dubium controuerſiamq; accerſẽs. Quod ſi Deus adeò acriter, & ſeuere in eos animaduertet qui veritatem otiari ſinunt, quid putas ijs faciet qui

M contra

contra illam ex inſtituto agere præſumunt? Permittit profectò illos in grauiſſima peccata delabi, (quæ extrema diuinarum vindictarum eſt) prout Philoſophis fecit, de quibus Apoſtolus in eodem capite loquitur: qui cum omnia contra quam lumine naturali fieri decere cognoſcebant facerent, in diuerſas idolatrias, & peccata hoc loco non nominanda præcipites ruerunt. Et quoniam conſtat veritatem niſi in opus deducatur non modo non ſalutarem, ſed pernitioſam etiam eſſe, curemus ne quid eorum à nobis negligatur quæ Deus facere præcipit: retinentes doctrinam quam audiuimus ac ſalutaria monita quæ accepimus executioni commendantes.

Secundum opera eorum nolite facere. Dicunt enim & non faciunt. Cathedra doctrinæ legalis de qua Seruator noſter hoc loco loquitur primum homini parùm loquenti, ac multa facienti, lingua tardo at manibus prompto, ſermone balbo at corde virili, Moyſi inquam collata fuit: Verum videte qualis temporibus Seruatoris noſtri fuiſſe dicatur, quippe cum qui eam poſſidebant contrariam omninò ſectam ſecuti multa garrirent, pauca verò, imò nihil præſtarent. *Dicunt enim & non faciunt.* Hic error etſi in concionatoribus quorum vita à ſermone diſſentit maximus ſit, tanti tamen apud Auditores eſſe non debet, vt propter eum ipſi doctrinam ſibi propoſitam aſpernati fuiſſe perhibeantur. Porrò concionatores iſtiuſmodi non multum architectis ac fabris illis abſimiles ſunt qui Arcam Noè ad diluuium effugiendum ex ædificantes, quia poſtea ipſi eam intrare noluerunt, miſerè aquis immerſi ſuffocatique fuerunt. Etenim quid vos Auditores Concionem aliquam eſſe exiſtimatis quam Arcam ex diuerſis ſcripturæ authoribus velut tabulis compactam, quam ſi tu ingrediaris peccatorum diluuium quod ad mundum mergendum emiſſum eſt euitabis? Quod ſi iam concionator aliquis neſcio qua amentia impulſus in aquis diluuij perire cupiat, nolens in arcam à ſeipſo ædificatam introire: vtrum tu ſimiliter cum illo ac poſt illum te met perdere vis, cum præſertim adeò facilis ſalutis ac vitæ retinendæ ratio ad manus ſit? De veteribus legimus eos in compitis ac triuijs Mercurij quaſdam ſtatuas collocauiſſe, quæ certis iudicijs perplexo viatori iter oſtendebant, ipſæ autem loco non cedebant:

Gen. 6. & 7.

Statuæ Mercurij.

debant: Iam ſi tu in iſtiuſmodi ſtatuam aliquam incidiſſes vtrum ei aſſidere voluiſſes, ac expectare donec ipſa præeundo viam tibi deſignaret? Porrò Concionatores aliud vita, aliud ſermone docentes Mercurij quædam ſimulachra ſunt regiam ad cœlum viam vobis demonſtrantia. Sufficere proinde tibi debet quod iter monſtrant, neque quidquam curare morariue te oportet, vtrum ipſa etiam incedant an loco immobilia maneant. Neque enim ideò ad Concionem venis vt Eccleſiaſtæ vitam explores, ſed vt illius doctrinæ auſcultes. Si ergo ſalutaria tibi conſilia ſuggeſſerit, ſi bonis monitis te inſtruxerit, pare docenti, ſequere prælucentem: exſpectans mercedis ac recompenſationis loco gratiam Dei, qua mediante eiuſdem gloriam conſequetis, *quam mihi, &c.*

CONCIO DECIMA QVINTA PRO FERIA QVARTA POST DOMINICAM Reminiſcere.

Aſcendit Ieſus Hieroſolymam. Matth. 20.

VETVS & cum ipſis bellorum in mundo primùm gliſcentium initijs enata mihi conſuetudo illa viſa ſemper fuit, quod ſingulæ gentes, ac nationes quæ exercitum, & militares copias alebãt, certa quædam inſignia, ac vexilla in campo, & acie portauerunt, quo facilius confuſio inter eas euitaretur, & verò altera ab altera diſcerneretur. Hinc Aſſyrij columbam vnguibus cultrum ferentem in vexillis ſuis depingebant, indicaturi Reginã illorum Semiramim quam ſub columbæ forma adorabant, non muliebris animi eſſe, ſed ferro vti ac iniurias vindicare didiciſſe. Atque de hac Prophetæ Ieremiæ illud intelligendum videtur: *Facie gladij iræ columba vnuſquiſque ad populum reuertetur.* *Cap. 5.* Ideſt: Nemo Aſſyrios aggredi audebat, conſpecto tantummodo columbæ cultro quo bar-

bara illorum Reginæ Semiramidis crudelitas ſignificatur. Aegypti autem Draconum capita præferebant, vnde iuxta explicationem Theodoreti Dauid de ijs loquebatur

Pſal.73. cum diceret: *Tu confregiſti capita draconum in aquis*. Romanorum verò inſignia pro temporum varietate non ſemel variauerunt: vtebantur enim nonnunquam Aquila, vt ſicut illa Regina auium audit, ita quoque ipſi mundi ſe

De re Militari Dominos oſtenderent: alias autem, ſi Vegetio fides, Minotaurum adhibebant, demonſtraturi maximam in bellis ſecreti vim ac rationem eſſe oportere. Adeò videlicet ſingularum gentium proprium hoc fuit, vt cum ad bella in hoſtem conflicturi proficiſcerentur, certa inſignia ac ve-

Cap.7. xilla vſurparēt. Porrò cum vita Chriſtianorum (prout Iob

Eph 6. docet, & S. etiam Paulus confirmat) aliud nihil ſit quam continua militia, neceſſe omninò eſt Eccleſiæ vexillum ſuum eſſe in quo inſignia præferens ſubditos ſuos ab alijs

Cap.11. gentibus nationibuſq; diſtinguat. Ac de hoc Propheta Eſaias loqui mihi videtur cum ait: *Et leuabit ſignum in nationibus, & congregabit profugos Iſrael.* Id eſt: Cum Meſſias mūdum vniuerſum congregaturus aduenerit, eriget vexillum ſub quod profugi Iſraelitæ ſe recipiēt. Cum ergo ſeruator noſter exercitum mundum debellaturus conſcribere conſtituiſſet, atq; vel ob hanc cauſam de cœlo in terrā deſcendiſſet *vt filios Dei congregaret in vnum*, contraxit reapſe vn-

Ioan.11 dequaque Iſraelitas profugos, hinc S. Petrum, illinc Paulum, iſt in hic verò Matthæū. Quod ſi etiam quęritis quale vexillum vſurparit, & quibus inſignibus Eccleſia vſa fuerit, ex eodem Eſaia vobis reſpondeo: *Erit radix Ieſſe qui ſtat inſignum populorum.* Ac ſi diceret, Virga ex radice Ieſſe enaſcetur quæ vexilli loco ab omnibus gentibus ac populis adhibebitur: ita vt per virgam iuxta eiuſdem Prophetæ expoſitionem Meſſias promiſſus intelligatur, de quo legi-

Super Eſaiam. tur. *Egredietur virga de radice Ieſſe, &c.* Vnde S. Gregorius & Procopius non perperam docent cum aiunt vexillum illud de quo Propheta loquitur ſignum crucis eſſe, & Seruatoris noſtri in illa crucifixi. Ob hanc enim cauſam adiungere videtur. *Ipſum gentes deprecabuntur*, oſtendens populos ac nationes coram hoc vexillo præces ac orationes humiliter eſſe effuſuras. Ex quibus omnibus efficitur vexillum noſtrum crucem eſſe, arma autem Ie-

ſum

ſum Chriſtum crucifixum, qui iuxta Sancti ſenis Simeonis dictum ponetur *In ſignum cui contradicetur*. Habiturus *Luc. 2.*
enim erat varios inimicos, qui crucis dominicæ hoſtes ſigno illi contradicturi, cum terræ id allidere conaturi, & penitus ex hominum memoria delere anniſuri erant: dicentes cum ſceleratis illis apud Ieremiam. *Mittamus lignum in panem eius, & eradamus eum de terra viuentium.* *Cap. 11.*
Quod quam etiam inter Chriſtianos multi, hac tempeſtate dicere non vereantur, vel inde conſtat quod nullius rei minus quam crucis Dominicæ recordantnr. Hinc cum Concionatores verba de illa ad populũ faciunt, inopiæ ac ſterilitatis, & quaſi de Chriſti Paſſione aliud dicere non poſſint, confeſtim arguuntur. Verum Diaboli iſthæc inuentio eſt, qui videns ac præclarè intelligens magno ſuo bono Concionatores de ea ſilere, modis omnibus hanc ijs ad dicendam materiam ſurripere conatur: nullum enim ſignum imò nihil planè æquè hoſtis odit ac execratur, quam vexillum ſuum terræ alliſum contueri; hoc enim ſi fiat tum verò ipſe animum deſpondet, aduerſarius autem fortior animoſiorque plerumque efficitur. Quod itaque tanta inter Chriſtianos puſillanimitas regnat, & quod Diaboli adeò feliciter tentationibus illos ſuis aggrediantur, & ſuperant, quid amabò cauſæ aliud aſſignari poteſt, niſi quod Sanctum illud ſpiritualis militiæ vexillum ex omnium prope animis euulſum ac è memoria ſublatum eſt? Exiſtimemus proinde Eſaiam nos alloqui, quando ad inſtar Capitanei vexillum in terra proſtratum *Cap. 13.*
intuentis, nos Concionatores velut milites ſuos affatur: *Super montem caliginoſum leuate ſignum, exaltate vocem, leuate manum, & ingrediantur portas duces*. Agite, inquit, Concionatores *leuate ſignum* crucis quod iam iam in terram corruet, renouate memoriam crucifixi Seruatoris noſtri ac vexillum illius collapſum erigite. *Super montẽ caliginoſum*, id eſt ſuper mundũ, cuius faſtus ac ſuperbia montibus, cęcitas aũt tenebris, & caligini cõparantur. Curate inquã vt ſigno Sanctę crucis ſublimẽ, & honorificum locum aſſignetis, reducẽdo illam hominibus in memoriam. *Exaltate vocẽ*, non pudeat vos Seruatorem crucifixum concionari, attollite vocẽ, quo vniuerſus mundus vos exaudiat: eleuate inſuper è veſtigio manum, vt ſermo veſter à vita

conuerſationeque non differat. Si crucem concionari vultis, paſſionibus ante veſtris crucifigi debetis: nemo enim cum honore, & in veritate poſt Sanctum Paulum dicere poteſt: *Prædicamus Chriſtum, & hunc crucifixum*, &c. niſi qui vna cum illo dicere audet: *Chriſto confixus ſum cruci*. Nos itaque principio Eſaiæ conſilio obtemperantes; ac poſtea etiam Seruatoris noſtri exemplum ſecuti, qui in hodierno Euangelio Hieroſolymam cum ſuis concedens latè ac fuſe ſuper Paſſione ſua cum illis diſſeruit, de Sanctæ Crucis vexillo apud vos aliquid expromere, ac vos ad maiori deuotione Ieſum Chriſtum crucifixum proſequendum conſtituimus exhortari.

Ecce aſcendimus Hieroſolymam. Aduertite diſcipuli mei quod ſpontè Hieroſolymas proficiſcor, non autē coactus, quodque hoc iter libenti animo ingrediar, tametſi nihil eorum quæ me manent neſciam ac ignorem. Noui ego filium hominis Principibus Sacerdotum tradendum, ſcio ludibrio habendum, verberandum, flagellandum, ac denique crucifigendum eſſe. At noui etiam eundem tertia poſt mortem die reſuſcitatum iri. Quibus ac ſimilibus verbis ex prædictorum paraphraſi ſequentibus duo admodum Seruator noſter Ieſus Chriſtus nobis voluit ſubindicare. Primum eſt liberrima voluntas qua impellente Hieroſolymas ſe contulit. Secundum eſt quod ad quæ ſupplicia, pœnas, ac tormenta proficiſceretur minimè ignorarit. Si enim coactus, aut eorum quæ illum manebant ignarus illuc conceſſiſſet, nullo nomine quidquam illi deberemus aut obligati eſſemus. Agnus quidem ſuapte ſponte ad lanienam currit, quia videlicet iugulum ſibi præcidendum eſſe ignorat: Et latro ad patibulum vi abripitur ante exploratum habens mortem illic ſe oppetiturum. Verum Seruator noſter ad ſupplicij ſui locum proficiſcitur, non ad inſtar malefici coactus, tametſi inter duos latrones vitam ſit perditurus, nec etiam per ignorantiam ſicut agnus, quippe cui ſatis conſtet Patri ſe ſuo immolandum ſacrificandumque eſſe. Dum ergo moriturum ſe ſcit, ac vt moriatur ad ſupplicij locum pergit, amoris ſui fundamentum ponit, & ad illum redamandum obligatos nos eſſe oſtendit. Porrò ſicut in inſtanti conceptionis ſuæ, ne ignorantiam allegare poſſet cuncta præ-

uidit:

uidit: ita eodem temporis puncto multo quam libentiſſimè ea acceptauit, & ideò dici non poteſt coactum illum ad mortam perferendam fuiſſe. Hæc vtraque quam benè ac præclarè S. Paulus in epiſtola ad Hebræos obſeruarit attendite. *Ingrediens mundum dicit, hoſtiam, & oblationem noluiſti, corpus autem adaptaſti mihi, holocauſtomata, & pro peccato tibi non placuerunt, tunc dixi. Ecce venio*. Vbi per *ingrediens mundũ*. Apoſtolis oſtendere vult Filium Dei ante incarnationem extra mundum fuiſſe, quia mundo ſuperior erat, reueſtitum autem carne noſtra, mundi ſe partem fuiſſe, ſicque in illum introiuiſſe. Porrò in inſtanti incarnationis Filio Dei omnia Sacrificia, hoſtiæ, & holocauſta in veteri lege offerri ſolita ob oculos poſita fuerunt, qui videns Patri illa ſuo grata non eſſe, niſi quatenus paſſionis ſuæ figuræ quædam, erant, ſimulque oculos in Sacroſanctum ſuum corpus defigens illudque ad patiendum aptiſſimum videns ait: Dediſti tu reuera mihi, ô Pater, tale corpus quale in ſatisfactionem deſiderare poteras, quale ego ad patiendum pro homine optare debebam, & quale denique ad grauiſſima tormenta pro humani generis ſalute ſuſtinenda requirebatur. Vnde intelligis vocem illam *adaptaſti*, quæ ſignificat præparare, & accommodare, ad voluntatem patris, deſiderium filij, & magnitudinem paſſionis debere referri. Omnium enim horum trium Spiritus Sanctus accuratiſſimam rationem habuit, quando Sacroſanctum illud Domini noſtri corpus adaptauit, & concinnauit. Conſiderans proinde Filium Dei ab inſtanti ſuæ conceptionis de tormentis pro nobis perpetiendis tractauiſſe, ſimulq; crucem illi ſuam antequã pateretur ob oculos conſtitutam fuiſſe, conclude, ſupplicia quæ ipſum manebant ignorare non potuiſſe. Tunc.n. animaduertens ſacrificia, & oblationes cœleſtem ſuum patrem placare non poſſe, nec hominis redemptionem à bouum ac hircorum ſanguine deinceps ſperandam eſſe: (*impoſſibile enim eſt ſanguine taurorum, & hircorum auferri peccata*) è veſtigio dicit: *Ecce venio*. Conijce in me oculos tuos, ô pater, ego enim in propria perſona adſum tibi ſatisfacturus, & humanum genus tecum reconciliaturus: non impellor ego ad hoc, non cogor, ſed deliberato ac libenti animo ad crucem paſſionemque procurro.

Cap. 10.

Heb. 10.

curro. Vnde conſidera Chriſtiane quam vetus in Domino noſtro pro te moriendi voluntas fuerit, quippe quæ in inſtanti incarnationis ſuæ incœpit. At parum dico, dubitari enim non debet eam ipſi Deo coætaneam eſſe, quoniam hic idem ille eſt, qui aliquando per os Prophetæ dicebat:
Iere. 31. *In charitate perpetua dilexi te, & ideo attraxi miſerans tui.* Quid amabò Auditores pro voluntate adeò vetere, & antiqua Deo noſtro ſumus reddituri? Nunquid merito eum
Lib. 2. de Beneſ. adamabimus; qui tantopere nos dilexit? Adamabimus certè: *Neque aurum, neque argentum,* inquit Seneca, *neque aliud quippiam eorum quæ ab amicis accepimus, beneficium eſt, ſed ipſa tribuendi voluntas.* Quod ſi iuxta Spiritum ſanctum,
Prou. 17 *meliora ſunt vulnera diligentis, quam oſcula odientis,* & ſi vulnera ab amore &c. charitate profecta inter beneficia habenda ſunt, &c. gratiarum actiones promerentur, quid amabò vulnera illa non merebuntur, quæ ex immenſo erga nos amore Seruator noſter excipere non dubitauit? Quoties proinde ad tormenta quæ Filius Dei pro hominum ſalute reparanda tolerauit meditanda conſiderandaque accedimus, prima circumſtantia quam præſſius & accuratius examinabimus, infinitus ille amor quo impellente patiebatur eſto.

Galat. 2. Ideò enim Sanctus Paulus duo hæc coniunxiſſe videtur *dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me*; adeò vt potiùs amorem quam paſſionem illius conſiderare meditarique debeamus. Si enim oculos in immenſo diuinoq; illo amore defixerimus, facilè omninò tormenta, ac paſſionem quam pertulit, comprehendere poterimus, & trutinare. Dominus itaque noſter voluntatem hanc ſuam conſideratione digniſſimam declaraturus, cum Apoſtolis, ac Diſcipulis ſuis ſeorſim ſeceſſit ſuper Paſſione ſua apud illos verba facturus: & quo etiam illi diligentius auſcultarent, noſque ad fructum inde colligendum amplius excitaremur, ſermonem ſuum à vocula *Ecce* inchoauit, quæ communiter in ſacris litteris inſolens, ac nouum aliquid ſignificat, quale quidem hoc eſt *Filius hominis tradetur.* Verum non contentus obiter, ac perfunctoriè paſſionis ſuæ meminiſſe, in ſpecie ſuper ea diſcurrere incipit, & velut per partes ſigillatim eam examinare aggreditur, recenſens quomodo principibus Sacerdotum

Google

tum tradendus, tum quomodo morti adiudicandus, quomodo gentibus dedendus, illudendus, flagellandus, ac denique crucifigendus ſit; vt videlicet diſceremus fructum aliquem Dominicæ crucis expenſæ ac conſideratæ referre volentibus, non obiter Paſſionem meditandam, ſed accurate & per partes examinandam eſſe, ita vt in qualibet circumſtantia quæ ponderis ac momenti alicuius videbitur, mentem, oculos, cogitationesque defigamus. IESVS CHRISTVS Seruator noſter Dei ille Agnus eſt qui tollit peccata mundi: Agnus qui à mundi principio occiſus eſt: Agnus denique de quo adeò fusè ac copiosè in Exodo tractatur qui comedi debebat nullum ex oſſibus eius comminuendo, ſed articulatim & membratim diuidendo. Quæ omninò diuiſio, ait Lactantius, non adeò promptè & raptim cùm fieret, neceſſe erat magna cum dexteritate ac ſenſim ſingulas iuncturas obſeruare, ſicque demum cultro artificiosè oſſa inter ſe vnita, concreta, ac copulata ſe cernere & abſque vllius læſione ſegregare Omnes autem illas ceremonias, inquit idem Lactantius, Spiritus Sanctus nullo alio fine inſtituit quam vt nos diſceremus agnelli illius immaculati IESV CHRISTI & arbore Crucis aſſati paſſionem attentè & accuratè meditandam eſſe, diuidendo ſubtilitate & acumine ingenij noſtri omnes circumſtantias, & cum ſingulari attentione earum vnamquamque conſiderando. Atq; hic demum myrrhę ille faſciculus eſt, quam ſponſa ſe aſſiduo in ſinu circumferre dicebat; *Faſciculus myrrha dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur*. Vbi de Dominicę Paſſionis memoria tractat, quæ quia amara eſt, ideò rei maximè amarè, myrrhæ, puta, comparatur. Cùm autem dicit, *commorabitur*, ſignificat Chriſti patientis memoriam non leuiter ſibi impreſſam futuram, ſed firmiter inhæſuram ac in cordis ſui penetralibus commoraturam. Verum cur ait ſe in ſinu ſuo illam portaturam? an ergo non præſtabat adamanti, ſmaragdo aut alij cuipiam gemmæ ac lapidi pretioſo illam componere, quales matronæ collis appendunt ac poſtea in pectus defluere ſinunt? Cur amabò myrrhæ faſciculo comparatur? Nimirum vt conſtet eam paſſionem ſponſi ſui non inuolutam geſſiſſe; ita vt nunquam illam diſſolueret ac diuideret, quemad-

Ioan. 1. *Apoc.* 5. *Exod.* 12. *Lib.* 4. 6. 25.

Cant. 1.

cundiſſimam vmbram iacit, ac ne radij diuinæ iræ nos vrant obſtat. Hanc gratiſſimam vmbram Dauid præuidit, quam Dei veritas tunc in nos effuſura erat, quando in arbore Crucis ad inſtar auis brachiorum ſuorum alas extendet. Tu ergo qui ad hunc modum ſponſam diſcurere & per experientiam loqui audis, dicere nō vereris Dominicæ Paſſionis meditationem melancholiam in animis hominum excitare? Vos ipſi Auditores ſtatuite vtrum potius vanis ac ſtolidis imaginationibus & phātaſijs, quam ſponſæ veraci credendum ſit. Guſtate mihi pauliſper fructus illos: delibat aliquid ex hac conſideratione? manducare agnum per partes & membra, ſingula illius tormenta conſiderando non autem integrum deglutite ac deuorate.

Et condemnabunt eum morte En metam, en ſcopū ad quē *Ioan. 12.* omnes Iudæorum perſecutiones collimabant? vt videlicet morti ignominioſiſſimæ & cruci eū adiudicarent, qui ideò venerat vitam vt illis elargiretur. Cùm ecce tibi nihilominus ex morte adeo funeſta & tragica diuina maieſtas gloriæ ſuæ manifeſtationem produxit, & diuinarum ſuarum perfectionum cognitionem exſculpſit. Ideo namque ipſe Seruator noſter mortem ſuam glorificationem appellabant dicens: *Pater venit hora vt glorificetur filius hominis.* Et Theodoretus Dauidi cū illud exponens: *Deus laudem meam* *Cap. 17.* *ne tacueris*, dicit Prophetam Crucem ac Paſſionem Domini noſtri laudem appellare, quia in nullo opere æque illius Maieſtas, excellentia; ac perfectiones elucescunt: non tantum in quantum homo, ſed etiam in quantum Deus. Atque ex his facilius Iſaiæ illud intelligi poteſt. *Et figam illum paxillum in loco fideli, & erit in ſolium gloriæ Domini patris e-* *Super* *ius, & ſuſpendent ſuper eum omnem gloriam domus patris eius,* *Iſaiam* *vaſorum diuerſa genera.* Vbi propheta ſecundum ſenſum li- *cap. 22.* teralem de Sacerdote Eliachim loquitur, & ad demonſtrandum quod ab illo omnis gloria templi ſui depēdeat, paxillo illum comparat, qui muro alicui infixus aptus eſt ad varia vaſa & ſuppellectilem ſuſtinendam. Verum Sanctus Hieronymus locum illum de Seruatore noſtro per Eliachim figurato intelligi debere docet; & certè meo iudicio explicatio conuenientiſſima eſt, præſertim ſi Seruatorem noſtrum in monte Caluariæ exaltatum & ligno CRVCIS conclauatum conſideres. Figam illum, inquit.

concernunt: addiſcere? Conijce mihi oculos in Seruatore
noſtrum crucifixum, pro peccatis alterius ideo patientem,
quia peccatorum cauſam agebat, & omnium quas quidem
mundus ſcit iuſtitiarum (vt ita dicam) rigidiſſimam de-
prehendes. *Exceſſiſti Domine* (inquit noſtri ſæculi vir qui- *Thomas*
dam inſigniter deuotus ex Ordine D. Auguſtini) *exceſſiſti* *à Villa*
omnes iuſtitiæ metas, & dum nimium videris vis iuſtus, plus iu- *noua Ser*
ſto factus es iuſtus; imò ſi dicere auderem, niſi quia Deus es, di- *mo. de*
cerem quia appareres iniuſtus. Et ſubitò dicti rationem ſub- *Natiuit.*
iungens ait. *Quæ enim iuſtitia exigit vt Deus moriatur pro ho-*
mine, iuſtus pro iniuſto, omnipotens pro vermiculo? Quam tu ſi-
milem huic in mundo iuſtitiam reperies? At inuenire &
diſcere etiam illam potes in Schola Crucis ſub auſpicijs
Ieſu Chriſti Crucifixi. Verum an etiam quid miſericor-
dia ſit perſpicere deſideras? Crucem, & Crucifixum acce-
de, & vide vtrum miſericordia aliqua cum illius poſſit cō-
parari. *Quid miſericordius intelligi poteſt, quam quod peccatori*
æternis ſupplicijs deputato, & non habenti vnde ſe redimat, dicat
Dominus Pater: accipe filium meum, & redime te: dicat Domi-
nus Filius, praſto ſum, accipe me, & da me pro te; inquit S. An-
ſelmus. Videtis Auditores quemadmodum in Cruce miſe-
ricordia diſcatur? At nunquid etiam charitatem illic deſi-
deratis? Agite, Ieſum Chriſtum crucifixū accedite, quid S.
Paulus dicat in memoriā vobis reuocate. *In hoc*, inquit ille
Commendat Deus charitatem ſuā in nobis, quia cum adhuc pec- *Rom. 5*
catores eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt. An autem &
Sapientiam diſcere deſideratis? Accedite Sāctam Crucem,
conijcite conſiderationis & mētis oculos in Ieſum Chri-
ſtum crucifixum, & illicò videbitis verò veriùs eſſe quod
mundus Deum cognoſcere non potuerit beneficio ſapien-
tiæ illius quę ex creaturarum cognitione hauritur: *placuit*
Deo, inquit S. Paulus, *per ſtultitiam prædicationis ſaluos face-* *1. Cor. 1.*
re credentes. Hęc autem maxima ſapientia fuit; & verus ac
genuinus fructus diuini ingenij. Hinc enim S. Paulus ait:
Quod ſtultum eſt Deo, ſapientius eſt hominibus. Ita ergo Sapiē-
tia in Schola Crucis audita, Omnipotentiam etiā ac infi-
nitā Dei fortitudinē addiſcere cupis: Intuere mihi Chriſtū
crucifixū & recordare ꝙ Propheta Abacuc dicat: *Cornua in* *Cp. 1.*
manibus eius, & ideò *ibi abſcondita eſt fortitudo eius*. Vbi per
cornua clauos intellige quibus ille crucis affixus fuit. Quę

ergo

ergo maior poteſtas ac fortitudo reperiri poteſt quã eum qui manus ac pedes traiectos habet, Satanã. Mundũ, & Infernum ſuperare; Et quamuis quę hactenus de diuina Bonitate, Iuſtitia, Miſericordia, Charitate, Sapientia, ac Omnipotentia dicta ſunt, æquè de alijs diuinis perfectionibus allegare aſſerereque poſſimus, eas nos tamen in præſentiarum omittemus. Modo intelligatur Eſaiam non immeritò Crucem abacum appellauiſſe, in quo Deus Maieſtatem magnificentiamque ſuam oſtentare volens, diuinarum ſuarum perfectionum argentea, aurea, ac gemmea vaſa collocauit: ac ipſam etiam ſponſam non male arborem crucis conſcendere deſideraviſſe, cum diceret: *Aſcẽdam in palmam & apprehendam fructus eius*; fructus inquam, qui ſunt cognitio diuinarum perfectionum & amor ex illis poſtea cognitis ac exploratis enaſcens. Et dubitamus adhuc Auditores merito Concionatores ſacroſanctum hoc vexillum omnibus modis erigere rurſus debere ac eleuare? Vtrum adhuc ambigimus voluntas ne illa Seruatoris noſtri magnifacienda ſit, per quam admirandum illud myſterium adimpleuit? An non potius conſtituimus ſolicitè & accuratè conſiderari id oportere? Nunquid non credimus verum hunc Deum cognoſcendi modum eſſe, qui veræ Theologiæ obiectum eſt? O dulcis Ieſu qui exultans Hieroſolymam aſcendiſti mortem illic ſubiturus: qui ſingula tormenta quæ perpeſſurus eras cum diſcipulis tuis colloquens prædixiſti: qui in ſancta Cruce non aliter atque in abaco quopiam theſauros diuinarum tuarum perfectionum collocauiſti, imprime animabus noſtris memoriam Paſſionis tuæ vt per illius merita gratiam obtineamus, qua auxiliante aliquando gloria tua perfruamur, *quam mihi, &c.*

CON-

CONCIO DECIMASEXTA PRO FERIA QVINTA POST DOMINICAM Reminiſcere.

Homo quidam erat diues, &c. Luc 16.

HOdiernj diei Euangelium, Auditores in CHRISTO IESV dilectiſſimi, ſtolidam nonnullorum opinionem iugulat atque euertit, qui pro caducis ſæculi huius bonis tanquam pro aris ac focis digladiantes adſtruere, ac aſſeuerare non verentur, eos tantumodo Beatos videri, qui diuitijs affluunt, & in omnium rerum copia ætatem degunt. Et quoniam Propheta Dauid eorum vana opinione explicata, tum ſuper ijs ſententia ſua expoſita, ac denique S. Spiritus determinatione appoſita in eadem mihi materia ita verſatus fuiſſe videtur, alio vt filio idem cum Seruatore noſtro aulæum texuerit, ante illius cenſuram, ac deinde Redemptoris noſtri iudicium ibimus explicatum. Precabatur ergo Deum Dauid *Pſal. 13.* quatenus ſe ex manibus alienigenarum liberaret, qui male loquentes peius faciunt: vbi eorundem felicitatem deſcribens à liberis illorum incipit, ac arbuſculis quas topiarius magna cū cura colit, eas componit dicens: *Quorū filij ſicut nouellæ plantationes à iuuentute ſua*, & poſtea de filiabus ait, *filiæ eorum compoſitæ, circumornatæ, vt ſimilitudo templi.* Vbi imprimis vocem illam *circumornatæ* mihi obſeruate: ita enim plerumque in opulentorum ædibus fieri conſueuit, vt dum totum tempus filiabus comedijs, exornandiſque exterius impenditur, anima interim nuda ac miſera relinquatur. Dicit ergo Propheta, Filiæ eorum ſimiles ſunt ſtatuis ac ſimulachris templorum, quæ etſi plerumque ex carioſo ligno aut aſſeribus conglutinatis atque conſuetis cōficiantur, exterius tamen auro illuduntur ac ſericis veſtibus induuntur. Quod ſi ex Sacriſtano ſciſciteris cur eas interius

ne no-

renouari non curet, reſpondebit vtique nihil ſe iſtud morari, ſed contentum eſſe exterius ſi ornatum aliquem prę ſe ferant. Tales ſunt filiæ opulentorum, inquit Propheta Dauid *circumornata vt ſimilitudo templi.* O homines iam non homines neque patrum aut matrum nomine dignos qui corporis tantum curam habentes parum autem aut nihil de anima ſolliciti ſunt. Et contra autem verorum Dei ſeruorum filiæ non *circumornata* eſſe debent, ſed *intus ornata:* vt videlicet oſtendant memores ſe illius eſſe quod Propheta Dauid alio in loco inquit, omnem videlicet filiæ Regiæ gloriam debere eſſe *ab intus*, ac deinde cuilibet licere pro ordinis ſui gradu ac dignitate ſe veſtire & exornare;
Pſal.44. idcirco enim idem Pſalmiſta ſubiungit: *in fimbrijs aureis circumamicta varietatibus*: Vbi *circumamicta* alteri illi *ab intus* reſpondet. Noſtræ autem tempeſtatis filiæ opulentiores nihil *ab intus* habent, ſed vaſa pietate vacua ſunt, *circumamicta* & circumorata, auro velata argenteis limbis diſtincta, & ſericis pannis decorata. Verum pergamus cum Propheta noſtro ac quemadmodum opulentorum iſtiuſmodi felicitatem deſcribat audiamus. *Promptuaria eorum plena*, inquit, *eructantia ex hoc in illud.* Adeo domus illorum ingredienti ingens illicò ciſtarum arcarum, ac myrotheciorum multitudo in oculos incurret, quæ diuerſis odoribus plena cum ſint, olere illa dices, quid autem oleant diſcernere non poteris: dum hic muſcum, illic calamintem, iſthinc verò ſtoracem tibi afflari animaduertes, vt interim aromata, mala punica, aurea, ac vniones non commemorem. Hæc omnia verbis illis *eructantia ex hoc in illud* ſignificantur. Quod ſi iam ad eorum villas ac prædia diuertas. *oues eorum fætoſa abundātes in egreſſibus ſuis, boues eorum craſſa.* De Pergamis autem, & de inſanis palatiorũ ſubſtructionibus quid dicam? *Non eſt ruina maceria*; ſimulac enim vel minima rima aduertitur, cæmentarius ad eam claudendam accerſitur. *Neque tranſitus.* Si leuiſſimo capitis dolore affligantur, per eorum plateas tranſitus nulli datur, imò vectes ac repagula obijciuntur, ne rheda, ciſiumne poſſit pertrāſire. Quin eos etiam tacere iubent qui altius loquuntur, *Neque clamor in plateis eorum*, habētes illo fine ſatellites qui puerorũ circulos diſturbent ne inconditis ſuis clamoribus dominũ ſuauiter quieſcētē expergefaciāt. Poteſtne felicitas

aliqua

aliqua maior iſta reperiri? Poteſt proſperius quidpiam in mundo expectari? At audi Dauidis Epilogum & quoddã quaſi Epiphorema: *Beatum dixerunt populum cui hæc ſunt*. Id eſt; Mundani qui non niſi pro externa felicitate digladiantur, eos tantum felices exiſtimant qui omnibus rebus affluunt ac in omnium rerum abundantia viuunt. Quod ſi meum etiam iudicium ſcire cupitis, cenſeo ego quod *Beatus* eſt *populus cuius Dominus Deus eius*: vbi vnico verbo omnia ea quæ vltra dici poterant complexus eſt, Deum enim pro Domino ac Magiſtro ſuo agnoſcere, hoc verò eſt eius voluntatem ad inſtar fidelis ſerui adimplere. Porro de Dauid ait eum ſolummodò felicem eſſe qui Deum Dominum habet, oſtendit omnem noſtram felicitatem in eo conſiſtere vt Dei ſerui ſimus, hunc vt Deum colamus, ac reuereamur, & illius ſanctiſſimæ volũtati in omnibus nos conformare ſtudeamus. CAETERVM huic Dauidico hactenus à nobis explicato diſcurſui ſimile per omnia Euangelium noſtrum eſt quod hominem nobis exhibet in ſumma felicitate degente, qui ad inſtar Regis purpuratus incedebat, ac indies ſumptuosè, & magnificè pergræcabatur non illorum more qui ſubinde vno die helluando honeſti limites tranſiliunt, integram poſtea ſeptimanam geniũ ſuum defraudantes; nec illorum inſtar qui feſtiuis diebus baſilicè ornati cæterum ſimplici cultu vtuntur; ſed qui cõtinuò regio luxu conuiuia agitabat, & Attalicis veſtibus quotidie induebatur. Sub his autem duobus capitibus Euangeliſta omnem reliquum faſtum, ac inſanam oſtentationem complectitur, veluti domum mille delicijs inſtructam, agmen ſeruorum, ac miniſtrorum, turbam vertagorum ac aurum peregrinarum, & omnium denique earum rerum copiam quibus profuſa Lucilli, aut Craſſi alicuius magnificentia poteſt delectari. Cum ecce nihilominus Euangeliſta poſt omnem illam pompam breuiter ita inſinuatam, dicit damnatum illum fuiſſe, ac in infernum deſcendiſſe. Hanc quiſpiam felicitatem interpretetur? Faxit Deus vt ante miſerrimus ſim quam modo iſthoc fortunatus. Repræſentat deinde nobis ab altera parte Euangelium Lazarum in omnium rerum penuria vitam exigentem, mendicantem, inedia confectum, vlceribus obſitum, ab omnibus derelictum, ac vt vno verbo omnia com-

prehendam, alterum Iobum. Qui tamen cum placidè vitam cum morte commutauiſſet, inquit Euangeliſta, *factum eſt vt portaretur ab Angelis*. Conſideratè vos ipſi iam nunc vter beatus dici, & appellari mereatur. Vetus ac verum inter nos dictum eſt, in fine *gloria* cantatur. At videre mihi pauliſper qualem finem diues epulo ſortitus fuerit, cui pro vltimo habitaculo Infernus perpetuò incolendus aſſignabatur. Conſiderate quid Lazari miſerias exceperit, quidue is in locum quietis deductus poſſidere incœperit. Videte vt alter funditus intereat, qui mundo, abdomini, & Diabolo ancillatus fuit: videte iuxta quemadmodum alter ſaluatus fuerit quia videlicet Deo ſuo inſeruiuit. Clamet proinde mundus vniuerſus: *Beatum dixerunt populum cui ſunt hac*; Ego è contra Dauidicum illud ſequar, & propugnabo: *Beatus populus cuius Dominus Deus eius*. NVNC ſummario Euangelij explicato enucleatiùs ſingulas eius partes inſpecturi accedamus.

Homo quidam erat diues &c. Obſeruate mihi hoc loco in primis Auditores infortunium huius deſperati non ab eo profluxiſſe quod diues erat: ſiquidem & opulenti aliquando Beati eſſe poſſunt, modo opibus ſuis rectè vti velint. *Beatus diues* (inquit Spiritus Sanctus) *qui inuentus eſt ſine macula, & qui poſt aurum non abijt, nec ſperauit in pecunia theſauris*. O lætum nuntium pro diuitibus! Seruator noſter ait, *Beati pauperes*, & Spiritus Sanctus, inquit *Beatus diues*. Qui tamen loquendi modus admodum inter ſe differens eſt, cum enim de pauperibus quæſtio incidit, Scriptura pluralem numerum vſurpat dicens, *Beati pauperes*, cum verò de diuitibus ſermo eſt ſingulari vtitur inquiens, *Beatus diues*. Vt videlicet intelligamus pauperes plerumque & in magno numero ſaluari, ex opulentis verò admodum paucos, & infrequentes. Paucis diuitib. beatis eſſe licet, tametſi ad id aſpirare poſſint, dicente Spiritus Sanctus, *Beatus diues*. Abſit proinde vt animum quiſpiam idcircò deſpondeat, ſed ſciens paucos ex ordine ſuo ſaluatos iri omnibus modis ex numero illorum eſſe conetur; quippe cum cuilibet liceat tribus illis conditionibus eſſe inſtructum. Prima eſt *qui inuentus eſt ſine macula*. Agnoſco quidem ego & fateor rem difficilem eſſe inter aurum ac argentum ambulare, neque tamen ſordidari, qui enim ſubinde pecunias

Eccl. 31. *Matt. 5.* (marginal references)

nias numerant, norunt digitis ſordes quaſpiam adhærere: & qui aurum argentumue à ſcorica repurgant, quia abſque igne id facere non poſſunt, & quia etiam ignis abſque carbonibus non alitur, plerumque denigrantur. Adeò ipſa experientia Sole meridiano clarior nobis oſtendit aurum, & argentum attrectari abſque macula aliqua non poſſe. Vnde intelligere iuxta poteſtis quam ſordidam ac inquinatam animam quampiam eſſe oporteat quæ auro penitus immerſa eſt. *Vbi theſaurus tuus, ibi & cor tuum*, dicebat Seruator noſter, & Dauid inquit. *Diuitiæ ſi affluant nolite cor apponere*, Fieri enim non poterit quin maculam aliquam inde referatis. Quiſquis ergo ex diuitibus purus, ac mundus eſſe deſiderat, hic ante omnia caueat ne hoſpitium Pluti ſub interſignio Pecuniæ ingrediatur, neue animum opibus apponat, ac in ijs congerendis plus æquo occupetur; ita namque primam conditionem facili negotio conſequetur. Secunda eſt *& qui poſt aurum non abijt* ad inſtar pediſſequi Dominum ſuum ſtipantis. Vt ergo duobus per plateam incedentibus ipſi ſtatim diſpicitis quis Dominus ſit, quippe cum is præeat, ac puer ſubſequatur: Ita Spiritus S. dicens beatum illum eſſe qui poſt aurum non abit, docere nos vult diuitis felicitatem in eo conſiſtere, vt aurum pro Domino ſuo nō habeat ac reuereatur. Vetus dictum eſt, Aurum inter omnia metalla grauiſſimum eſſe; vnde qui cor ſuum illi apponit, continuò timere debet ne pondere eius oppreſſus ſubſidat atque intereat. Tunc autem poſt aurum abitis, tunc illud pro Domino noſtro habetis, quando cupiditati auaritiæque veſtræ obſecundatis. Exempli cauſa: Lex diuina dicit malè parta reſtituenda eſſe, contra hoc auaritia replicat. Quod habes tene, alias paupertatem tibi accerſes. Quiſquis ergo hic rem iniuſtam non reſtituit, hic poſt aurum abit. Rurſus Deus monet facultates pauperibus erogandas eſſe, ſed reclamat auaritia dicens. Præſtat liberis illas cumulare. Quicumque itaque aurem huic ſerpentino ſibilo præbet, hic vtique poſt aurum abit. Tertia conditio eſt non ſperare in pecuniæ theſauris, neque ex eorum numero eſſe quibus Dauid loquitur dicens: *Qui confidunt in virtute ſua, & in multitudine diuitiarum ſuarum gloriantur*. Atq; de his Apoſtolus Paulus loquitur ad Timo- *Pſal. 51.* *1. Tim. 6*

theum dicens: *Præcipe diuitibus huius ſæculi non altè ſapere, nec ſperare in incerto diuitiarum ſuarum.* Id eſt: Quando diuitibus concionaberis caue eos obteſteris, exiſtimabunt enim tunc blanditias illas diuitijs, ac opibus ſuis deberi, *præcipe* autem potius illis veluti inferioribus tuis, tales .n. reuera ſunt. Quæ autem ijs præcipere debeas,ſic habe,vt non exiſtiment ſe opulentos,nihil vt ſibi arrogent aut ſumant,neque vllo modo ſpes ſuas in diuitijs collocent,quę rerum omnium incertarum incertiſſimæ ſunt. Quale verò hoc malum eſt, tametſi diuitibus proprium ſit: ſpes ſuas in opibus diuitijſque collocare? Hinc ſi alicui conſulueris propriæ vt valetudinis ratione habita nonnihil ſibi in cibo temperet, reſpondebit confeſtim. Aurum mihi ſuppetit vnde Medicum, ſi quando neceſſarius fuerit ſoluam. Deſiſte, dices alteri, nec adeò temere cum illo rixari præſume. Verum ille tibi confeſtim ogganniet: Parum hoc refert, vulnerem eum, imò occidam, pecunia factum expiabo. Ita ſi agreſti, ac inhumano cuipiam in aurem inſuſurres, Moderare nonnihil tibi, alias ab omnibus tuis neceſſarijs derelinqueris, illico tibi occinetur, derelinquant me qui volunt, amicos non moror dum amicam pecuniã habeo. Ecce vobis hic Auditores hominum nonnullorum inſolentiam quos non niſi fluxarum,ac incertiſſimorum opum ſpes,ac delinimenta inflant! Quod ſi Diabolo in iſtiuſmodi Thraſones vim ſuam exercere liceret, nunquid pecunia eum corrumpere poſſent? O ſtuporem inauditum! ò dementiam deplorandam! Hominem ijs in cęlum ſpes ſuas collocare,quæ nihil minus præſtare poſſunt quam vt cum potenti Dei brachio ſubducant! Quilibet autem mihi potius animum aduertat atque exploret vtrũ tres illas conditiones habeat, vtrum macula peccati nulla illi adhæreſcat, vtrum poſt aurum non abeat, ac vtrum denique ſpes ſuas in pecunia, & theſauris non defigat. Quod ſi tria iſta in ſe offendit, *Beatus eſt diues*, ſed *quis eſt hic, & laudabimus eum?* Mihi credite *Rara auis in terris nigroq; ſimillima cygno.* At videamus iam nunc vtrum Euangelicus ille Epulo ac nepos tres illas conditiones habuerit. INDVEBATVR *purpura & byſſo,& epulabatur quotidie ſplendidè.* O media excellentia quibus illud denique conſequi potes abſque macula vt vitam ducere perhibearis!

ris! Quod ſi illi qui rigidè viuunt ac male veſtiuntur, ægrè carnem ſuam intra rationis gyrum retinere domareque poſſunt, quomodo ſodes illi id præſtabunt qui lautè, & delicatè curantur, & regiè ac baſilicè quotidie veſtiuntur? Quãuis autem ex nimio, ac ſumptuoſo veſtitu innumera mala conſequantur, ego tamen duorum tantum hoc loco meminero, quorum alterum directè Deo, alterum homini ac proximo aduerſatur. Primum eſt, quod omnis ille mundus muliebris, veſtimentorum ſplendidorum apparatus, ac indies enaſcentiũ inuentionum petulantia inſigni Deũ iniuria afficit. Quod ſi alicui morti adiudicando leuidenſi habitu vti iniungeretur, ille autem poſtridiè ſententia perlata ad inſtar pauonis vel diſſolutæ meretriculæ egregiè comptus, & ornatus in publicum procederet, annon putas inſigni iniuria iuſtitiam afficeret, & quaſi ludibrio haberet? Iſtiuſmodi autem aliquis nunquid extremo ſupplicio affici mereretur? Hominum verò veſtiměta vniuerſa quid amabò aliud ſunt, quam leuidenſes quidam habitus ad quos Deus totum humanum genus propter peccatũ condẽnauit? Hinc namq; S. Auguſtinus ait: *Homo circumferens mortalitatem circumfert teſtimonium peccati ſui, & teſtimoniũ quod Deus ſuperbis reſiſtit.* Vbi quamuis Sãctus ille Doctor præcipuè de animæ veſtimento quod corpus eſt loquatur, idcircoque mortalitatem illud appellet, quia videlicet per peccatum mortale effectum fuit; Attamen per mortalitatis etiam iſtud vocabulum animalium illas exuuias ac pelles intelligere poſſumus, quæ ideò à Deo corpori iniectæ fuerunt, vt mortalitatis quam per peccatum incurrerat recordaretur. Et quoniam omnia planè veſtimenta quibus homines vniuerſi vtimur ex mortuarum beſtiarum pilis, ac lanis conſtent, quod illa nobis aliud quam eandem illã mortalitatis pœnam repræſentant? Mortalitas autem illa quam in veſtimentis noſtris circumferimus quid aliud eſt, inquit S. Auguſtinus, niſi teſtimonium peccati noſtri, & nota extremi odij quo Deus ſuperbiã proſequitur, abſque qua fuiſſet, nunquam equidem homo adeò grauiter punitus eſſet, & peccato perpetrato folijs ficuum nuditatem ſuam contexiſſet: intelligens videlicet ac iam tum agnoſcens veſtium ac foliorum aſperitatem peccati enormitati reſpondere oportere.

Lib. in Geneſ.

Verum Deus aliud ſibi longè faciendum ratus beſtiarum pellibus illos contexit, vt ita mortales ſe eſſe recordarentur, & ideò mortalitate ſe veſtitos non obliuiſcerentur. Iam autem ſerico, & auro veſtes diſtingue, quid hoc amabò aliud eſt quam Dei iuſtitiam ludibrio habere? Certè iſtiuſmodi comptulis ac peregrinorum cultuum ſectatoribus ipſe Deus per Prophetam minatur dicens: *Ego*
Sopho. 1. *viſitabo ſuper omnes qui induti ſunt veſte peregrina*; acerrimus enim iuſtitiæ meæ zelator ſum. Vbi veſtem peregrinam appellat quæ peccatorum conditioni conformis non eſt, illi enim rudibus ac aſperis bardocuculis tãtum indui debent. Nunc quoniam ſatis ſuperque demonſtratum eſt eos qui ſumptoſè nimium veſtiuntur, expreſſe contra iuſtitiæ diuinæ fi em agere: ſupereſt vt quemadmodum ijdem contra proximum ſuum peccent demonſtremus. Ac primo quidem extremus ille veſtimentorum cultus ac inſolentia cauſa eſt quod vix leuiſſima charitatis veſtigia in hominum ſocietate relinquuntur. Cum enim annui cenſus ac reditus tanti non ſint ſimul vt pauperibus ſuſtentandis ac pretioſis veſtibus coemendis ſufficiant, ſequitur id quod in extremum corporis cultum erogatur, pauperibus ſubtrahi oportere. Vnde incredibile Diaboli acumen elucet qui meliorem rationem opulentos in æternam perditionem pertrahendi inuenire præter hanc non potuiſſet.
Duę vię ad cęlũ. Etenim duæ tantum viæ ſunt quæ nos ad cælum ducunt: Altera Pœnitentiæ, quæ in dolore pro peccatis admiſſis, in lachrymis, ieiunijs, vigilijs, diſciplinis, ac alijs mortificationibus verſatur: Altera Miſericordię eſt, quæ in eo verſatur vt proximi ærumnis compatiamur, & vbi opus erit egenti ſubueniamus. Diuites autem primam incedere nolunt, quia cum aſperior ſit tenellis eorum plantis non cõuenit; Neque etiam ſecundam quia perpetuis compotationibus, conuiuijs ac voluptatibus immerſi dum omnia concoquunt, quod ad extremum pauperibus elargiantur non inueniunt, ſicque cum diuite Epulone a cæli ingreſſu ac limine ſubmouentur. Patet ergò iam nunc etiam veſtimentorum pompam ac luxum cauſam eſſe, cur pauperibus ſtipem ac eleemoſynam ſubtrahamus. Atque ex hoc loco in alterius adhuc myſterij fortè non à multis hactenus obſeruati cognitionem digredimur, quod videlicet

Spiritus

Spiritus S. fortem illam mulierem ideò commendat, quia *byſſus, & purpura veſtimentum eius*, cùm nihilominus hoc loco diues reprehendatur quia *induebatur purpura, & byſſo.* Prou. 31
Cuius rei cauſam ſi deſideres, & cur quod in illa laudatur in hoc puniatur ſciſciteris, reſpondeo hoc idcirco fieri, quia mulier illa quam Sapiens commendat charitatem exercere non omiſerit, tametſi purpura veſtiretur, ac ipſi etiam illius domeſtici *duplicibus* fuerint *induti.* Subiungitur enim confeſtim, *Manus ſuas extendit ad pauperes;* vbi ergo ſatis eſt, & vbi quibus par eſt ritè ſubuenitur, illic nobilis aliquis reprehendi non poteſt quod ordini ſuo conuenienter veſtiatur, ac ſicut ſtatus ſuus exigit ornetur. Gluto autem ille, & Helluo quia nimios in veſtibus ac conuiuijs ſumptus faciebat, ideò quod charitati impenderet nō habebat. Agite proinde Auditores ſi interdum etiam vobis eleemoſynam daturis argentum defuit, quia videlicet illud Sybariticæ menſæ aut Campana mollities abſumpſerat, referte in melius prodigalitatem illam veſtram, hoc enim ipſum illud iter eſt quod diuitem Epulonem ad perditionem deduxit.

Et epulabatur quotidie ſplendidè. Secunda macula quam Epuloni iſti Euangelico aſperſam fuiſſe inuenio, gula eſt, quæ per ſe abundè ſufficit vt intelligatur animam illam admodum ſordidam inquinatamque habuiſſe. Habet. n. Gula hoc ſibi quarto modo proprium vt ex illa non aliter quam ex equo Troiano innumera alia vitia, & peccata proficiſcantur. Cui rei etſi quotidiè quotidiana experientia adſtipuletur, accedit tamen ad maiorem doctrinæ huius plurimorum Sanctorum Patrum rectè ſentientium authoritas: inter quos præcipuè Sanct. Gregorius hâc materiam perſecutus eſſe videtur, vt nimirum oſtenderet ex nimia cibi ac potus copia maximam vitiorum peccatorumque multitudinem promanare. In cuius etiam rei comprobandæ gratiam Hiſtoriam illam quarti libri Regum moraliter explicans, Ait Nabuzardam illum qui Hieroſolymas occupauit, & militibus vrbem obſidentibus adita patefecit, *principem coquorum* ſonare, ac gulam lautiſſimorum obſoniorum ac cupediarum inuentricem repræſentare. Vnde ſicut Nabuzardam muros Hieroſolymitanos ſubuertit, ac hoc modo militem in vrbem intromiſit, ita Lib. 10. Moral. c. 18. Cap. 25.

gulæ vitæ animæ muros ideſt virtutes deijcit ac demolitur. Quin ſicut etiam ciuitas aliqua muris deſtituta hoſtibus ac inimicis patet, ita animæ delicatulorum iſtiuſmodi quibuslibet vitijs, & Sathanicis tentationibus expoſitæ

Lib. 1. c. 8. ſunt. Quod ſimiliter S. Gregorius conſiderans ait hinc factum eſſe quod Iob quotidie Deo ſacrificauerit: etſi enim probe illi conſtaret filios ſuos prudentes circumſpectoſq; eſſe, attamen cum cogitaret eos inter conuiuia quæ agitabant facilè peccatum aliquod incurrere poſſe, facere non poterat quin non aliquando timeret. Sunt enim nonnulla vitia, inquit S. Gregorius, quæ vix ac ne vix quidem è conuiuijs tolli ſubmoueriq; poſſunt; inter hæc autem ordines ducunt Detractio atque luxuria. Dum enim cibi per os ingrediuntur, lingua pariter humectatur, quæ deinde lubrico in loco conſtituto nihil æquè procliuè habet, quam impingere, quam malè ac ſiniſtrè de alijs loqui. Adeò vt adynator prope eſſe videtur eis qui conuiuio interſunt,

Pſal. 13. abſentum famam non rodere, & morſicare. *Sepulchrum patens eſt guttur eorum*, dicebat Propheta Dauid, & *linguis ſuis doloſe agebant.* Hinc ſi Athenæo fidem arrogamus veteres

Sacrificia linguarũ. in conuiuijs Deo linguas ſacrificabant volentes oſtendere inter pocula, & patinas nihil æquè neceſſarium eſſe quam linguam Deo immolare ne videlicet alicubi erret ac hallucinetur. Solon autem Athenienſium Legislator cum Regis Antiochi Legatos menſæ adhibuiſſet, ac ne vocem quidem toto cœnæ tempore mitteret, aliquid ſaltem dicere rogatus quo Regi ſuo bonum de illo teſtimonium referre poſſent, reſpondit: *Dicite Regi ſenem Athenis vidiſſe, qui inter pocula ſeruare ſilentium nouit*; volens indicare miraculi loco habendum eſſe, quod quiſpiam in conuiuio; & ad cyathos linguam cohibere refrænareque poſſit. Hoc autem veriſſimum eſſe, quilibet facilè conſcientia ac ratione ſua in conſilium adhibita, poterit ipſemet conteſtari. Iam ſicut cum cibus per palatum ac fauces defluxit, non omninò difficulter homo ad vomitum excitatur: ita poſtquam ſtomachus, & venter probè ingurgitatus eſt, nihil æquè facilè fuerit quam vicinas partes, & membra non nimis longè diſſita ad peccatum concitare. Quin quemadmodum equulus auena ſaginatus calcibus ferit; ita caro lautius curata,

rata, & habita exultat atque laſciuit. Hinc Moyſes de populo ſuo ait: *Incraſſatus eſt dilectus & recalcitrauit*. Verum quid mirum eſt carnem probe ſaginatam & pelliculam delicatè factam luxuriare,cum nihil æquè eam titillet quā obſoniorum luxus, ac ferculorum deliciæ? Peſtis enim & contagio huius mali adeò latè ſe diffundit ac ſerpit, ipſe vt Propheta Ezechiel populo ſuo apertè dicat horrenda illa & abominanda Sodomitarum peccata ex nulla alia quam gulæ ſcaturigine promanauiſſe. *Hæc eſt iniquitas Sororis tuæ Sodoma, ſaturitas panis.* Et miramur adhuc ſi mundus vniuerſus turpiſſimis flagitijs ſcatet, ſiquidem Gula regnū ac gubernacula illius inuaſit? Et miramur ſi fornicatio ac Luxuria vbique paſſim dominantur, cum conſter homines adeò omnis Temperantiæ oblitos eſſe,plenò vt impetu ad genium ſuum curandum ferantur? Quiſquis proinde ab innumeris vitijs alienus eſſe vis,linguam refrœna, ori digitum impone, ac ſobriè moderateque manduca. Vt enim equum frenatum facilè regis, ita ſi idem frenos momorderit, habenas excuſſerit, flecti ſe non patitur aut gubernari. Et quoniam manifeſtum ex gula & luxu innumera alia vitia & peccata pro ſe minari: vos ipſi conijcite quam fœda & abſurba diuitis illius epulonis anima eſſe debuerit;dū namq; Euangeliſta Epulonis nomine eū afficit oīa pariter reliqua ſcelera cōplexus fuiſſe exiſtimādus eſt. *Deut. 23.* *Ezech. 16.*

Et erat mendicus quidam. In hoc certè clarè ac euidenter diuini numinis prouidentia elucet(inquit S. Baſilius)quod pauperes ac opulentos ſimul mundus iſte habeat, quo videlicet alter ab altero,pro ſalute æterna conſequenda adiuuetur.Ita Euangeliſta poſtquā diuitis hiſtoriam deſcripſiſſet, confeſtim ad pauperem tranſgreditur, quippe cum diuites abſque pauperibus vix ſaluentur,& pauperes abſque diuitibus vitam ducere uon poſſint.Hinc ſapientiſſimus ille rerum omnium Author & Miniſter Deus diuitibus bona temporalia contulit,quæ diuinæ ſuæ domus peripſemata in terræ angulo latentia ſunt, *De abſconditis tuis impletus eſt venter eorum*. Pauperibus autem immortalia & cœleſtia bona aſſignauit. *Beati pauperes quoniam ipſorum eſt regnum cælorum*. Adeò vt vtriſque aliquid in ſumma copia & abundantia deſit:pauperes namque bonis ſpiritualibus affluunt, & corporis ſubſidijs deſtituūtur;diuites autē bona *Pſal. 16.* *Matt. 5.*

tem-

temporalia poſſident,& animæ è contra opes non habent. Quod nullo alio fine factum eſt quam vt diuites pro eleemoſynis ſuis bona ſpiritualia recipientes ſaluentur : & pauperes pro orationibus ſuis a diuitibus temporalia accipientes ſuſtententur. Hanc agendi rationem omnes ſibi obſeruent,nemo non commode in hoc mundo viuet,& vbi ex hoc emigrarit in cœlo ſempiterna gloria perfruetur. Atque hoc ipſum Apoſtolus Paulus perſuadere nobis voluit,quando in epiſtola ad Corinthios Fratres ſuos ad miſericordiam Seruatoris noſtri exemplo inuitans,qui cum diues eſſet elegit eſſe pauper vt nos ditaret, inquit: *Veſtra abundantia eorum inopiam ſuppleat, vt eorum abundantia ve-*
Exod.6. *ſtræ inopiæ ſit ſupplementum. Vt fiat æqualitas.Sicut ſcriptum eſt,qui multum non abundauit; & qui modicum non minorauit*. Quæ verba attentius ego aliquanto conſiderans diuitias eandem cum manna naturam habere conſtituo: Vt enim plus ex illo habens atque id indigenti non donans è veſtigio putreſcere ſentiebat : Ita omninò diuitijs veſtris quas præter neceſſaria poſſidetis, & indigentibus non impertitis futurum eſt. An nõ videtis Audit.quemadmodum tinea veſtimenta quæ ciſtis coarctantur deuoret?Vt panem pauperibus non porrectum ac in promptuarijs remanentem mures abſumant; Replete proinde mihi egenorum illas lacunas & vacuitates, & cogitate ideò Deum voluiſſe vt *quidam diues*,& ſimul *mendicus quidam* eſſet. Quanto ergo melius Epulo iſte feciſſet,ſi vacuos impleſſet & ab ijs viciſſim ſubſidia animæ ſuæ neceſſaria accepiſſet. At nihilominò motus fuit tametſi quotidie Lazarum fores obſidentem conſpicaretur,& tot oribus eleemoſynam peteret, quod vulnera habebat Hinc eum etiam micas ſolummodo ex diuitis menſa decidentes peteret,*Nemo illi dabat,* inquit Euangeliſta. Quibus verbis tertia Epulonis illius nota continetur, quod videlicet pauperi huic compati, & licet poſſet auxiliari ſubuenireque noluerit. Vnde etiam intelligis inter cætera Gulæ effecta hoc etiam eſſe quod hominem durum immiſericordemque efficiat. Qui enim aſſiduè delicatè viuit, pelliculam curat, & famem nunquam tolerauit, quomodo is alteri compati & condolere ſciet? Quippe cum nihil æquè homines miſericordiam doceat, quam miſeriarum æternarumque perpeſſio.

ſio. Hinc Seruator noſter præter cæteras cauſas propter quā naturam noſtram illiusque ſimul miſerias aſſumpſit, hæc eſt, vt infirmitatibus noſtris compati ſciret & cōdoleres: prout etiam S. Paulus ſignificat quando nos cum fiducia Seruatorem noſtrum adire exhortatus inquit: *Non enim habemus Pontificem qui non poſſit compati infirmitatibus veſtris*, & rationem illico addit, *Tentatum autem per omnia*. Facillimū ergo eſt alijs compati, ſi prius ipſe miſerias varias ſuſtinueris: qui verò continuò ſatur eſt, quomodo is famelico compatietur: & qui baſilicè veſtitur, quomodo is nudi miſerebitur; aut cui benè domi ſuæ eſt, quomodo is peregrino condolebit: *Bibentes vinum in phialis*: inquit Deus per Prophetam, *& optimo vnguento delibuti, nihil compatiebantur ſuper contritione Ioſeph*. Vbi de helluonibus, nepotibus, & Sybaritis loquitur, qui vt genio ſuo lenocinentur veruecem pinguiſſimam, agnellum tenerrimum, obſonia exquiſitiſſima, vaſa pretioſiſſima, & vnguēta gratiſſima eūt coemptum. Vult ergo dicere Amos Helluones & Epulones corda habere quæ indigentibus atque pauperibus compati ignorent. Hinc alius Propheta Sophonias, ſecondum D. Hieronymi explicationem, peccata quæ ſub extremam mundi ætatem in Eccleſia regnatura erant proſpiciens, velut de ciuitate defecta loquens ait: *Et habitabunt ibi omnes beſtiæ gentium, Onocrotalus, & Hericius*, ac confeſtim ſubdit *Coruus in ſuperliminari*. Id eſt: Omnia vitia quæ cæca Gentilitas perpetrare conſueuit illic dominabūtur. *Onocrotalus* autem auis voraciſſima eſt, oblongi & vaſti colli, quæ propter inſatiabile abdomen cibum ſemel comeſtum reuomit & altera vice abſumit. Et additur *Ericium* illic habitaturū, qui ſpinis obſitus eſt, inter quas cum ſe recipit capi contrectarique non poteſt: pulchrū ac elegās in primis diuitū & auarorū ſymbolū habens. Quippe cum cōſtet Seruatorē noſtrū diuitias ſpinas appellare, in quas cum ſe auarus recipit, ilicò intractabilis & inacceſſibilis euadit. Verum quid ex his tandem conſequitur? *Coruus* qui aſſiduo *Cras, Cras*, canit, differens de die in diem pænitentiam, in diem dico quæ nunquam aduentabit. Atque, hęc ad extremum Epulonis noſtri pœna fuit, qui antiquam pœnitentiam agerer, mortuus fuit, nihilque ex terra ſecum aſportas in inferno ſepultus fuit. Nam *cor durum malè habebit in nouiſſimo die*.

Heb. 10.

Amos. 6

Eccl. 3.

Etſi

Etſi enim cor aliquod durum & immiſericors in principio forſitan ac in progreſſu etiam felicitate aliqua frui poſſit, ſub finem tamen quando *Gloria* canendum eſt *Malè habebit*. O miſeros auaros! Quid prodeſt toto vitæ huius tẽpore bonis affluxiſſe ſi extremum malis obruimini? Audite D. Iacobi cantilenam. *Iudicium ſine miſericordia fiet ei, qui non fecerit miſericordiam*. Ad horum autem verborum pōdus intelligendum, conſtituere ante cum omnibus rectè ſentientibus Theologis oportet, perfectiones diuinas ita in Deo vnitas eſſe, vt vna tantum ſint; ſicque ipſius bonitas idem quod Omnipotentia, & Omnipotentia idem quod Iuſtitia, & Iuſtitia idem quod Miſericordia ſit. Hinc cum ſcelera generis humani iuſtè irritatus caſtigat, non abſq; miſericordia id facit, quia nimirum Iuſtitia & Miſericordia vnum idemq; in illo ſunt. Cum ergo Luciferum cum complicibus cœlo eijceret, cum penthapolim igne ac ſulphure cęlitus delapſo abſumeret, cum Dathan & Abiron terræ hiatu abſorberet, cum denique vniuerſum humanum genus generali cataclismo hauriret: iuſtitiam ſuã cum miſericordia exercuit. Vti autem immiſericordes illos ad tribunale ſuum accerſet, tum vero (inquit D. Iacobus) abſq; vlla miſericordia iudicabit, & quodammodo Iuſtitia à Miſericordia diuellęns contra morem ſolum rigorem adhibebit. Quod ſi omnes illæ punitiones modo a me tactę, etſi grauiſſimæ miſericordiam tamẽ comitem habuiſſe dicuntur: quibus tu pœnis Deum in crudeles ac miſericordes illos putas eſſe animaduerſurum. O terribiles minas! ô horrendum Iudicium! Ecce poſitus eſt nobis in exemplum Euangelicus iſte epulo cuius anima à corpore in infernum auolans, illicque miſerrime excruciata ne id quidem quod pro alio petebat valuit impetrare; neq; enim miſericordiam merebatur, eã qui erga alios noluerat exercere. Audiant mihi & obſeruent iſthæc Diuites, audiant etiam & gaudeant pauperes, ſperantes ſe poſt ærumnas ac miſerias vitæ huius deuoratas cum Lazaro in æterna gloria exultaturos. Et quoniam ſingulari Dei prouidentia contigit vt diuites ac pauperes pariter in hoc mundo habeamus, amputent opulenti quibus affluunt & indigentibus illa impertiantur: cauẽtes ob omni gula, ne eundẽ aliquando cum Epulone iſto exitum ſortiantur. Pauperes aũt aduer-

Eccl. 3.

Cap. 2.

aduerſam ſuam ſortem æquo animo tolerent, & diuitum eleemoſynas orationibus ſuis recompenſent vt ita Deus gratiam ſuam elargiatur, qua inſtructi ſempiternæ gloriæ poſſeſſionem indipiſcantur, *quam mihi, &c.*

CONCIO DECIMASEPTIMA PRO FERIA SEXTA POST DOMINICAM Reminiſcere.

Homo quidam erat paterfamilias &c. Matth. 21.

QVicumque mihi paulò attentiùs ordinem ac rationem illam qua Seruator noſter in Eccleſia ſua fundanda vſus fuit obſeruarit, is è veſtigio intelliget, eum non multo aliter quam vinitorem aliquem in vinea plantanda facere videmus, ſe tractauiſſe. Etenim ſi prꝫſtantiſſimis quibusq; ruſticæ rei ſcriptoribus credimus, qui vineam aliquã plantare cogitat, is primum palmites in terram ad aliquam altitudinem defodit radices acturos: quas vbi ſucceſſu temporis ſumpſerint, tum verò tranſplantandi, & alibi depangendi ſunt. Quin Virgilius etiam inter cætera documenta quæ vinitoribus aſſignat, hoc etiam ponit, vt videlicet gleba in quã vitis tranſplantatur, melior illa ſit in qua palmites depacti fuerũt. Adde quod in tranſplãtatione illa terra à ſpinis, carduis ac tribulis repurgari debere videatur. Iſtic.n. zizanij locum ſuũ retinẽtibus terræ pinguedo exugeretur, & vitis vt matureſcere poſſet impediretur, Iã quemadmodum iſthæc omnia gnauum & expertem vinitorẽ obſeruare neceſſe eſt: ita eadẽ planè Deum in Eccleſiæ ſuæ fundatione multò quã accuratiſſimè adhibuiſſe dubitari non debet. Primum enim populus Iſraeliticus ſub Aegyptiacæ ſeruitutis iugo gemens, & lateribus coquendis grauatus, adinſtar palmitũ in terra defoſſus erat; videns autẽ deinde Deus radices illum agere, numero augeri, & iã Aegyptia-

cis

Pſal. 79. cis adhinnire. *Vineam de Aegypto tranſtulit*, inquit Dauid ſubaudi in terram promiſſionis Aegyptiaca illa, haud aliquanto fertiliorem. Atque quo etiam felicius vinea ſua & ex animi ſui ſententia germinarat, ante omnia zizania euulſit: pellendo ex terra repromiſſionis omnes Idololatrias, ac poſtea populum in illa ſuum tranſplantando. Intellexit *Cap. 5.* hæc Propheta Iſaias cum diceret. *Vinea facta eſt dilecto meo in cornu filij olei*, id eſt. Vinea quam Deus dilecto ſuo plantauit, ſita fuit in colliculo, in loco edito, & in terra fertili & fœcunda. Vnde poſtea factum fuit feliciſſima vt incrementa caperetur, & quaqua verſum per terram ſeſe diffunderet; *Pſal. 79.* iuxta Dauidicum illud: *Plantaſti radices eius & impleuit terram. Extendit palmites ſuos vſque ad mare, & vſque ad flumen propagines eius.* Verum non contentus fuit Deus vineam ſuam adeò feliciter germinare ſed & non modò Iudæos, ſed gentiles etiam clauiculis illam ſuis voluit amplexari. Sicut ergo Paterfamilias aut Villicus quiſpiam prædium ac poſſeſſionem ſuam latius proferre volens, vicinam domum ac ſepi tantum diſtinctam coemit, ſicque ſuis ædibus ſepi exciſa adiungit: Ita Seruator noſter in Iudaici & gentilis populi coniunctione feciſſe exiſtimandus eſt, dicente *Cap. 2.* S. Paulo: *Ipſe eſt pax noſtra, qui fecit vtraque vnum, medium parietem maceriæ ſoluens, inimicitias in carne ſua legem mandatorum decretis euacuans.* Hoc eſt: IESVS CHRISTVS Pax noſtra audire debet, quia videlicet ex duobus populis vnum fecit, redimendo vtrumque ſanguine ſuo, ac inimicitias quæ inter Iudæos & Gentiles erant in propria carne per Paſſionem puniendo. Vt autem commodius duas illas gentes vniret, murum qui inter eas erat demolitus fuit, id eſt circumciſionem, ſecundum B. Anſelmum, ſuſtulit, ac le- *Super ep. S. Pauli.* gem & ceremonias iuxta Theodoretum abrogauit, inſtituendo Baptiſmum loco circumciſionis, & Sanctum Euangelium legi Moſayci ſufficiendo; hoc enim illud ſignificat, *legem mandatorum decretis euacuans*. Vnde duo populi qui ante muro diuidebantur, vnum Baptiſma, & vnum tantum Euangelium habent, prout S. Paulus docet cum ait: *Vnum corpus, vna fides, vnum baptiſma, vnus Dominus omniũ.* *Eph. 4.* Quamuis autem Seruator noſter in hodierno Euãgelio totus in illo ſit, Iudæis vt oſtẽdat, quantũ laboris exanthlarit antequã illorum vineam cum Gentilibus cõiungeret, quo

videli-

videlicet hoc modo mundus vniuerſus Iudæorum ingratitudinem intelligat, & quomodo Deus vineā illis ſuam meritò eripere ac gentilibus collocare poſſet. Nos tamen qui apud Chriſtianos verba facimus in præſentiarū examinabimus quō Chriſtus vinea noſtra ſit, & qua ratione in illa remanere poſſimus, ne videlicet idē quod Iudæis nobis contingat. Vnde in primis conſiderandum nobis fuerit, ad beneficiū illud quo Deus nos effecit quando nos in vineæ ſuæ palmites elegit acuratius intelligendum, in quo vinea illa quā nos iam nunc habemus ab illa quæ ante Chriſti aduentum in ſynagoga erat, differre videatur. In vetere namque illa palmites abſque vite fuiſſe inuenimus, & nullibi diuinam ſapientiam vitis nomen ſibi adſcripſiſſe reperimus. Hinc cum apud Eccleſiaſten ait: *Ego quaſi vitis fructificaui ſuauitatem odoris, & flores mei fructus honoris, & honeſtatis*, non dicit ſe palmitum vitem eſſe, ſed reſpectu populi ſui inſtar vitis ſe ſe habere, immittendo illi benignas cœli influentias, quo feliciùs creſcat, & germinet. Vnde etiam factum fuit vt quia veram vitem non habebant, fructus quoq; veros non protulerint, ſed illorum loco ordinem ac flores aliquos protruſerint, dicit ergo *Flores mei fructus honoris, & honeſtatis*, quia per odorem diſſita ac remota cognoſcimus, & per florem ſpem fructus in animis concipimus. Si enim legem, ſi ſacrificia, ſi ceremonias ſpectes, an non ſpem tantummodo eorum quæ Deo incarnato futura erant præbebant? Habebant ergo flores, habebant odorem, & ſpem ſuperuenientium: fructus autem noſtram Eccleſiam manebat, quia omnes omninò figuræ non niſi in Seruatore noſtro erant adimplendæ. Atque hinc eſt quod S. Paulus de veteris iugis patribus loquens ait: *Iuxta fidē defuncti ſunt omnes, non acceptis promiſſionibus, ſed à lōgè eas aſpicientes, & ſalutantes*. Cæterum huius differētiæ D. Auguſt. præclaram admodum cauſam rationemque aſſignat, dicēs vitem, & palmitem eiuſdē naturæ eſſe, hinc Deus necdum homo vera vitis eſſe non poterat, quia eandem cum palmitibus, id eſt hominibus naturam nō habebat. *Propter quod cùm eſſet Deus*, inquit S. ille Doctor, *cuius natura non ſumus, factus eſt homo vt in eo eſſet vitis humana natura, cuius, & nos palmites eſſe poſſemus*. Ita videlicet Eccleſiæ palmites fideles ſunt, vitis autem ipſe Chriſtus

Heb.11.

Tract.8. in Ioan.

ſtus Redemptor. Quod ne quis ex vobis exiguum fortaſſis arbitretur, conſiderate mihi in primis pulchritudinem pampinorum fructibus grauium, & folijs onuſtorum: deinde etiam vitem vt curuam, vt turpem, vt deformem. Verum cui vos palmitum illam luxuriem, copiam, & fertilitatem putatis eſſe ferendam acceptam? Nunquid viti? quæ ipſamet turpis, & arida apparet, vt pampinis pulcritudinem viroremque aſpiret, Ad eundem mihi modum Ieſum Chriſtum in cruce contemplamini, & videbitis
Iſai. 53. quod *non eſt ſpecies ei neque decor*; adeò videlicet exanguis, ſqualidus, liuidus, & ſanguinolentus eſt. At inſpicite etiam illius vineam, vberem reuera illam, ac non modo doctrinę cœleſtis, & Verbi diuini folijs obumbratam, ſed inſuper virtutum ac ſacramentorum fructibus oneratam. Quod ſi ambiguum cuipiam eſt vtrũ huius pulchritudo ab illius deformitate promanarit, & nũ Auguſtinianum illud verũ ſit: *De latere eius fluxerunt Sacramenta.* Contemplare mihi hic Seruatorẽ noſtrum plagis ac vulneribus obſitum, illic autem palmites cum vite ſua vnitos luxuriantes viridanteſq; intuere, ac poſtea ex Eſaia cauſam ſciſcitatus audies: *Diſciplina pacis noſtra ſuper eum, & eius liuore ſanati ſumus.* Quin ipſe etiam Seruator noſter ex cruce tibi ſucclamabit. *Longè à ſalute mea verba delictorum meorum.* Quorũ
Pſal. 21. verborum S. Auguſt. interpretem acturus, & quomodo Seruator noſter peccatis contra minatus dicatur expoſiturus ait: *Noſtra peccata fecit ſua, vt ſuam iuſtificationem faceret noſtram.* Porrò ſi Deus adeò rigidè, & ſeuerè in Iudæos
Super Pſal. 21. animaduertit, qui palmites erant abſque vite, euellens ac eradicans illos ex vinea ſua, & in inferni ignem eos conijciens, quod nimirum fructum in eo non inuenerat. Quid ſodes Chriſtiano ſterili ac infrugifero faciet, qui à vite ſua tantum vitalis ſucci ac viroris accipit? Vbi eſt pulchritudo pampinorum à tali vite proſeminatorum? Vbi folia S. Do-
Iſa. 5. ctrinæ, & fructus bonorum operum? *An expectaui vt faceret vuas, fecit autem labruſcas? oſtendam ego quid faciam vineæ meæ*, inquit Deus per Iſaiam, *Auferam ſepem eius, & erit in direptionem: diruam maceriam eius, & erit in conculcationem. Non putabitur, & non fodietur, & aſcendent vepres, & ſpinæ, &c.* Id eſt: Si videam Chriſtianos meos adeò pulchræ ſepi vnitos ſicut tenentur bona opera facere nolle, ſubtraham

illis

illis curam diuinæ meæ prouidentiæ,per quam eos contra Diaboli inſultus protegebam, ſimulque inimicis illorum poteſtatem concedam eos inuadendi,& radicitus extirpādi. Permittam inquam illos in grauiſſima peccata ruere, quibus non aliter quam quibuſdam ſpinis,& carduis animæ fructus ſuffocantur: ac domum totaliter derelictos in malorum omnium maximum impenitentiam nimirum prolabi ſinam. O miſeros palmites! quid tum amabò ita à Deo deſerti facietis?

Et locauit eam agricolis. Vinitores quibus Paterfamilias vineæ ſuę hæreditatem aſſignabit Prælati ſunt,quibus hoc officij incumbit, ita vt vineā excolant, quo aliquando Herus ſperatos ex ea fructus conſequatur. Concionatores autem operis quidam præfecti ſunt, quorum munus eſt, vinitores ad ſtrenuè laborandum incitare: ipſi autem Chriſtiani laboratores operarijq; ſunt. Nam cum luce meridiana clariùs atque vel ex ipſius Redemptoris noſtri doctrina ſatis ſuperq; conteſtatum ſit, quodlibet Eccleſiæ membrū palmitem eſſe: conſtituendum reuera etiam fuerit quemlibet hominum officio ſuo ſatisfacere,ac operarij partibus abundè reſpondere. Etenim quid proderit Prælatos vineæ curam gerere, & Concionatores operarios ad ſtrenuè laborandum excitare, ſi nulli Chriſtianorum integrum eſt laborare,& manum ligoni applicare? Quapropter vt quæ dicturus ſum omnibus faciliùs accommodentur,& quilibet operariorum quid ſibi faciendum ſit ipſe intelligat, ſicque melius fructum proferre, & laboris ſui rationem reddere poſſit, reliquis quæ dici poterant ſe poſitis ea quæ operarios concernunt, in præſentiarum ſolummodo explicabo. Tria itaq; in primis neceſſaria eſſe intelligo,benè vt aliqua vinea cōſeruetur ac fructus quos debet tempore ſuo progignat. Primum eſt vt ſeps nunquam non clauſa obfirmataque ſit,alias enim pecudes, & viatores aditū ad ea ſibi patere,videntes,nihil illam ingredi atq; etiam vindemiare verebuntur: *Vt quid deſtruxiſti maceriam eius*, inquit Propheta Dauid, *& vindemiant eam omnes qui prætergrediuntur viam?* Maceria autem ſiue ſeps illa aliud nihil eſt quam mandatorum diuinorū accurata obſeruatio, Si.n. *ſeruaueris ea*,inquit ipſe Creator, *ſeruabunt te*. Et quoniam diabolus in vineam tuam illabi penetrareque non poteſt, *Pſal.79.*

O niſi

niſi ſepem hanc fractam animaduertat, vide ſic Chriſtiane, vt benè, & diligenter admodum illam cõſerues. Quod ſi aliquando contingat aliqua te illius limina infringere aut loco ſuo mouere, per pœnitentiæ, & contritionis Sacramentum continuo illa reficere obturareque memento. Secundo vt vinea aliqua frugifera fertiliſq; ſit, neceſſe eſt ligonem vites ruſpare ac noxias circumquaq; herbas eradicare, quippe cum illæ terræ pinguedinem ac vitalem etiam radicum ſuccum exſugant. Hoc autem facies fugiendo peccati occaſiones quæ nos à malo tranſuerſos agere, & virtutes exercendo quæ animas noſtras fęcundare conſueuerunt. Dixi autem, & diligentiæ ligone opus eſſe, quippe cum nihil æquè vineam aliquam corrumpat quam o-

Prou. 24 tium, & negligentia. *Per agrum hominis pigri tranſiui*, inquit Spiritus S. paucis deſidiæ fructus deſcripturus, *& per vineam ſtulti, & totum repleuerāt vrtica, operuerunt ſuperficiem eius ſpinæ, & maceria lapidum deſtructa eſt.* Quoties vos vineam aliquam, incultam ac ſilueſcentem tranſitis, annon confeſtim dicitis, Herum illius ſegnem negligentemque eſſe? Agite proinde Chriſtiani mei, colite diligenter vineam animarum veſtrarum: cogitate laborem hunc eſſe qui curam requirat: declinate occaſiones peccatorum quæ lolium ſuperſeminant, exercete vos autē in virtutibus quæ ſolum ac glebam fęcundant. Verum non ſunt hæc adhuc omnia vineam aliquam conſeruādi requiſita, neceſſe enim eſt putari quoque illam: noſtis enim vites niſi putentur ſilueſcere totaliterque corrumpi. Vnde non minima diligentia circa hanc quoque partem vinitoribus adhibenda eſt, quippe cum ipſe Deus multo quam impenſiſſimè à nobis illum repoſcat atque efflagitet; prout in Canticis li-

Cant. 2. quet vbi ſponſam ſuam ita appellat: *Iam hyems tranſiit, imber abijt, & receſſit, flores apparuerūt in terra noſtra, tempus putationis aduenit. Surge* proinde, & *propera*. Temporis enim oportunitas iam te otiari, ſedere, apricari, aut lento gradu incedere non permittit. Sanctus Ioannes Chryſoſtomus non immeritò Quadrageſimam Eccleſiæ Ver appellat; vt enim hyemis tempore arbores folijs exuuntur, & quodammodo mortuę ſunt, redeunte autem vere, ridere in florem ſe induere, ac folijs veſtiri occipiunt: Ita plerique Chriſtianorum toto anni tempore hyemare, & in peccatis mor-

Quadrageſima Ver Eccleſiæ.

tis mortui eſſe videntur: qui tamen poſtea Eccleſiæ veræ, id eſt. Quadrageſima appetente in ſanctarum cogitationum folio ſe induunt, ac flores gemmaſque bonorum deſideriorum protrudunt. Quoniam ergo hoc putationis tempus eſt, ſurgamus à longo ac diuturno brumali ſomno, Surgamus inquam, & properemus. Nam quid amabò aliud eſt peccata ſua confiteri, quam vites putare? Qui.n. vitem, putat, is ſuperfluum amputat, & qui confitetur is peccatum in anima ſuperfluum reſcindit. At obſeruate mihi ſimiliter in hoc loco ſponſum cum dixiſſet. *Tempus putationis aduenit*, è veſtigio ſubiungere: *Vox turturis audita eſt in terra noſtra: vineæ florentes dederunt odorem ſuum.* Quo admonemur vt cum de vitium putatione ſermo inciderit, confeſtim turturis vocem debere exaudiri, hoc eſt gemitus, & ſuſpiria à corde partis ſuæ iacturam teſtificantia debere profundi. Vt enim turtur ſocio ſuo ortus ac viduatus nunquam de cætero aut viridi ramo inſidere aut limpidam aquam bibere perhibetur: ita cum tu animæ tuæ vineam putas, & peccata tua confiteris, turtur quædam eſſe debes ac pro crucifixi Ieſu ſponſi tui amore dolere. Quod ſi non feceris ac de peccatis tuis non dolueris, peſſimè mihi crede tecum agetur. Vt enim cum vites putatæ lachrymas emittunt, viuæ: cum autem nō emittunt, mortuæ exiſtimantur: Ita ſi tu poſt confeſſionem ac ſuperfluorum in anima tua putationem non ploras per contritionem peccatorum, parui confeſſionem facio. Sed nec hæc ſatis ſunt; vt enim à viribus putatis odor ac flos exigitur: ita niſi cōfeſſione facta emendationis odor, & ſpiritualis profectus propagines ac ſurculi omninò nulli appareant, ſignum eſt palmites ſuccum amiſiſſe. Quin ſicuti putata vite, & calore ſuperueniente palmites ſurculos non protrudere conſpicentes mortuos illos eſſe ferimus: ita nihil prodeſt in cōfeſſione peccata ſua deplorauiſſe, niſi virtutum flores ac ſanctarum actionum fragrantia illam ſubſequatur. Quod autem naturalium rerum Scriptores de flore vitis perhibent, eum videlicet odore ſuo inſecta, & ſerpentes pellere idem planè locum hic habet. Si.n. ſcire cupias vtrum virtutum aliquis odor animam tuam inſideat, conſidera vtrū peſtilentia peccata ab illa abſint, & vtrum venenatæ delinquendi occaſiones exultent. Si.n. iſtiuſmodi adhuc inſe-

ćta in anima tua deprehendis, certum eſt vites illius necdum floruiſſe, at ſi eæ necdum floruerunt, quid aliud ſequitur quam mortuas illas eſſe? Væ tibi, ô anima, quæ poſtquam putata eſt vita carere inueniris! Nunc quamuis quæ ad Vinitores ſeu operarios rectè inſtituendos pertinent explicata videantur, libet tamen aliud adhuc monitum annectere, quod D. Bern. in omnibus Verbi Diuini Miniſtris Auditoribus ſuis cupit ac optat inculcari. *Admonendus eſt vnuſquiſq; de vinea ſua*, inquit S. ille Doct. *quis.n. omnia ſuperflua à ſe reſecauit, vt nihil ſe habere putet putatione dignum? Credite mihi, & putata repullulant, & effugata redeunt, & reaccenduntur extincta ſopita denuò excitantur.* Vnde hanc concluſionem ſubinfert. *Parum eſt ſemel putaſſe, ſæpè putandum eſt, imò ſi fieri poteſt ſemper, quia ſemper quod putari oporteat, inuenit.* Experiũtur hoc omnes illi qui ſe acriùs mortificare didicerunt: licet enim illi animas ſuas purgare emundareq; non deſinant, attamen circa quod occupentur ſemper inueniunt: repullulantibus continuò prauis inclinationibus, ac peruerſis deſiderijs, & appetitibus ad inſtar Lerneæ Hydræ ſibi inuicem ſubnaſcentibus. Experiuntur hæc inquam illi, & Deus vnus omnium exactiſſimè nouit quantum iſtiuſmodi ab ijs differant qui non niſi ſemel in anno vites ſuas putare conſueuerunt. Qui.n. continuum contra peccata bellum gerunt, ij quamuis ſicut, & alij paſſiones experiantur, attamen rationi illas ſubiecerunt, & ideò in ijs edomandis difficultatem propè nullam ſentiunt. Verum alij vſu ac conſuetudine eas efferaci ac in modum immanium beſtiarum indies magis magiſque extimulari deprehendunt. Agite proinde Chriſtiani mei, putate mihi non raro conſcientiarum veſtrarum vites, frequentate Sacramenta, cogitate quam ſtrictam rationem reddituri ſitis, quando Paterfamilias fructus recepturus aduenie: non obliuiſcentes ignem ſempiternũ eſſe in quem aridi ac inutiles palmites conijcientur.

Serm. 58 ſuper Can.

Et peregrè profectus eſt. Quotieſcumque verò Euangelica Hiſtoria Deum hominibus bona ſua impertiuiſſe commemorat, hoc loquendi genere, & phraſi vtitur, non vt oſtendat Deum corporaliter loco ceſſiſſe aut ſemel abſentauiſſe. Nam cum ſecundum infinitam naturam neceſſario ille omnia compleat, puta per eſſentiæ præſentiæq; ſuæ immenſi-

Abſentia Dei quo modo intelligẽda.

menſitatem, impoſſibile planè eſt locũ aliquem dari quo ille ſe recipere, aut vbi ſe abſentare poſſit. Dum itaque dicitur Deum poſt beneficia ſua in nos collata abiſſe aut peregre profectum eſſe, oſtenditur eum libero noſtro arbitrio nos reliquiſſe, ac quidlibet de bonis ſuis ſtatuendi ius voluntatemq; permiſiſſe. Quamdiu enim is nobis aſſiſtit, & quidam velut laboris ac operis noſtri arbiter, & inſpector eſt, non videntur, inquit Beda, operarij in plena libertate eſſe, præſumitur .n. eos plus propter Heri pręſentiam quã propter amorem quo erga illum feruntur laborare. Cum præſertim Deus non in timore ſicuti mancipia, ſed in libertate illi nos velit inſeruire: *Non enim accepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterum in timore*, inquit S. Paulus, *ſed ſpiritum filiorũ Dei in quo clamamus, Abba, pater.* Ac ſi dicat: Spiritus noui Teſtamenti quem Chriſtus generi humano in filij ſui aduentu nobis communicauit, nõ eſt ſpiritus ſeruitutis, qualem lex vetus habebat, ſed ſpiritus filiorum Dei, per quem illum liberè patris nomine poſſumus appellare. *Itaque iam non ſumus ancillæ filij, ſed liberæ, qua libertate Deus nos donauit*; inquit idem Apoſtolus. Poſtquam videlicet litro Redempt. noſtri in libertatem aſſerti ſumus, deſijmus eſſe filij ſeruitutis, ſicut Iſmael, &c. cæpimus eſſe liberi velut Iſaac. Hoc autem non naturæ beneficium eſt, ſed gratiæ, quippe cum Deus non niſi per mortem ac merita vnigeniti ſui filij in libertatem nos vindicarit. Vnde Dei miſericordia colligi æſtimarique poteſt, cùm enim nos filios inæſtimabili ſanguinis ſui litro redemiſſet, ipſe poſtea parens ceu filios in poſſeſſionem ſempiternæ hæreditatis admiſit. Vult ergo Deus vt illi ex animo ſeruiamus, non autem ad oculum quemadmodum operarij quos in Heri præſentia ſtrenuè laborare conſpicias, aut ſicut pueri qui quoad Ludimagiſtrum vident, librum manibus tenent, eundem poſtea ſub ſcamnum abijcientes ſimulac ille dorſum verterit, ſed veluti filij qui diſcretione vtentes ex amore cũcta perficiunt. Atq; hinc eſt quod ſubinde ſe abſentat, quò, libertte maiore nobis indulta liqueat quo animo potiſſimũ illi miniſtremus, & vtrũ ex ſolo amore illi ſeruiamus. Intelligebat hoc præclarè ſponſa in Cãticis, quæ etſi tenerrimè ſpõſum ſuũ diligeret, identidem tamẽ dicebat: *En ipſe ſtat poſt parietem noſtrum, reſpiciens per feneſtras, proſpiciens per cãcellos.*

Rom. 8.

Gala. 4.

Cant. 1.

Dicat, inquit, ſponſus meus quod vult, etſi enim me probaturus ſe abſentet ac longius etiam diſcedere ſimulet, noui tamen ego, quod eſt parietem actiones meas obſeruet, & inſtar Zelotypi quid faciam vel quid non faciam diligentiſſimè exploret. Cæterum hac doctrina, & conſideratione inſtructi ei non mancipiorum inſtar in timore, ſed veluti filij cum amore, ac reuerentia inſeruire illi debemus: cogitantes continuò nos in optimi patris præſentia verſari, qui conſtantiam noſtram probaturus *peregrè profectus eſt*.

Cum autem tempus fructuum appropinquaret, &c. oſtendit hic animarum noſtrarum Seruator ac Sponſus Ieſus Chriſtus vinitorem legitimo tempore appropinquante fructus qui exigerent ablegauiſſe. Vnde duo præcipuè nobis non equidem parui ponderis ac momenti conſideranda ſunt. Primum eſt vt videamus quodnam tempus illud ſit quo fructus colligi ac refundi conſueuerunt Secundum eſt, vt conſideremus, qualeſnam fructus vinitor à vinea ſua exigat, ac præſtoletur. Ad primum quidem quod attinet dico quodlibet humanæ vitæ tempus, & vnamquamque ætatem fructibus ferendis aptam idoneamque eſſe, dicente S. Paulo: *Dum tempus habemus operemur bonum ad omnes*, abſque tempore enim laborare nō poſſumus, & erit aliquando quando laborare volentibus non licebit. Atque hoc mihi Apocalypticus ille Angelus demonſtrauiſſe videtur, qui *Leuauit manum in celum, & iurauit per viuentem in ſæcula ſæculorum, quia tempus non erit vltra*. Hoc autem iuramentum in iudicio Vniuerſali in omnibus hominibus implebitur, quando videlicet tempus quod hominibus ad benefaciendum conceſſum erat, à gloriæ aut pœnarum æternitate abſorbebitur: tametſi in hora mortis ſigillatim in vnoquoque implendum ſit, ex eo enim articulo tempus merendi aut fructus ferendi exſpirabit. Vnde præclarè conſequitur quodlibet diurnum nocturnumue punctum iam inde ex eo tempore quo primum homo ratione vti conſueuit, aptiſſimum ad fructus ferendum eſſe. Neque enim momentum vllum eſt in quo vitam non amittere valeas, & ſupremi Iudicis tribunali ſiſti non poſſis, exactiſſimam illic de fructibus quos in Dominica vinea protuliſti rationem redditurus. Mirari itaque nonnunquam ſoleo quomodo

Ad Gal. 6.

Cap. 10.

modo homo non continuò in vinea iſthac laborare velit, ſciens adeò ſtrictam laboris à ſe rationem exactam iri. Ad ſecundum autem quod attinet dico fructus quos ferre nos oportet, & quorũ ratio à nobis repoſcetur, diuinorum mandatorum obſeruationem, ac Chriſtiano homine dignarum virtutum exercitium eſſe. Et quoniam ſingula legis capita ac præcepta ad Charitatem veluti ad primam ſuam originem reducuntur, Deo hunc ante omnia nos producere fas eſt. Hinc S. Auguſtinus docet Chriſtum, cum ad Apoſtolos ſuos diceret: *Ego elegi vos, & poſui vos vt eatis, & fructum afferatis, & fructus veſter maneat.* nihil aliud per fructum niſi charitatem intellexiſſe, *quam definit Apoſtolus*, inquit idem S. Doctor, *de corde puro, de conſcientia bona, & fide non ficta.* Atque ex hac deinde Charitate innumeræ aliæ virtutes à D. Paulo procedere promanareque perhibentur, vt *Gaudium, Pax, Longanimitas, Benignitas, Bonitas, Fides, Manſuetudo, Continentia, & Caſtitas.* *Trac. 87 ſuper Io.* *1. Tim. 1* *Gal. 5.*

Quamuis autem neque Beatus Auguſtinus, neque Scriptura ſacra confirmarent fructum illum quem Seruator noſter exigit charitatem eſſe, attamen quia Eccleſia vineę comparatur, facilè omninò idipſum conijcere poſſumus. Etenim cum virtus illa duos reſpiciat Deum videlicet, cui nos vnit, & proximum cui benefacere docet, vtrumq; pulcherrimè in vinea nobis repræſentatur. Ac primus quidẽ, puta Dei reſpectus in palmitum, ac vitis à qua illi vitam, & ſanguinem trahunt vnione repreſentatur: alter autem in pampinorum correſpondentia exprimitur; quæ ſicut D. Baſilius obſeruat, pulcherrimum Charitatis ſymbolum eſt. Quid enim iucundius eſt quam videre pampinos illos inuicem ſe amplexari, ſicq; alterum alterius defectum ſupplere? tum cernere vt ille frugibus onuſtus ſit, ille autem folijs abundet. Huc ergo Paulinum illud referendum eſt: *Alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti.* Porrò præter hæc admiranda pulcherrimaque ſimul cœleſtis Charitatis ſymbola, alia adhuc à S. Baſilio adferũtur, dum ait: Vidiſtis ne aliquando clauiculos illos quibus palmes palmiti arctiſſimè coniungitur atque innectitur? Obſeruaſtis ne aliquando etſi parui, & exiles ſint, fortiſſimos tamen eſſe, ita vt non niſi magna vi, aut cultro in palmites adacto poſſint diuelli? Ita ergo & vos quando Charitatis vineaſymbolum. In Hexamero *Gal. 6.*

mediante charitate inferiore cum proximis copulamini: quando folijs verborum veſtrorum, ſicut pampinos facere videmus, aliorum peccata legitis: quando fructibus veſtræ abundantiæ alienæ neceſſitati ſubuenitis, prout palmites ſibi coniunctos facere conſpicitis, tunc inquam veros Charitatis fructus progignitis, & digni efficimini qui palmites Dominici audiatis. Clauiculus ille quo palmes palmiti connectitur, quid amabò aliud eſt quam Charitas? Ita
Col. 3. enim Apoſtolus illam appellat dicens: *Super omnia autem hæc Charitatem habete, quod eſt vinculum perfectionis.* Et alibi: *Quis nos ſeparabit à Charitate Chriſti? An perſecutio? An gladius?* Quoties itaque propter vnicum verbulum, propter quinque ſolidos, aut denique propter lanam caprinam, inter Chriſtianos amicitias diuelli conſpicio, quid amabò aliud conſtituere poſſum, quam eos non perfecto Charitatis vinculo fuiſſe colligatos? Agite proinde Chriſtiani mei, amate imprimis Ieſum Chriſtum ac poſtea proximos veſtros: ad hæc enim duo puncta omnis fructus quem Seruator noſter à vinea ſua repoſcit reducitur. Nam qui Deū amat, is primæ tabulæ præcepta ſeruabit, non abutendo Diuino nomine, neque in diebus feſtis ſeruile, ac mechanicum aliquid faciendo. Qui autem proximum ſuum diligit, is ſecundæ tabulæ legem implebit, honorando ſuperiores, non occidendo, non mentiendo, non denique alterius bonis oculum adijciendo. Ob eandem verò planè cauſam Seruator noſter dixit ab his duobus præceptis legem, ac Prophetas dependere, qui enim hæc accuratè obſeruat, is omnia reliqua adimplet, producens in hac vita fructum gratiæ, vt in altera gloriæ viciſſim fructus conſequatur.

CON-

CONCIO DECIMA OCTAVA PRO SABBATO POST DOMINICAM Reminiſcere.

Homo quidam habuit duos filios, &c. Luc. 15.

CONtra voluntatem equidem eſt quod hodierno præſertim die de Dei miſericordia Euangelium me dicere cogit atque compellit. Quoties enim conſidero quemadmodum plerique peccatores tantò amplius, ac liberius malè agendi viam inſiſtant, quantò maiorem diuini nominis miſericordiam bonitatemque eſſe intelligunt, toties ego non niſi inuitus ad eā declarandam explicandamq; accedo. Quis enim non ſtomachetur videns eo nonnullorum dementiam prorupiſſe, vt theriaca pro toxico abutantur? Quæ etſi ita ſunt, ego tamen neceſſario ad hanc materiā hodierno die mihi deſcendēdum eſſe video, quod & Euangelium vniuerſum miſericordiam ſpirat, & Dauidicum illud in eo euidentiſſimè comprobatur: *Miſerationes eius ſuper omnia opera eius*. Quæ verba non eo tantum ſenſu accipienda ſunt, quod videlicet hæc virtus omnes antecellat, quam ob cauſam quoque oleo omnibus reliquis liquoribus innatanti comparatur: ſed intelligēdum ſciendumque iuxta eſt hanc omnium diuinorum operum arbitram moderatricemq; eſſe. Vt ergo optimatum quiſpiam ſplendidum ac ſumptuoſum ædificium extructurus, rem ac curam omnem ſedulo & prudenti alicui artifici committit, eumque operi vniuerſo præficiens quæ neceſſaria ſunt à non alio quam ab illo dari conſtituit: Ita Dei miſericordiam omnibus reliquis illius operibus præficimus, quia nimirum in omnibus Deo aſſiſtit, quia nihil non per illius manus nobis porrigitur, & quia omnia in non alia quam in illius cancellaria deſcribuntur. Cum itaque Deus me punire caſtigareque vult, adeſt confeſtim Miſericordia, *Pſalm. 144.*

&

Abacuc. 3. & pænę modum præſcribit, iuxta Propheticum illud: *Cum iratus fueris, miſericordiæ recordaberis*, quo videlicet punitio per illius manus tranſiens leniatur ac moderetur. Rurſus cum Deus iuſtitiæ telum in caput id tuum ei iaculaturus corripit, ac in ſolentiam illo tuam caſtigaturus, tum verò illicò miſericordia ſuperuenit, & iaculum ita acuit, vt non tam mortem adferat letaleque ſit, quam vt noxium ſanguinem extrahat, & animæ medeatur. Similiter ſi quando Deo vſum eſt ferreis propter peccata compedibus nos onerare, auuolat extemplo Miſericordia, catenaſque in funiculos commutans, è lethargico peccato ſomno nos excitat, & periculo mortis ſempiternæ ſubtrahit atque ſubducit. Quem necubi fortaſſis Miſericordia deſiderari dicere poſſis, ecce ab ipſo inferno non exulat, quippe vbi Deus ſontes & condemnatos iuxta omnium Doctorum ſententiam *citra condignum* punit atque caſtigat; id eſt minore cum rigore ac ſeueritate in deſperatorũ peccata ſceleraq; animaduertit. Quamuis autem diuina miſericordia in tenebroſo illo Inferni baratro clariſſimè eluceſcat, neſcio tamen quo pacto amplius ac manifeſtius in terra ſpectatur, cum præſertim infirmitates ſuper illam dominantes auxilia non reſpuant, medicinamq; admittant. Vnde etiam vt opinor cauſam intelligitis quare Deus nullum publicum ſaltem Iuſtitiæ in terris tribunal erigens. Clementiæ tamen ac miſericordiæ conſiſtorium ſibi aliquo putauerit eſſe aperiendum. Notum enim eſt Moyſi illum iniunxiſſe quatenus propitiatorium aut locum vbi miſericordiã ſuã exerceret, ædificaret: hoc ipſo niſi fallor indicaturus ſoli terræ clementiæ ac benignitatis illam virtutem præſidere. Hinc Propheta Eſaias dicit filio Dei incarnato miſericordiæ thronum præparatum iri. *Cap. 16.* *Præparabitur in miſericordia ſolium eius*; idcircò enim in terram deſcenſurus erat, vt illic miſericordiam ſuam erga homines exerceret. Hæc omnia quam nobis ad viuum hodierni Euangelij de filio prodigo fabula repræſentet, quiſquis paulò attentius illam conſiderarit, extemplo intellecturus eſt Dicitur enim quod minus natu inter duos fratres hæreditatem ſuam a patre poſtularit. Hanc autem illico dare, ne ſtultæ iuuenantis petitioni refragari, quis non imprudentia plenum exiſtimauiſſet; Et fuit nihilominus excellens ac præclarum opus miſeri-

ſericordiæ: ſi namq; filius ille continuò in domo paterna habitauiſſet, nequaquam ſeipſum cognoſcere aliquãdo potuiſſet. Sequitur autẽ eum domo paterna digreſſum, breui temporis ſpatio omnia decoxiſſe. Hoc aũt quid aliud ſapit quã miſericordiã? Etenim ſi pecunia nũquã illũ defeciſſet, diutius imò ſemper in peccato tuo perſtitiſſet, Deum ergo & poſtea fame affligeretur, inedia extenuaretur, & ab omnium rerum penuria peſſimè acceptus nudus obambularet, quid amabò aliud quam miſericordiam expertus eſt? Niſi.n.aliquid ſuſtinuiſſet, nunquam ad paternæ domus ſolatia turpiter à ſe prodita recogitauiſſet. Vnde niſi etiã poſtea in haram porcorum cuſtodiam habiturus retruſus nõ fuiſſet, nũquam ad patrem redijſſet, ac veniam in genua prouolutus ab illo poſtulauiſſet. Ex quibus omnibus illud demum efficitur vt luce meridiana clariùs ſit, Miſericordiã Domini ſuper omnia opera eius eſſe. At videte quid ſequatur; vix pedẽ filius domui impoſuerat, cũ ecce tibi ipſe parens confeſtim prouolat, ac inter lacrymas ſupplicem ſibi exoſculatur, nudo veſtem inijcit, veterem ſtolam imponit, vitulum ſaginatum mactari, ac ſolenne feſtũ iubet apparari. Hæc autem omnia quid ſodes aliud ſunt quã quædã velut vmbræ ac ſimulachra miſericordiæ diuinę; Benedicta ſint paterna illa viſcera, & ſupremi numinis ſuprema clementia. Quis iſtiuſmodi Patrem non amet aut diligat? Agite peccatores, agite filij prodigi, Pater ille brachia adhuc nos amplexaturus expandit, modo nos peccata noſtra confitentes miſericordiam illius imploremus. Hanc nos efflagitemus, hanc petamus, hanc poſtulemus, niſi aliquãdo in Iuſtitiæ diuinæ manus cadere deuenireq; malimus.

Et dixit adoleſcentior Pater, &c. Ecce vobis hic minimum natu inter duos fratres altero diſſolutiorem hæreditatem ſuam à patre repoſcentem, vt videlicet eam indeptus peregrè abeat ac negocietur. Quæ malum, dementia iſta eſt ô adoleſcens? Nũquid aliquid in paterna domo tibi aut deeſt aut diſplicet? Quid te ex illa eijcit, extrudit, atque expellet? Libertatis nimirum appetitus ac libido, quæ vnicè ad iuuentutem corrumpendam ac in omne flagitiorum genus ab honeſtate tranſuerſum agendam inuenta eſt. Hinc dum adoleſcentes à patrum conſilijs dependere, dum aliorum ſalutaribus monitis acquieſcere, dum diſſo-

diſſolutorum ſuorũ morũ cenſorem & Catonẽ habere indignantur: dũ in malè agendi inſtituto ſe retardari, nocturnas graſſationes, diurnas inambulationes, & ſuſpecta conſortia ſibi interdici dolent, velis remiſque ad libertatem contendunt, ac non aliter quam ex piſtrino aliquo mancipium, ita illi ex paterna illa cuſtodia liberari emigrareque exoptant: non aduertentes interim in deſideriorum ſuorum ſatisfactione mortem conſiſtere, iuxta illud. *Quaſi* Prou. 7. *auis feſtinat ad laqueum*, inquit Spiritus S. de præcipiti adoleſcente loquens, *& neſcit quod de periculo animę eius agitur* Quis amabò ex vobis Audit. domi ſuæ auiculam alit, & pulcherrimæ huius allegoriæ ſiue ſimilitudinis ſenſum non intelligit? Quis inquam domi ſuæ in cauea auiculam alens, eam non quam optimè lautiſſimeque tractat, recentem continuò aquam illis effundit, caueam repurgat, lintrem mundat, eam ſub veſperam ſub tectum defert ne ab aeris nocturni peſtilentia, aut frigoris inclementia enecetur, manè autem ſub dio illam conſtituit iucundiſſimè ſemel exhilaraturam? Quis denique illam non loco ſublimi ſuſpendit ne à ſole occidatur? Quis non mille blãditijs, fiſtulis, & acclamationibus illam demulcet? Cum tamen illa omnium harum rerum pertæſa aſſiduè in caueæ obuolitat, & roſtro carceris ſui clathros perfringere, ac libera euolare conatur Quid agis auicula quid moliris, quid incipis? An ergo alibi melius tibi futurum arbitraris? Nimirum libertatem petis & caueæ includi indignaris: neſciens interim quod de periculo animæ tuæ agatur. Poſtquã autem caueæ effracta liberum nacta volatum aliquamdiu circumuolitaris, tũ verò aucupis reti illaqueata, plumas ac collum ſimul amittes: hòc ipſo verãm filij prodigi imaginem nobis exhibitura. Vos verò præcipites ac temerarij ſepænumerò adoleſcentes vel ab hoc exemplo ſapere diſcite. Vbi amabò melius vobis eſſe poteſt, quam in domo paterna? Vbi molliùs dormietis, alacriùs ſurgetis, & delicatius habebimini? An non intelligitis ideò tempeſtiuè ſub veſpertinum crepuſculum domum vos compelli, ne videlicet vna cum ficedula ſub dio pendente pereatis? Quid aliud eſt domi de nocte continere, quam ab innumeris periculis inquæ incidere poſſetis vos præſeruare? At fruſtra ſum: libertatis enim libido & appetitus ad præcipi-

tium

tium vos deducit. Hic primum filium prodigum ac deinde innumeros alios perdidit, qui cum bona quibus fruebantur non intelligerent, domos paternas turpiſſimè deſeruerunt. Horum vos mihi exemplò ſapite, niſi eandem miſeriam incurrere mauultis. Quod ſi neque aliena mala, neque ipſum Prouerbium, quod ait Bona nos noſtra non æſtimare niſi deperdita, vos mouent, currite ſanè cum filio prodigo quo libet, facilè namq; ad extremum omnium bonorum naufragium paſſi dementiam veſtram ibitis accuſatum. Atque in hoc ſenſu qui Canticorum illud intelligant non paucos reperies: *Si ignoras te*, inquit ſponſus, *ò pulcherrima inter mulieres, egredere & abi poſt veſtigia gregum tuorum, & paſce hædos tuos iuxta tabernacula paſtorum*. Si, inquit, Sponſa mea bona quibus apud me frueris non intelligis, egredere ſanè audacter, & ſequere mundanorum tuorum veſtigia, qui ad inſtar gregum in viridibus mundi huius pratis laſciuiunt. Egredere ſanè, & vix egreſſa dices: *Reuertar ad virum meũ priorem, quia bene mihi erat tunc, magis quã nunc.* Mihi credite Chriſtiani ſi vnicã micã panis in domo Dei, ſi vnam guttam deliciarũ diuinarum, ſi denique conſcientiæ pacem ac tranquilitatẽ aliquãdo experti fuiſſetis, quam Spiritus S. *iuge conuiuium* appellat, nunquam vos ab illa abſentaretis, & verò euidentiſsimè differentiam quæ inter Dei ac mundi dona eſt intelligeretis. An ergo non audiſtis quid Nepoti huic Euangelico acciderit? Nunquam mihi ille credite toties domum ſuſpiraſſet, nunquam ad patrem redire conſtituiſſet, niſi bonorum præteritorum recordatus fuiſſet. Aſſuefacite proinde & vos Audit. mei liberos veſtros ad virtutum exercitia, hauriant mihi cum lacte materno fidei rudimenta, diſcant à teneris vnguiculis ſacramenta frequentare: poſtquam enim ſemel tantum cœleſtem dulcedinem deguſtarint, etſi poſtea tranſuerſum abeant, facere tamen non poterunt quin præteritorum bonorum memoria extimulati ex interuallo virtutem repetant ac in optimi parentis domum reuertantur.

Cant. 1

Oſe. 2.

Sequitur autem in Euangelio Prodigum illum congregatis omnibus, non poſt multos dies peregrè profectum fuiſſe: timebat enim credo ne optimi patris conſilia, ne matris lachrymæ, aut fratrum preces à propoſito ipſum abſtinerent. Vnde *profectus eſt in regionem longinquam* vbi ab omnibus

diſſolutorum ſuorū morū cenſorem & Catonē habere indignantur: dū in malè agendi inſtituto ſe retardari, nocturnas graſſationes, diurnas inambulationes, & ſuſpecta conſortia ſibi interdici dolent, velis remiſque ad libertatem contendunt, ac non aliter quam ex piſtrino aliquo mancipium, ita illi ex paterna illa cuſtodia liberari emigrareque exoptant: non aduertentes interim in deſideriorum ſuorum ſatisfactione mortem conſiſtere, iuxta illud. *Quaſi*
Prou. 7. *auis feſtinat ad laqueum*, inquit Spiritus S. de præcipiti adoleſcente loquens, *& neſcit quod de periculo animæ eius agitur* Quis amabò ex vobis Audit. domi ſuæ auiculam alit, & pulcherrimæ huius allegoriæ ſiue ſimilitudinis ſenſum non intelligit? Quis inquam domi ſuæ in cauea auiculam alens, eam non quam optimè lautiſſimeque tractat, recentem continuò aquam illis effundit, caueam repurgat, lintrem mundat, eam ſub veſperam ſub tectum defert ne ab aeris nocturni peſtilentia, aut frigoris inclementia enecetur, manè autem ſub dio illam conſtituit iucundiſſimè ſemel exhilaraturam? Quis denique illam non loco ſublimi ſuſpendit ne à ſole occidatur? Quis non mille blāditijs, fiſtulis, & acclamationibus illam demulcet? Cum tamen illa omnium harum rerum pertæſa aſſiduè in cauea obuolitat, & roſtro carceris ſui clathros perfringere, ac libera euolare conatur Quid agis auicula quid moliris, quid incipis? An ergo alibi melius tibi futurum arbitraris? Nimirum libertatem petis & caueæ includi indignaris: neſciens interim quod de periculo animæ tuæ agatur. Poſtquā autem cauea effracta liberum nacta volatum aliquamdiu circumuolitaris, tū verò aucupis reti illaqueata, plumas ac collum ſimul amittes: hòc ipſo verām filij prodigi imaginem nobis exhibitura. Vos verò præcipites ac temerarij ſepænumerò adoleſcentes vel ab hoc exemplo ſapere diſcite. Vbi amabò melius vobis eſſe poteſt, quam in domo paterna? Vbi molliùs dormietis, alacriùs ſurgetis, & delicatius habebimini? An non intelligitis ideò tempeſtiuè ſub veſpertinum crepuſculum domum vos compelli, ne videlicet vna cum ficedula ſub dio pendente pereatis? Quid aliud eſt domi de nocte continere, quam ab innumeris periculis inquæ incidere poſſetis vos præſeruare? At fruſtra ſum: libertatis enim libido & appetitus ad præcipitium

tium vos deducit. Hic primum filium prodigum ac deinde innumeros alios perdidit, qui cum bona quibus fruebantur non intelligerent, domos paternas turpiſſimè deſeruerunt. Horum vos mihi exemplò ſapite, niſi eandem miſeriam incurrere mauultis. Quod ſi neque aliena mala, neque ipſum Prouerbium, quod ait Bona nos noſtra non æſtimare niſi deperdita, vos mouent, currite ſanè cum filio prodigo quo libet, facilè namq; ad extremum omnium bonorum naufragium paſſi dementiam veſtram ibitis accuſatum. Atque in hoc ſenſu qui Canticorum illud intelligant non paucos reperies: *Si ignoras te*, inquit ſponſus, *ò pulcherrima inter mulieres, egredere & abi poſt veſtigia gregum tuorum, & paſce hados tuos iuxta tabernacula paſtorum*. Si, inquit, *Cant. 1* Sponſa mea bona quibus apud me frueris non intelligis, egredere ſanè audacter, & ſequere mundanorum tuorum veſtigia, qui ad inſtar gregum in viridibus mundi huius pratis laſciuiunt. Egredere ſanè, & vix egreſſa dices: *Reuertar ad virum meũ priorem, quia bene mihi erat tunc, magis quã nunc*. *Oſe. 2.* Mihi credite Chriſtiani ſi vnicã micã panis in domo Dei, ſi vnam guttam deliciarũ diuinarum, ſi denique conſcientiæ pacem ac tranquilitatẽ aliquãdo experti fuiſſetis, quam Spiritus S. *iuge conuiuium* appellat, nunquam vos ab illa abſentaretis, & verò euidentiſsimè differentiam quæ inter Dei ac mundi dona eſt intelligeretis. An ergo non audiſtis quid Nepoti huic Euangelico acciderit? Nunquam mihi ille credite toties domum ſuſpiraſſet, nunquam ad patrem redire conſtituiſſet, niſi bonorum præteritorum recordatus fuiſſet. Aſſuefacite proinde & vos Audit. mei liberos veſtros ad virtutum exercitia, hauriant mihi cum lacte materno fidei rudimenta, diſcant à teneris vnguiculis ſacramenta frequentare: poſtquam enim ſemel tantum cœleſtem dulcedinem deguſtarint, etſi poſtea tranſuerſum abeant, facere tamen non poterunt quin præteritorum bonorum memoria extimulati ex interuallo virtutem repetant ac in optimi parentis domum reuertantur.

Sequitur autem in Euangelio Prodigum illum congregatis omnibus, non poſt multos dies peregrè profectum fuiſſe: timebat enim credo ne optimi patris conſilia, ne matris lachrymæ, aut fratrum preces à propoſito ipſum abſtinerent. Vnde *profectus eſt in regionem longinquam* vbi ab omnibus

nibus agnatis & familiaribus ſemotus liberrimè viueret, nullum penitus de ſe nuntium ad ſuos perferretur. Ex quibus omnibus intelligere eſt eum effrenata voluntate ac libero arbitrio ſolutiſſimo atque ex lege vſum fuiſſe.

Congregatis omnibus. Poſtquam ea omnia quæ à parente ſibi ſuo indulta erant, conuaſaſſet, illicò in viam ſe dedit, Salomoni adſtipulaturus, qui ait magnum ſe malum ſuper
Eccl.5. terram vidiſſe, nimirum *Diuitias conſeruatas in malum Domini ſui*; & alterum etiam illud confirmaturus. *Multos per-*
Eccl.3. *didit aurum & argentum*.

Videte mihi nunc adoleſcentulum illum à pecunia probè inſtructum nullo comite & intrepidè iter ſuum ingredientem: cogitate geminas illas alas quibus antea auiculã caueę incluſam auferri auolareque dicebamus, aliud nihil eſſe quam libertatem per quam omnia appetit, & pecuniã quã omnia coemit. Nam libertas ipſa ſæpenumerò dum pecunia deſtituitur, coercetur, ac libidinibus affectibuſq; ſuis indulgere non poteſt; Pecunia verò libertate orbata ab ijs etiam quæ appetitus ardet ac deſiderat deſtituitur. Hinc adoleſcens liber ac inops, vel locuples & non liber, auis quædam eſſe videtur quæ quoniam vnicam tantum alam habet, volare & quo lubet abire non poteſt. Si verò neutro deſtituetur, quis illum coercere, quis retinere valebit? Quid non aggredietur? Omnia tentabit, ac ſingula experietur. Quotquot ergo parentes liberos ſuos perdi ac peſſum iri nolunt, quotquot ijs rectè conſulere cupiunt, hi non minore ſaltem cura in ijs gubernandis vtantur, quam in auiculis caueæ incluſis alendis adhiberent: Eripiant illis pernicioſam illam libertatem, deplument nonnihil illos, ac alas ad volatum expeditas truncent & mutilent.

Vnde ſapienter admodum parentes illi facere exiſtimandi ſunt, qui liberos domi continent, aut ſi ſubinde egredi atque exſpatiari illos contingat, Pædagogum & Magiſtrum morum illis aſſignant, qui veluti funiculi ſunt, quibus illi exorbitantes in rectè rationis gyrum reduci compellique rurſus poſſunt. Hos autem Arbitros ac Inſpectores qui alere habereque non poſſunt, ij ſaltem alas illis mutilent, pecuniamque omnem illis adimant, ne temere obuolitantes perniciem ſibi conſciſcant. Facit huc Danielis illa de quatuor animalibus viſio, quorum primum erat *quaſi leæna, &*

alas

alas habebat aquila: aſpiciebam donec euulſa ſunt alæ eius, & ſublata eſt de terra, & ſuper pedes quaſi homo ſtetit, & cor hominis datum eſt ei. Quibus verbis adoleſcens aliquis in libertate vitam degens,& à pecunia probè inſtructus nobis repræſentatur. Nam quid amabò iuuenis aliquis exlex ac liberrimè viuens, ſimulque ab alijs medijs probè inſtructus, aliud eſt quam Leæna quædam omnia ſubuertens, ſubruens atq; deglutiens? Aquilinæ autem alæ,quibus ille ad expeditè volandum ceu auis prædatrix inſtruitur, libertatem pecuniamque nobis repræſentant: quarum ope ac auxilio iuuentus perniciſſimo curſu ad ſordes, & voluptates ſuas fertur,& ad turpiſſima ſenſualitatis ſuæ flagitia abripitur. Porrò cur cæteræ aues ſi alas aut plumas illis euulſeris in terra decidant,cur Leæna illa alis orbata ac ſpoliata de terra fuiſſe ſublata perhibetur, niſi vt intelligamus melius hominem à terra abſtrahi, & per cogitationes cœlo infigi non poſſe,quam ſi pecuniarum libertatiſq; alæ illi mutilentur aut penitus euellantur? Hoc.n. ſi fiat,tum verò tu homines antehac porcorum inſtar in peccatorum ſordibus volutatos ſuperna ſapere,& beſtia exuta hominem induere videbis. Huius nobis pulcherrimum exemplum filius prodigus in hodierno Euangelio proponitur,qui cum geminas pecuniæ libertatis alas à patre ſuo accepiſſet, incæpit confeſtim volare *in regionem longinquam*, ac præda ſenſualitatis ſuæ *luxurioſe viuendo* inſidiari. Poſtquam autem ad pergræcandum requiſitis deſtitui, & alæ illi ad volatum neceſſariæ euelli inciperent, tum verò ipſe quoque mentem ad cæleſtia cogitanda eleuabat, quique antehac carnes, & carnalia deuorando Leænam egerat,hominem induebat: & qui hactenus ad inſtar Tygridis parentum monita contempſerat,nunc humano cor de accepto ad patrem ſuapte ſponte procurrit. Habetis hic damna in quæ incidunt,pericula quæ adeunt,quotquot in ætatis flore conſtituti pecuniã,& libertatem habent. Habetis hic viciſſim fructus ac vtilitates,quas omnes illi cõſequuntur qui geminas ſibi iſtas alas non aptauerunt. Agite proinde adoleſcentuli mei, cauete vobis ab extremis illis,& curate ne ab hac leuitate abrepti fuiſſe dicamini. Vos autem Patres vnum hoc agite vt geminas illas pecuniarum, & libertatis alas filijs veſtris ſtudioſiſſimè euellatis.

Et ibi.

Et ibi diſſipauit ſubſtantiam ſuam, &c. Diſſipauit in quam cum flagitioſis mulieribus non facultates tantùm ſuas, ſed etiam propriæ perſonæ ſubſtantiam. Notum enim eſt & ob quotidianam experientiam Sole meridiano clarius, libidinem non bona tantum, ſed ſanitatem etiam perdere ac peſſumdare. Intrate mihi pauliſper Noſocomion aliquod & quam à vero non abludam quamque vitium iſtud ſanitati officiat extemplo intelligetis. Explorate numerum illorum qui ſub *Cura* in calidis ac feruentibus hypocauſtis fricantur, vnguntur, imò coquuntur, & videbitis confeſtim ingentem adoleſcentum multitudinè macilêtorum, exanguium, ſcabioſorum; putridorum, ac mille Veneris ſtigmatibus ita inſignitorum ſolam vt ſibi pellem reliqua fecerint. Deum immortalem! quis pulcherrima iſta prata maligni ſideris afflatus ſic perdidit? quis iuuentutem lectiſſimam ſic corrupit, eius vires accidit, & graueolentibus iſtis morbis illam onerauit? Quis natiua ſua pulchritudine illos ſpoliauit, quis ad hos dolores eos emancipauit, quis vnctionibus ac frictionibus multis, imò innumeris vitam emunxit, ac ſpiritum demum elicuit? An non laſciuia, libido, & Venus, à qua mala vniuerſa promanant? Meritò ergo illa à S. Ioanne ap-
Cap. 31. pellatur *Ignis vſque ad perditionem deuorans, & omnia eradicans genimina.* Deuita mihi conſortium mulieris, inquit Spiritus S: *Et ne appropinques foribus domus eius: ne des alienis honorem tuum, & annos tuos crudeli, ne forte impleantur extranei viribus tuis, & labores tui ſint in domo aliena: & gemes in nouiſſimis quando conſumpſeris carnes tuas & corpus tuum.* Omnia iſthæc mala ex ſocietate & familiaritate cũ mulieribus promanant, quæ etiam melius euitare non potes quam ſi non appropinques foribus domus illarum. Legite mihi ſeptimum caput Prouerbiorum, & videbitis quibus artibus ac illecebris iſtiuſmodi mulierculæ adoleſcentes ineſcare dementareque conſueuerint. Atque hinc eſt quod Apoſtolus
1.Cor.6. exclamat *Fugite fornicationem*, ſi videlicet de illa triumphare cupiatis. Alio enim modo vitio huic reſiſtere velle, eſt in euidentiſſimum periculum vitæ ac victoriæ pariter amittundæ ſeſe conijcere. Vnde fuga iſta nihil minus quam ſordidam ac prauam animam arguit, ſed potius prudentiam prodit, cum præſertim hoſtis ei ſi reſiſtatur fortior plerunque robuſtiorque euadat. Ante omnia autem mihi conſidera-

ſideratè vitium iſtud bona abligurire,& hominem ſimul viribus ac ſanitate miſerrimè ſpoliare. Cauete proindè necubi vos blanda puellarum verba ; & iucundi Sirenum iſtarum cantus decipiant: quippe cum nihil aliud quam honoris veſtri iacturam,quam aurum veſtrum, quamque obſcænas ſuas voluptates conſectentur. Quod ſi mihi credere non vultis, pecunia vos deſtitutos ſimulate, & videbitis quam vobis non blandiantur ac adulentur. Videte num vel propter nobilitatem,vel ob doctrinam vos veſtrã ſint amaturi? Videte num Martialis à verò abluſerit.

Ipſe licet venias Muſis comitatus Homere,
Si nihil attuleris,ibis Homere foras,

Plures enim illæ vnum Craſum quam centum Homeros, pluris vnum auro onuſtum aſinum, quam elephantos ſub faſce ſcientiarum crepantes æſtimant. Hinc illarum ſitis non reſtinguitur, fames non ſedatur, petendi poſtulandique libido non ſatiatur. Benè ergo Sapiens in Prouerbijs: Tria ſunt inſaturabilia. *Infernus,& vulua, & terra quæ non ſatiatur aqua*, vbi per vuluam mulierem ſignificat,quæ hac velut peculiari nota à viro diſtinguitur. Ait ergo fœminam inſtar terræ, & inferni inſatiabilem eſſe, dum videlicet modo hoc, modo aliud, modo annulum modo veſtem,iam pretioſum vas, iam nouas voluptates, ac deniq; aliquando impoſſibilia petendi finem non facit. Vt.n.calida eſt ita quidquid ſibi placuerit confeſtim appetit,& noua continuò deſiderando,ſicut dixi,petendi poſtulandiq; finem ignorat. Hinc veteres meretricias illas Hierogliphico aliquo depictum hederam arborem amplexantem fingebant,ea namque illius vis eſt, vt complexu ſuo vitam arboribus exugat, & aridas ad extremum ſterileſque relinquat. Quantò ergo meliùs fuerat prodigo huic Nepoti Eccleſiaſticum audire: *Ne des fornicarijs animam tuam,ne perdas te,& hæreditatem tuam*, hæ.n.veræ ſanguiſugæ ſunt, quæ pecuniam, vitam ac ſanguinem mortalium incautis exugunt. Et quamuis Helluo ac pergræcator ille noſter hoc conſilium aſpernatus ad extremam miſeriam deuolutus fuerit,miſericordia tamẽ diuina illius oblita nõ fuit,ſed videns cum maxima eum penuria conflictantem, maxima annonæ charitate terrã in qua verſabatur afflixit, ſicq; geminas illis pecuniarũ libertatiſq; alas euulſit ac ſa-

Cap. 30.

Pli. lib. 16. cap. 39.

Eccl. 9.

niora conſilia, & cogitationes ſuſcipere cogit.

In ſe reuerſus dixit quanti mercenarij, &c. Philoſophorum maxima eſt *Cauſa contraria contrarios effectus producunt.* Vnde ſicut lætitia, & proſperitas hominem extra ſe rapiunt, ita afflictionibus proprium eſt eundem ad ſe reuerti, & de ſuis negotijs cogitare efficere. Quid autem eſt aliud extra ſe eſſe quam nimirum ad externum luxum affici, ac interiorum quæ animam concernunt obliuiſci? Carnis voluptates conſectari, & quæ ad Spiritum ſunt non curare? Etenim ſi anima, inquit Sanctus Auguſtinus potiùs eſt vbi amat quam vbi animat, dubium reuera nullum eſt eum qui mentem ſuam rebus externis infixerit, animum voluptatibus aut diuitijs adiecerit, non intra ſeipſum ſed in ijs rebus quas diligit eſſe. Atque hoc mihi celebris, & famoſus ille ſculptor Phidias ſignificare voluiſſe videtur, quãdo pulcherrima Veneris ſtatua efformata teſtudinem pedibus illius ſubiecit: indicaturus quemadmodum illud animal iuxta Ariſtotelem excors eſt, ita qui Veneri obediant. cor non habere, quippe cum id in rebus quas amant peremtque defixerint. Quod ſi laſciui illi Amatores corde carent ac extra ſe conſtituti ſunt, dubitari ſanè non poteſt Prodigum illum noſtrum ne atomum quidem cordis habuiſſe, ſiquidem adeò licenter amoribus fœminarum indulgebat, & ſenſualitati ſe ſuæ emanciparat. Vnde aliud remedium adoleſcenti ad ſe redeundi, & cor deperditum recuperandi non erat quam perditionis ſuæ cauſas, id eſt mulieres deinceps relinquere. Has autem quomodo illi eripuiſſes, ante niſi crumenam euacuauiſſes? Et quis hoc loco Dei miſericordiam non animaduertit, dum ea prodigo, & ſtulto adoleſcenti eripit, quibus pernitiem ſibi ac mortem etiam conſciſcebat. Hinc pecunia deſtitutus ; bonorum quibus in domo paterna affluebat recordabatur eaque memoria acerrimè extimulatus ad eandem redire conſtituit. Mihi credite magnum hoc miſericordiæ Dei iudicium eſt, quando ea quibus corrumpimini vobis eripit, ijsq; ſublatis viam ad voſmet redeundi benignus vobis præſignat. Dum ergo Dauid ait: *Quia non relinquit Dominus virgam peccatorum ſuper ſortem iuſtorum, vt non extendant iuſti ad iniquitatem manus ſuas;* quid aliud ſequitur quam Deum miſericordia ſua nos dignari, quando ea nobis eri-

Pſ. 124.

bis eri-

bis eripit quibus, veluti catenis quibuſdam ne ad illum rediremus ligari nos deprehendit? Iam ſicut Coruus à Noe ex arca dimiſſus vt vtrum diluuium ceſſaſſet intelligeret, cadauere inuento non redijt; ita columba *cum non inueniret vbi requieſceret pes eius, reuerſa eſt in arcam.* Quod ſi eadem locum ſimiliter inueniſſet, vtique cum coruo ad arcam nunquam redijſſet. Ita peccatores quoad libidinum ſuarum, & appetituum inordinatorũ pabula inuenire poſſunt, de Deo non cogitant: ſimulac autem illis ſanitatem Deus in qua confidebant, voluntates quas perſequebantur, diuitias in quibus ſperabant, ac reliqua omnia in quibus dulciſſimè conquieſcebant, eripit, tum verò in ſe reuerſi quid fecerint, quidue facto opus ſit intelligere incipiunt. Eodem planè modo prodigus noſter Nepos videns ſe ab omnium rerum penuria peſſimè acceptum, ac hinc priuatione conſuetarum voluptatum, illic autem grauitate ærumnarum ſibi incumbentium extimulatus, præproperè in viam ſe dedit, ac iter verſus domum paternam pręſe rapuit. Quod D. Gregorius in loco quodam conſiderans ait. *Mala quæ nos premunt, ad Deum ire compellunt.* Gen. 8.

Surgam, & vadam ad patrem meum. Qui leuiter ac perfunctoriè verba illa examinarit, vocem hanc *Surgam* ſuperfluam eſſe conſtituet, quod videlicet dubitari non poteſt ſurgere eum debuiſſe, ſi ad patrem ſuum concedere decreuerat. Quiſquis autem preſſius verbi huius vim ac ſenſum examinarit, is facilè intelliget prodigi huius conuerſionem nequaquam ſimilem calidæ nonnullorum ac ſubitaneæ deuotioni eſſe, qui ſibi perſuadẽt Deum ſe inuenire poſſe, etſi ex peccatorũ ſitu ac ſordibus non reſurgãt. Hi ſponſę illi nõ diſſimiles ſunt quæ cum dixiſſet, *In lectulo meo quæſiui quem diligit anima mea*, illicò cõfitetur fruſtra ſe fuiſſe, & ait, *Quæſiui eum, & non inueni*; nam quomodo eum inueniret, niſi ante conſurgeret? Vnde etiam confeſtim ſubiungit dicens: *Surgam, & circuibo ciuitatem*, ac tamdiu quæram quoad corculum ocellumque meum inueniã. Hanc eandem doctrinam S. Paulus nobis tradere poſt voluiſſe adde, videtur cum ait: *Deponentes omne pondus, & circumſtans nos peccatum, per patientiam curramus ad propoſitum nobis certamen.* Adeò videlicet vtrumq; neceſſarium eſt, & ponderis peccatorum amolitio, & curſus ad noſtrum Ser- Cant. 3. Heb. 12.

natorem. In primis autem peccatorum pondus abijciendum eſt, ac poſtea Deus quærendus. Hæc enim omnia vnica illa vocula. *Surgam* comprehendit. Nunc reliqua conſi-
Serm. 2. de filio prodigo. deremus. *Ad patrem meum*, inquit, ac ſi iuxta diuini Chryſologi expoſitionem dicat: Es ſanè tu ad extremum pater meus, & quamuis *Ego perdidi* per rebellionem, *quod erat filij ille quod patris eſt non amiſit*; confidens ergo in eo quod ille eſt. *Vadam ad patrem meum:* O rem omnibus peccatoribus conſiderandam! Non miremur ergo quod adoleſcẽs ille perditus ac deſperatus animo nõ concidat, quodq; audacter, & animoſe iter parentem verſus ingreditur. Repręſentabat enim ille ſibi parentem quem offenderat, vt hoc modo maiore pudore affectus grauiori etiam de peccatis dolore cruciaretur: & cogitabat confeſtim etiam patrem illum eſſe, vt ſpe veniæ impetrandæ recreatus certiore cum fiducia illum compelleret. Verum dic mihi amabò adoleſcens cur non potiùs aliquem deligis qui apud patrem
2. Reg. 14. pro te intercedat, quemadmodum Abſolonem feciſſe legimus cum Dauidis parentis ſui gratiam vellet recuperare. Tantumne tu tibi ſumere, & arrogare audes? *Apud Patrem*, reſpondet idem Chryſologus, *non intercedit extraneus, intus eſt in patris pectore ipſe qui interuenit, & exhortatur affectus.* Quod quam verũ ſit vel ex præſenti parabola conſtat, vbi Euangeliſta ait, *Cum eſſet longè vidit eum pater*; qui.n. amant ij longè ac procul à ſe etiam diſſita vident. Et quamuis filius totus macie confectus, exanguis, ac lacer aduentaret, pater tamen ex ea quam in illius anima ſculpſerat imagine confeſtim eum agnouit *Vidit* ergo *eum pater, & miſericordia motus accurrit:* metuens credo ne adoleſcens pudore præpeditus iter interrumperet. Quam tu miſericordiam cum hac comparabis? quis nõ magnoperè doleat atq; pœniteat talem ſe patrem offendiſſe? Age proinde Chriſtianè, ac Frater natu minimè, ſi offenſam culpamq; tuam agnoſcis, ſurge ex vitiorum ſordibus, accurre ad diuinam bonitatem, confide illius miſericordia, pater enim tuus optimus clementiſſimusq; eſt. Quod ſi ille pœnitere te videat, obuijs cõfeſtim tibi vlnis occurſabit, brachijs te ſuis amplexabitur, pacis oſculum tibi dabit, & gratiæ ſtola indutum in glorię domum introducet, *quam mihi, & vobis, &c.*

CON-

CONCIO DECIMANONA PRO DOMINICA TERTIA QVADRAGESIMÆ,

Quæ Oculi dicitur.

Erat Ieſus eijciens dæmonium, & illud erat mutum, &c. Luc. 11.

POSTQVAM ſupremus ille huius vniuerſitatis author, & Monarcha Deus, hominem gloria, & honore ſicut Propheta Dauid loquitur coronare conſtituiſſet, diuina ſua prouidentia ordinauit, vt gloriam honoremque illum ſuum labore indipiſceretur, qui ſicut meritorum præmioque dignus eſt, ita maximam laudis, ac gloriæ materiam in ſe continet atque complectitur. Habent hoc namque generoſa plerumque ingenia nihil vt ſibi decori aut honori ducant niſi quod proprio labore induſtriaque conſecuti ſunt. Hinc Alexandrum nunquam non ſtomachatum fuiſſe accepimus, cum aut expugnatam vrbem, aut cæſum hoſtem, aut relatam victoriam Patris ſui. Philippi auſpicijs fuiſſe ipſi nunciaretur. Exiſtimabat videlicet generoſus ille Princeps, quanto plures prouincias pater imperio ſuo ſubijceret, & quantò illuſtriores à deuictis gentibus victorias reportaret, tantò ſibi pauciores ad honores aditus, & rariores ad gloriam occaſiones relinqui, Adeò videlicet ille ſibi non vaſtum per manus patris tradendum imperium, ſed quæ ipſemet aperto Marte aut propria induſtria ſolertiaque occupaſſet, honori gloriæque ſibi aliquid adferre arbitrabatur. Eodem planè modo diuina Maieſtas cœleſtes, ac eximios aliquando nobis honores adhiberi deſiderans, eum rerum noſtrarum ordinem, ac ſtatum eſſe voluit, vt continuis propè bellis circumſepti & exagitati, gloriæ ac honoris materiam præreptam nobis fuiſſe conqueri non poſſemus. Cum autem ipſe Deus vnus omnium optimè intelligeret quan-

Pſal. 8.

tum viribus, ac robore hoſtes noſtri pollerent, non illos nos adoriri voluit, quam nos præſidijs ſuis multò quam diligentiſſimè inſtruxiſſet. Hinc cum in ipſo Paradiſo, ac naſcentis mundi exordio perpetuas Diabolum hominemque inter ſimultates inimicitiaſque ſeminauiſſet, primo dixit: *Ipſa conteret caput tuum*, ac deinde ſubiecit, *& tu* inſidiaberis calcaneo illius; vt videlicet conſtet Deum bellum inter Diabolum, ac genus humanum permittentem, ante de auxilio hominibus ſufficiendo, quam de vindictæ appetitu Sathanicis ſpiritibus inferendo deliberauiſſe. Hinc eſt quod ante dicit. Ipſa tibi caput conteret, & poſtea addit, tu autem inſidias illi ſtrues, quibuſque poteris dolis illam adorieris. Cæterum hæc miſericordia qua Deus per infinitam ſuam prouidentiam erga hominẽ

Cap. 54. vſus fuit, fuſiùs, & latiùs aliquanto per Eſaiam explicatur, quando Eccleſiam ſuam conſolans ait. *Ecce ego creaui fabrũ ſufflantem in igne prunas, & proferentem vas ad opus ſuum. Et ego creaui interfectorem ad diſperdendum.* Ac ſi dicat. Videntes tenerrime me Eccleſiam meam diligere, Diabolum autem pertinaciter ac hoſtiliter illam perſequi, nolite idcircò exiſtimare quod ego potentem illum aduerſarium non pro-

In c. 11. Lucæ. crearim. *Ecce.* Aperite mihi paulisper oculos, & quod dicturus ſum conſiderate. *Ego creaui fabrum.* Per quem S. Hieronymus Diabolum non malè intelligit, illius enim officium, ac partes ſunt in igne ac fumo degere, & in Vulcanea officina æternum habitare, vbi ſine intermiſſione fulmina cuduntur, non quidem à Ioue, ſicut ſtulta antiquitas mentiebatur, ſed ab omnipotentis Dei ira, cuius iuſtitia æterno illi flammarum camino, ac inferni barathro dominatur. Ego ille ſum, inquit Deus, qui *fabrum in igne prunas* ſufflantem creaui, vt vaſa ſua conflet, ac proferat quibus homines perimit, & opera Dei traducit atque calumniatur. Vaſa autem illa nihil aliud quam improbi, ac ſcelerati ſunt, in quibus Diabolus velut in quibuſdam arcis venena ſua aſſeruat, eadem poſtea in Eccleſiam effuſurus, ac bonos illis perſecuturus. At bono animo eſtote, inquit idem Dominus, quemadmodum enim fabrum produxi, ita etiam *interfectorem creaui*, qui illius vires contundere, & audaciam poſſit infringere. Dubitari autem hoc loco non debet quis famoſi illius fabri interfector ſit, etenim

nim ſi Diabolus faber eſt, quid aliud conſequitur quam interfectorem illius Ieſum Chriſtum eſſe oportere? atteſtante præſertim Euangeliſta qui ait: *In hoc venit Chriſtus in mundum, vt diſſoluat opera Diaboli.* Porrò ex omnibus illis hactenus à nobis allatis quis non videt qua cura, ac prouidentia Deus in ſalute humani generis procuranda vtatur? At conſiderate iam nunc etiam paulisper mecum, quomodo Exordium iſtud cum Euangelica noſtra Hiſtoria congruat, ac conſentiat. Audiuimus Fabrum illum hominem inſediſſe, & quoniam proprium illi eſt humanæ naturæ nocere, intelleximus quemadmodum miſerum illum vſu auditu, eloquioque priuauerit, prorſus vt ineptus, ac inhabilis ad diuinum auxilium recipiendum eſſet. Vidimus eundem mille artificem vaſa malitiæ, ideſt Scribas, Phariſæos, ac alios inflauiſſe, qui maledicentiæ venena linguis ſuis eiaculantes Dei opera calumniabantur, & blaſphemabant. Et quoniam quis hodierni Euangelij faber, & quæ illius vaſa ſint probè, vt opinor perſpexiſtis, intuemini mihi etiam acerrimum vehementiſſimumque illius aduerſarium Ieſum Chriſtum, Diabolum ex hominis corpore eijcientem, omniaque illi organa, id eſt viſum, auditum, & loquelam reſtituentem. Quoniam autem Eſaias loco citato prædixerat, quod *omne vas quod fictum eſt contra te, non dirigetur*, ecce tibi mulier inter medium Deum blaſphemantium agmen ac cuneum, elata voce calumniatores illos confundentem, ac dicentem. *Beatus venter qui te portauit, & vbera quę ſuxiſti.* Nunc quoniam ſatis ſuperque conſtat Eſaiæ Prophetiam optimè cum Euangelio noſtro conuenire; conſiderate mihi paulisper quomodo Seruator noſter eandem illam Allegoriam paululum tantum mutatis verbis offerat, ac deſcribat. *Cum fortis armatus*, inquit, *cuſtodit atrium ſuum, in pace ſunt omnia quæ poſſidet, ſi autem fortior eo ſuperueniens vicerit eum, vniuerſa eius arma auferet.* Vbi vides eum quem Propheta fabri nomine affecit, hic ab Euangeliſta fortem armatum appellari, non vt metu exanimemur ac conſternemus, prout præclarè D. Chryſoſtomus obſeruat, ſed vt vigilantiores ſimus, ſcientes cum adeò forti, ac potenti aduerſario rem nobis eſſe. Agite proinde Chriſtiani, excludite metum, & cogitate aduerſarium quidem fortem vos habere, firmius

Ioan 3.

autem præſidium in Seruatore noſtro vos poſſe reperire. Neque tamen interea noſtri obliuiſcamur, quippe cum is deſidibus,ac negligentibus minime,ſtudioſis autem & vigilibus nunquam non ſubueniat. Non audiatur adhæc inter vos modos hoſtem illum tam potentem debellandi non dari,ſiquidem ipſe Euangeliſta Marcus diſertis verbis docet Seruatoem noſtrum communem omnium,ac capitalem inimicum ligauiſſe. Turpe itaque, & ignominioſum fuerit, eum nos timere, ab eo cœdi, ac vapulare, qui vinctus ligatusque eſt. Verum his omiſſis propius ad Euangelicam Hiſtoriam accedamus, vt Diaboli artibus, & ſtratagematis perſpectis Seruatoris noſtri fortitudo amplius eluceſcat, quippe qui omnes illius conatus petitioneſque doctiſſimè eluſit.

Erat Ieſus eijciens dæmonium. Ante omnia loquendi ille modus ac phraſis, qua Euangeliſta noſter vtitur conſideranda mihi eſſe videtur. Non dicitur enim quod Seruator noſter diabolum ex obſeſſi corpore eiecerit, ſed quod *erat eijciens dæmonium.* Quod quam abſque myſterio non ſit poſtea intelligetur. Euoluite mihi librum Geneſeos, vbi omnium rerum productio deſcribitur, nullibi Spiritum Sanctum, hac phraſi aut Schemate vſum fuiſſe inuenietis: vbique autem terminos actionem abſolutam, & completam ſignificantes adhibere deprehendetis. Vti enim Deus infi-
Pſal. 32 nitum quoddam agens eſt, ita in rebus producendis non immoratur,ſed eodem quo incipit tempore inchoata finit atque abſoluit. Hinc Moyſes ait: *In principio creauit Deus cęlum & terram*; vbi nota non *creabat*,ſed *creauit* dici. Et Dauid vnico verbo omnia comprehenſurus inquit: *Ipſe dixit & facta ſunt*, Vnde ergo eſt, quod Spiritus S. Scripturæ author hic loquendi modum variat, & terminis vtitur quib. ſignificare videtur, Seruatorem noſtrum non citra difficultatem aliquam dæmoniū eieciſſe? Ego rem vniuerſam breuibus vobis explicaturus reſpondeo Dominum noſtrū ſignificare voluiſſe, maioris molis opus eſſe Diabolum eijcere quam mundum creare: ad cęli.n. terræq́; productionem vnicum verbum ſufficiebat, ad malignū autem ſpiritū expellendum tempore laboreq́; opus fuit. Non quaſi Dominus noſter vel in momento illū eijcere non potuerit: ſed vt nobis conſtet huiuſmodi aliquid perficere plenum laboris diffi-

difficultatiſq; eſſe. *Videbo cœlos tuos*, inquit Propheta Dauid, *opera digitorum tuorum*. Et alibi confitetur Deum cœlos non aliter quã pellem extendere. Quos geminos verſiculos ſi coniunxeris, ac Theodoreti explicationẽ ſecutus fueris, idem erit ac ſi dicat Conijcienti mihi oculos meos, ô Deus, in cœlum, quod adeò pulchrũ, clarũ, lucidum, vaſtũ, ac ſtellis diſtinctũ eſt, illud cõtinuò in mentem mihi venit cogitare, digitorum tuorũ plaſmata illos eſſe: & quamuis quolibet adamante duriores ſolidioreſq; ſint, tu nihilominus non aliter quam pellem vel membranam illos diſtendis. Hæc Dauidis verba ſunt de mundi Creatione diſſerentis: nunc quemadmodũ de ſua cõuerſione tunc facta quando diuina miſericordia Diabolũ ab illius anima expulit, loquatur, audiamus. *Et dixi, nũc cœpi, hæc mutatio dexteræ excelſi.* Id eſt: Agnoſco quod Deus tametſi iratus miſericordiæ ſuæ obliuiſci non poſſit. Vnde hoc opus quod in me exercuiſti, quando de ſtatu peccati in gratiæ me ſtatũ trãſtuliſti, & Diabolum ab anima mea expuliſti, non digitorum tuorum ſed totius manus opus, ac non cuiuſuis manus, ſed dexteræ, quæ plerumque quam ſiniſtra fortior robuſtiorq; eſt. Ex quibus colligere licet Dauidem illius opinionis fuiſſe quod Deus mundi creatione digitos tantum, in ſui autem conuerſione integrã manum adhibuerit. Verum attendite quid idem Pſalmiſta alio in loco dicat: *Verbo Domini cœli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum, congregans ſicut in vtre aquas maris.* Quæ omnes locutiones Metaphoricæ ſunt, & vnum hoc ſpectant vt facilitas cum qua Deus cœlum creauit, & mundum iſtũ vniuerſum exornauit intelligatur. Sed vide quemadmodũ alibi Deum orans quatenus ſe ex peccatorum ſordibus eripiat, & Diabolorũ poteſtati ſubducat, exclamet. *Emitte manũ tuam de alto eripe me, & libera me de aquis multis.* Ad tale enim quid præſtandum non digitis ſed manibus opus eſt. Vt ergo hãc difficultatem Seruator noſter ſignificaret, nõ malè miraculo immoratus fuit ipſeque etiam Euangeliſta eos terminos rectè vſurpauit, quibus hanc difficultatem non obſcurè indicaturum arbitrabatur. Admirabilis planè hæc doctrina eſt, &c. non pœnitentibus tantum, ſed ipſis etiam Confeſſarijs multò quàm vtiliſſima. Nam quæ amabò aliæ confeſſariorum partes ſunt quam dæ-

Pſal. 8.

Pſal. 76.

Pſal. 32.

Pſalm. 143.

dæmonia ex animabus profligare? Et quid tu aliud peccatorem eſſe exiſtimas quam animam à Diabolo obſeſſam? Vtinam intelligeres Chriſtiane quomodo Diaboli animã tuam poſſideant, quoties in peccato conſtitutus es? *Tenebit prædam, & amplexabitur eam, & non erit qui eruet eam,* inquit Deus per Prophetam de anima loquens quam prædo diabolus occupat atque inuadit. Attendant mihi proinde Cõfeſſarij ac pœnitentes etiam, & quod amborum officium exigit ſedulò præſtent ac exequantur. Eſt namque reuera res lachrymis digna eos plerumque tantum confeſſarios ſeligi, qui vix ac ne vix quidem aliquas in confeſſione difficultates mouent. Diabolus hominis corpus inſidens & poſſeſſione ſua ceſſurus (vt ita dicam) Filio Dei moleſtiam exhibuit: & vos arbitramini Confeſſarium vnius quadrãtis ſpacio innumeris Diabolis animas veſtras poſſe liberare? Potiùs ergo mihi pœnitens de admiſſis peccatis doleat, potiùs expertum ac doctum Medicum exploret, ac illum inuentum obſecret quatenus ſe perfectè ſanare non dedignetur. Confeſſarius autem laboret, oret, & ieiunet quo Deus in opere adeò difficili ſibi aſſiſtere & dexteram ſuam porrigere velit. Omnia enim iſta adhibenda ſunt, & faxit Deus æquè vt finem ſuum ad quem ordinantur conſequantur, ſicut neceſſaria ſunt.

Et illud erat mutum. Etſi omnia Diabolorum genera difficulter ſe eijci ac expelli patiantur, muti tamen plus ferè reliquis moleſtiæ exhibere negotijq, faceſſere conſueuerunt. Quoties enim Diabolus eò animam aliquam adducit, vt aut pudore, aut metu, aut alio quopiã reſpectu præſtrictam peccata nonnulla in confeſſione ſupprimere, aut circumſtantias aliquas celare faciat, tum verò non citra maximam difficultatem poſſeſſione ſua eijci expellique poteſt. Nam cum arteria ſeu pulſus animæ ex quo Medicus ſpiritualis infirmitatem debet cognoſcere, id eſt lingua, quæ obmuteſcit, non ſentiatur, quomodo quæſo quid mali ægrum affligat ſciri intelligiq; poteſt? Qui autem morbum non cognoſcit, quomodo is pharmaca adhibebit ac ægrotum ſanabit? Tu autem peccator quare amabò peccatum celas quod deſignauiſti? Pudor te impedit? At audi quid ſpiritus S. dicat: *Eſt confuſio adducens peccatum, & eſt confuſio adducens gloriam.* Prima ſecundum D. Bernardum illis

Eccl. 4. In ſententijs.

illis propria eſt, qui pudore præpediti peccata ſua celant? Secunda illorum eſt qui etſi verecundentur, ideò tamen errata ſua detegere non ceſſant: ſuſtinentes libenter breuem ac exiguam confuſionem, vt per illam viciſſim æternã declinent: Atque hæc illa eſt quæ gloriam honoremque conciliat. Hęc itaque Diabolus non ignorans peccatori pudorem inijcit, qui peccatum generans verecundiam gloriæ genitricem expellit. Tametſi contrarium planè accidere nõ modo deberet, ſed etiam præſtaret. Non enim cum confitẽdum eſt, ſed cum peccandum verecundari erubeſcereq; nos decebat. Dic mihi amabò fili mi cur erubeſcis confiteri te fraudulentum, furem, aut fornicatorem aliquando fuiſſe? Reſpondes mihi pudere te quod tale quid deſignaueris: vnde opinor intelligis non in confeſſione ſed in facto ac opere dedecus infamiamq; eſſe. Quo etiam magis deteſtãda diaboli aſtutia eſt, qui quando tè ad peccatum rem omnium turpiſſimam inuitat, frontem tibi repentè perfricat: cum autem peccata apud ſacerdotem deponenda, in te honeſta ac religioſa pudorem tibi incutit & genas rubore ſuffundit. Atq; hoc S. Chryſoſtomus deplorat, dicens dolendũ eſſe quod cum peccatum adeò periculoſum & letale vulnus ſit nos tamen id adeò libenter recipiamus, & poſtea de eius medicina quæ confeſſio eſt ſeriam nunquam cogitationem ſuſcipiamus. Cum confiteris Chriſtiane an non cogitas peccatum illud quod iam celas aliquando coram vniuerſo mundo reuelatum iri? An ergo non præſtat te ſecretò id ſpirituali tuo patri in aurem immuſſare, quam in extremo iudicij die ab hoſte tuo buccinari audire? Cõtingit ſanè ruſticis ac pudibundis illis idem quod Deus per Oſeam inquit: *Colligata eſt iniquitas Ephraim, & peccatum eius abſconditum dolores vt parturientis venient ei.* Cap. 13. Vbi Propheta appoſitiſſima Allegoria Sermonem ſuum condire mihi voluiſſe videtur. Ponamus enim filias aliquas honeſto loco natas videri ac videre auentes, & à limine nonnũquam etiam Ganymedem aliquem non ſubmouentes, vnã inter ſe habere quæ cum Ganeone conſueſcens vterum ferat. Quid faciat puella? Ne parentibus res innoceſcat, quã poteſt arctiſſimè ventrem ſtringit ac ſinum compingit. Verùm Mater eius melancoliam, capitis dolores, & nauſeam ſubodorata, quodque indies magis magisq; intumeſcat

ſcat aduertens, vt dilectã filiã, quo malo labore ſciſcitatur. Verũ illa rana Seriphia taciturnior ſilet atq; cõniuet. Quid agimus filia, nunquid te perdere, nunquid te ipſam cõfundere vis? Cogita matrem eſſe quæ quid te affligat ſciſcitatur, vt medicamentum adhibeat. Non accuſabit te illa, ſed ſi veritatem dixeris, omnibus prudentiſſimè prouidebit. Quod ſi factum celaueris, memento puerperium adfuturum, quod ipſum illud quod tu adeò diligenter iam ſupprimis reuelabit. Quid facit filia? Mater fruſtra eſt, veritatem reſcire non poteſt, audacula enim illa omnia negat, timens peccatum ſuum propalatum iri. Verum non hoc ita illi abibit, nam *dolores vt parturientis venient ei.* Tunc illa plorare cogetur, tũc infans vociferabitur, & deſperata iſta quæ ante matri ſuæ peccatum ſecreto reuelare non volebat, coram parentibus ac vniuerſa vicinia confundetur. Iam quemadmodum parabola ſiue ſimilitudo iſta eos repræſentet qui in confeſſione peccata aliqua ſupprimere non verentur, reſtat vt cõſiderari debere videatur. Ecquid amabò tu ô Chriſtiane quando confeſſionem accedis, anxietates illas quas interius experiris & quæ te ad peccata colẽda vrgẽt, aliud eſſe putas q̃ dolores parturiẽtis quos timor Dei in anima tua generat Hinc nãque Eſaias ait: *A timore*
Cap 26. *tuo Domine, concepimus, & quaſi parturiuimus ſpiritum ſalutis.* Vbi per ſpiritum ſalutis non malè illum intelligere poſſumus qui confiteri volentes extimulat, quippe cum confeſſio pharmacum quoddam ſit quod ſimulac anima hauſerit, ab omnibus noxijs peccatorum humoribus liberatur. Hoc Diabolus ſciens animam parere non permittit, quod confeſſarius animaduertens pœnitentem ad malum detegendum exhortatur, præſentando illi miſericordiam Dei, ac vt propriæ ſalutis rationem habeat acriter commonefaciendo. Verũ fruſtra eſt, nã *Colligata eſt iniquitas Ephraim, & peccatum eius abſconditum.* At quod tu tãdem malo huic remedium adhibebis? Nullum reuera aliud quam illud quod Iacob eãdem Metaphoram vſurpans proponit, cum ait: *Obſtetricante manu tua, eductus eſt coluber tortuoſus.* Quãdo, inquit, ô Deus, Diabolicus ſerpens mille ſpiris ac voluminibus animam fuerit amplexatus, atque hoc vnum aget ne illa pariat & peccatorum ſordes contractos reuelet, tu mihi ô Deus confeſtim ſubuenies, a manu tua ſerpentem viru-

virulentum extrahens animam meam parere facies. Aliud enim contra mutos Diabolos remedium non reperitur. At expectate paulisper, nam *dolores parturientis venient eis.* Dies illa inquam aliquando aderit quando doloribus parturiẽtium opprimentur, quando vermis conſcientæ inteſtina illorum arrodet, quando validi voce vociferari cogentur, ac quando denique coram vniuerſo mundo propalare debebunt, quod ſecreto patri ſuo ſpirituali reuelare noluerunt. An ergo non pręſtat ei vos morbos veſtros detegere, qui cui animarum veſtrarum pater ſit, compati vobis ſciet: quique cum homo ſit quemadmodum vos eſtis, ob infirmitates veſtras non iraſcetur, *Credidi propter quod locutus ſum*, dicebat Regius Propheta Dauid, intelligens nihil æquè nobis os laxare, linguam ſoluere, & ad loquendum cogere nos poſſe, quam Fides. Credite ergo vt Dauid, & loquemini ſicut ille, Credite vt Paulus, & dicere poteritis: *Et nos credimus propter quod & loquitur.* Mihi enim credite ſi in hoc ſæculo obmuteſcitis, diem aliquando adfuturum, in quo omnia veſtra peccata mundo vniuerſo publicabuntur. Hoc inquam ſi indubitanter creditis, fieri non poteſt quin extemplò locuturi ſitis. Credite eũ apud quem peccatorum veſtrorum ſarcinas deponitis, Dei vicarium eſſe, ac illius perſonam repræſentare: hoc inquam indubitanter credite, & confeſtim loqui incipietis. Credite confeſſionis hoc tribunal adeò ſecretum eſſe, vt confeſſarius viuo ſibi potiùs ignem ac faces adhiberi pati debeat, quam vnicum in confeſſione delictum ſibi indicatum reuelare: hoc inquam indubitanter credite, & è veſtigio loquemini. Credite pro per breui illa erubeſcentia ac confuſione, & pro peccatorum veſtrorum contritione Deum vobis illorum veniam facturum, vosque ab æterna confuſione liberaturum eſſe, quam in extremi iudicij die ſuſtinere deberetis, quando videlicet iuſtus ille iudex, iuxta S. Paulum, *Illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium.* Hoc inquam indubitanter credite, & procul dubio extẽplo loqui incipietis. Quiſquis autẽ in confeſſione peccatũ aliquod præterit ac ſilet, is manifeſtiſſimum ſignũ exiguæ ac infirmæ ſuæ fidei edit. Quoquot ergo dæmoniũ iſtiuſmodi mutũ aliquod inſidet, ij ante oĩa fidẽ ſibi exercẽdã excolẽdamq; eſſe meminerint. Ipſi verò Con-

Pſalm. 115.

1. Cor. 4.

feſſarij cũ pœnitẽ mutũ eſſe intelligent, quibus modis poſ ſunt cum Seruatore noſtro allaborent, vt malignum illum ſpiritum qui animam mutam efficit eijciant ac expellant. Hinc Euãgeliſta ait: *Et cum eieciſſet dæmonium, locutus eſt mutus.* Poterat citra vllam controuerſiam Seruator noſter etiã hoc effectum dare, vt mutus ille, etiã necdum expulſo diabolo loqueretur: verum is nequaquam id facere voluit, quo nimirum nobis oſtenderet, vt mutos loqui facias vnicum remedium eſſe, Diabolum qui animam inſidet expellere ac effugare. Curabunt proinde Confeſſarij, omnes qui officij ſui numeros implere deſiderant, vt antè malignum ſpiritum eijciant, quam pœnitenti linguam ſoluere conentur. Hoc autem conſequentur ſi curauerint, vt qui confeſſurus eſt, plenè ac planè peccata ſua cognoſcat, & veram ac ſeriam illis contritionem concipiat.

Næ enim lachrymis dignum hoc ſit in Sanctiſſimo ſaluberrimoque illo confeſſionis Sacramento tot defectus videre committi. Ego ſanè rem me Deo gratiſſimam feciſſe exiſtimarem, ſi tam pœnitentes quam confeſſarios in rebus vtroſque concernẽtibus ritè inſtruxiſſem. Ambò enim collatis viribus vnum hoc agere debent, vt diabolum expellãt ſi mutum loquentem audire deſiderent. Sciat ergò ante omnia pœnitens Deum ſimulac aliquid præcipit, id non niſi benè ac ritè perfici velle. Vti enim in operibus ſuis perfectiſſimus eſt, ita ille viciſſim in noſtris perfectos nos eſſe deſiderat. Hinc Seruator noſter dicebat: *Eſtote perfecti, ſicut & pater veſter perfectus eſt* Vnde conſequitur quia humani generis Redemptor IESVS CHRISTVS confeſſionem inſtituit, ac Paſtores cum plena ac legitima abſoluendi poteſtate nobis reliquit; ſimiliter obligatos nos eſſe ad debito modo & accurata cum præparatione Sacroſanctum illud Sacramentum obeundum. Hinc niſi corram ſancto illo Pœnitentiæ tribunali mentiri ſubinde volumus, antè peccata noſtra præmeditari, ac ſeriò de illis dolere debemus: cogitantes homini nos peccata noſtra reuelare. cui aliud conſtare non poteſt quam quod nos illi aperimus atque concredimus. hæc enim vt cum ratio licet multę alis adducantur à doctoribus Poſtquã Deus homo factus fuit, & iudicandi poteſtatem hominibus reſignauit, largiendo omnẽ iuſtitiæ authoritatẽ filio ſuo quatenus homini, prout ipſemet Dei-

Matt. 5.

filius

filius per Sanctum Ioannem aſſerit, dicens: *Iam pater non iudicat quenquam, ſed omne iudicium dedit filio, & poteſtatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis eſt*; Neceſſe eſt hominem, velut hominum tribunali ſubiectum, poſtquam Deus homo factus eſt, delictorum ſuorum rationem coram hominum tribunali dare. Quoniam autem in hoc foro & conciſtorio, idem reus, accuſator ac teſtis eſt, & quia per non alium quam per illum veritas poteſt ſciri, ideò vt de ea liquidò conſtet, præparatio ac ſingulorum peccatorum diligens & curioſum examen præcedat: quo ita nihil aut veritati affriando aut deterendo integrè iuſtitia adminiſtretur. Si enim propter negligentem præparationem peccati alicuius obliuiſcaris, idem erit ac ſi id dedita opera celaueris. Cap. 17.

Neque enim ſecundum omnium Doctorum ſententiam minor cura diligentiaque adhibenda eſt, quam ita afferre conſueuerunt, qui ſerium & graue aliquod negotium aggreſſuri ſunt; quod ita ſe habere nemo mirabitur qui ſciet confeſsionem rerum grauium grauiſsimam ac maximi ponderis meritò debere appellari.

Audite quid in Lege ſcripta, quando homines ſoli Deo confitebantur, Rex quiſpiam pœnitens fecerit: *Recogitabo tibi*, dicebat Rex Ezechias, *omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* A quo etiam Propheta Dauid non abludit, qui modum annos noſtros recogitandi præſcripturus, ait, *Anni noſtri ſicut aranea meditabuntur*. Id eſt: Annos noſtros eadem cum cura ac ſolicitudine meditabimur, qua aranea vtitur, non tãtum vt ſubtiles ac delicatos illos reddamus, quemadmodum aranea facit, telas à leuiſsima aura rumpendas ſuſpendens, ſed etiam propter admirabilem curam & diligentiam, quam in ijs adhibet, ſi quando fractæ fuerint. Simulac enim foramen aliquod in illis animaduerterit, donec refectum id ſit quieſcere feriarique non poteſt. Quod ſi etiam aperta illam vi ab alia parte inuadas, eueſtigiò illuc deuehitur, atque vt damnum ſibi illatum reſarciat, propriæ ſubſtantię nihil parcere non veretur. Vti ergo anni noſtri araneas in malo imitati ſunt, quando telas texuerunt, vanitatum in illis muſcas capturi, ita ſimiliter in bono illas ſequi imitarique velle debent. Meditentur proinde atque recogitent, quando telas mandatorum Dei

per-

perruperint, & quomodo foramen reparaturi ſint, plorantes in amaritudine animæ ſuæ, ac diligenti & ſancta confeſſione damnum illatum reſarcire ſatagentes, ita vt ne vnicũ quidem peccatum à proxima confeſſione factum prætereatur, ſed ſingula in conſilio rationis antè bene examinata, poſtea in pœnitentiæ foro ac confeſſionis conſiſtorio aperiantur. Quod ſi ad cõſcientiæ cancellos peruenerimus, meminerimus non patronos aut aduocatos ſed accuſatores illius nos eſſe oportere, in nullo planè nos peccato purgare

Cap. 23. excuſareque cupientes *Sume tibi citharam*, inquit Deus per Eſaiam ad ciuitatem quæ enormiter deliquerat, *circui ciuitatem meretrix obliuioni tradita, benè cane, frequenta canticum, vt memoria ſit tibi.* Quæ verba animæ alicui accommodari poſſunt, quæ fidelitatis iuramentum quod Deo ſuo præſtitit nefario planè auſu contempſit, libidinique ſuæ poſtpoſuit. Vnde qui ſeriò ac ritè ad cõfeſſionem ſe accincturi præparaturique ſunt, primo omnium conſiderare debent, ad quam miſeriam per peccatum deuoluti fuerint, ſi quidem *meretrices obliuioni tradita à Deo* vocitantur. Deinde ciuitatem circuibunt, reducentes ſibi in memoriam loca in quibus diuinam Maieſtatem offenderunt, quo faciliùs peccata ſua deplorare ac ſcelerum patratorum reminiſci poſſint. Poſtquam enim de locis in quibus offendimus conſtat, faciliùs ipſa peccata in memoriam nobis reuocamus. Hoc autem facto citharam quoque in manus ſumere par eſt, quæ ſecundum D. Gregorij opinionem aliud quam carnis mortificationem non repræſentat. Vt enim impoſſibile eſt chelyn aliquam gratum & ſuauem concentum edere, niſi antè fides ſiccæ ſint, nihilque omninò pinguedinis illis adhæreſcat: ita neque anima officio ſuo ritè fungi poteſt, niſi corpore ante benè edomito ac mortificato. Per cantum autem cuius etiam Propheta commeminit, nihil aliud nobis inſinuatur, quam vt peccata noſtra cum dolore, ac pœnitentia, & abſque excuſatione Confeſſario aperiamus. Hac enim melodia & concentu Deus plus quam omnibus fidibus ac iubilis delectatur. Addit autem pro concluſione Propheta, *Frequenta canticum*, id eſt ſæpiùs confitere, *vt memoria ſit tui*, & vt Deus qui propter multiplices offenſas tui memoriam depoſuit rurſus tui recordari incipiat. Inter media namque omnia & rationes vniuerſas quibus Deum vt peccatricis

alicuius

alicuius animę meminerit, ac gratiam illi ſuam communicet, obligamus, vna frequens confeſſio potentiſſima eſt, quam nemo vnquam niſi præparatione præuia rectè inſtituet. Quemadmodum enim fieri non poteſt vt Muſicum aliquod inſtrumentum ſuauem & auribus gratum concentum edat, niſi quod canendum eſt, aliquoties ante exercitij cauſa probetur: ita difficulter quiſpiam rectè mihi confitebitur, antè niſi diligenter ſtudioſeque ad id ſe præpararit. Verùm hæc de ratione Diabolos ex corporibus obſeſſorũ expellendi ſatis ſunto. An non recordamini quemadmodũ Dauid deploratum Saulum cithara ludens cum à maligno ſpiritu affligeretur, refocillarit? Quod ſi huius inſtrumenti Muſici tanta vis ac poteſtas fuit, Diabolum vt profligaret, quid tunc futurum exiſtimatis quando ſæpiùs ac frequenter canetur? Operæpretium itaque fuerit Confeſſarium pænitentis præparationem examinare, ac videre vtrum inſtrumenti fides cõſonent, priuſquã pænitens cantet, aliter enim ſi accidat, & chordæ nõ conſonet, tũ verò rectè cani ex eorũ numero eſt quæ fieri nõ poſſunt. Tunc autem inſtrumẽtum Muſicum malè accõmodatum eſt, quando pænitens Deum ſe offendiſſe non dolet, quando firmiter ſibi melius viuendi inſtitutum non proponit, quando delicta minus diligenter examinauit, & circumſtantias delicta notabiliter grauantes, aut peccati ſaltem ſpeciem mutantes non annotauit. Vnde Confeſſario eò omnes induſtriæ ſuæ vires conferendæ erunt, vt pænitentem ad delicta ſua agnoſcendum, dolorem in ſe excitandum, ad firmum melioris vitæ propoſitum concipiendum, & integrè peccata ſua recenſendum exhortetur, tantò vt meliùs ac congruentiùs cantet. At obſeruabit ſimiliter hoc loco Confeſſarius, inſtrumenta Muſica tractim & ſenſim benè vt conſonent accommodari, proindeque meminerit blandè, ſuauiter, ac diſcretè cum pœnitente ſibi eſſe procedendum, iuxta Apoſtolicum illud præceptum. *Fratres ſi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui ſpirituales eſtis, huiuſmodi inſtruite in ſpiritu lenitatis*; non conſternando illum aut rigidè alloquendo, ſed blandè ac ſuauiter illum admonendo. Gal. 6.

Quod omninò facilè conſequetur, ſi cogitet ſe etiam hominem eſſe ac in ſimilia peccata delabi poſſe: ſciat

Q proin-

proinde eo ſibi modo cum altero procedendum eſſe, quo ille ſecum ſi deliquiſſet procedi vellet. Quis enim non clarè euidenterque videt opera gratiæ non in brachij fortitudine, ſed in lenitate ac facilitate debere tractari? Ideò

Ioan. 3. enim S. Ioannes de Filio Dei ait: *In hoc venit in mundum, vt diſſoluat opera Diaboli*. Vbi obſerua Euangeliſtam non diffringat aut rumpat ſed diſſoluat dicere. Vnde malè mihi Alexander ille ſenſiſſe videtur, qui idem arbitrabatur diſſecare atque diſſoluere: vt enim aliquid diſſeces ac dirumpas, fortitudine tantum, vt autem aliquid diſſoluas induſtria ſubtilitateque opus eſt. Dicês ergo Euangeliſta Seruatorem noſtrum opera Diaboli diſſoluturum eſſe, oſtendere voluit id illum cum lenitate ac manſuetudine facturum. Idem ſi ita Confeſſarij faciendum eſſe meminerint, nedum vnum nodum feſtini ac præproperè diſſoluere volunt, innumeros alios de nouo faciant. Si autem lenitatem adhibuerint, & pœnitenti Dei bonitatem repræſentarint, ac infinitam illius miſericordiam cum qua peccatores expectat explicarint, tum verò Muſicum ſuum inſtrumentum dexterrimè accommodat, facitque vt ſonare, Diabolus fugere, & mutus è veſtigio loqui incipiat.

CONCIO VIGESIMA,

PRO FERIA SECVNDA POST DOMINICAM Oculi.

Dixerunt Phariſæi ad Ieſum, quanta audiuimus facta in Capharnaum. Luc. 4.

EVangeliſta noſter S. Lucas hodiernam de Seruatore hiſtoriam nobis deſcribens, cauſam ſimul etiam commemorat, propter quam Iudæi verba illa à me modo recitata protulerunt. Cum enim aliquando Seruator noſter pro immenſæ ſuæ bonitatis more Synagogam introiſſet, vbi Iudæi verbum Dei explicare ſolebant, ij quorum officium

officium illud erat,confeſtim conſurrexerunt,ac librũ Prophetæ Eſaiæ clauſum in manus illi porrexerunt. Quod abſque myſterio factum non fuiſſe multi graues & claſſici à Theologia Authores adſtruere conantur. Etſi enim Synagoga reuera ſcripturam Sanctam habuerit, prout S. Paulus confirmat dicens: *Credita ſunt ei eloquia Dei*, attamen quia ad genuinam illius intelligentiam peruenire non poterat, tamdiu clauſam illam habuit,quoad Seruator noſter verus ipſius author,in manus ſumptam coram frequenti populo expoſuit & declarauit. Atque hæc Apocalyptici illa D. Ioannis viſio inſinuare mihi voluiſſe videtur,qui ait viſum ſibi in cœlo librum fuiſſe,clauſum, & ſeptem ſigillis obſignatum,cumque aliquamdiu huc illucque oculos conieciſſet, ſicubi forte aliquis eum aperturus prodiret, nemine tandem conſpecto,vbertim ſe illacrymatum eſſe. Quod cum forte ex ſenioribus quiſpiam cœleſti Throno aſtantium vidiſſet,commiſeratione motus ita illum allocutus eſt: *Ne fleueris; Vicit enim Leo de tribu Iuda,radix Dauid aperire librum, & ſoluere ſeptem ſignacula eius*. Cum ecce è veſtigio agnus aduenit,librumque acceptum aperuit. Vbi per Agnum Ieſum Chriſtum debere intelligi vel ex eo ſatis ſuperque cõſtat,quod ipſe Ioannes Baptiſta eodem illum nomine affecit,quando ex torto digito, eumque demonſtrans ait: *Ecce Agnus Dei,ecce qui tollit peccata mundi*. Vnde intelligimus Filium Dei,Scripturarum libros nobis primum aperuiſſe,atque ob id non caſu & ſorte, ſed quia ipſi ita faciendum videbatur,Eſaiæ illum locum explicuiſſe. *Spiritus Domini ſuper me,propter quod vnxit me,Euangelizare pauperibus miſit me, vt mederer contritis corde*. Quæ verba ſimpliciter ac ſecundũ litteram de Filio Dei Meſſia in lege promiſſo intelligenda ſunt. Super illum enim Spiritus Sanctus effuſus fuit, non paulò aliter atque in cæteros homines,hoc eſt in plenitudine,quemadmodum S. Paulus declarat dicens. *Quia in ipſo inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter*. Idcircò autem vnctum ſe eſſe dicit,quia in lege vetere receptum erat, omnia vt Deo dicta & conſecrata vngerentur, quemadmodum Reges, Sacrdotes,ac ipſa etiam templi ſuppellex. Hinc cum Seruator noſter non modo Rex ac Sacerdos, ſed vas etiam eſſet omnes diuinæ Sapientiæ & ſcientiæ theſauros in ſe continens, meritò trifariam & triplicem

Rom. 3.
Cap. 5.
Ioan. 1.
Cap. 61.
Col. 2.

ob cauſam inungi debebat. Finis autem vnctionis illius erat, vt annunciaret Euangelium pauperibus, & ſanitatem corde contritis conferret. Qui enim ſuperbiæ typho inflantur, ij lumine Euangelij non participant, & qui durum cor habent, à Seruatore noſtro ſanitatem non conſequuntur, ante niſi per pœnitentiam molliantur. Porrò cum Seruator noſter traditum ſibi in Synagoga librum legiſſet, clauſum iterum eidem à quo acceperat tradidit ac porrexit. Quod quam etiam myſterio non careat, explicandum nobis eſt. Voluit.n. Filius Dei nobis ſignificare, licet ibi librum aperuiſſet, & Scripturam explicuiſſet, omnes vt illam intelligerent, Iudæis tamen eam clauſam eſſe voluiſſe, vnde in hodiernum adhuc diem in cæcitate ſua perſiſtunt, & quod Meſſias in lege promiſſus aduenerit intelligere nolunt. Quod cum D. Paulus præclarè cognoſceret,
2. Cor. 3 dicere non dubitauit: *Sed vſque in hodiernum diem cum legitur Moyſes, velamen poſitum eſt ſuper cor eorum.* Quæ omnia Seruator noſter ſignificare volens clauſum librum eidem à quo ſibi datus erat reſtituit, dicens: *Hodie impleta eſt hæc Scriptura in auribus veſtris.* Quod tamen illi etſi clariſſimè diceretur, idcircò intelligere non potuerunt, quia nō apertum, ſed clauſum à Doctore ſuo librum receperant. Cœli ergo eſt Scripturam ſacram explicare, cœli eſt genuinum illius ſenſum patefacere, cæli denique eſt aures hominibus aperire, vt quæ corpore audiunt, ea corde animoque intelligant. Atque hoc opinor Propheta Eſaias declarare no-
Eſa. 50. bis voluit dicens: *Mane erigit mihi aurem, vt aurem, vt audiam quaſi Magiſtrum. Dominus meus aperuit mihi aurem & ego non contradico.* Non enim omnes qui Concionatorē auſcultant eum vt Magiſtrum audiunt, ſed tantummodò illi, quibus Deus aures patefecit, ac deſiderium ad inſtar humilium diſcipulorum proficiendi infudit, non autem illi qui curioſitate pellecti templū inuiſunt, non vt diſcant, ſed vt docentem ſuperbi Ariſtarchi cenſuris ſuis confodiant. Quoniā ergò Filius Dei Iudæis, de quib. hodiernum Euāgelium loquitur, aures non aperuerat, ideò clauſo libro doctrinam ſibi propoſitam intelligere non potuerunt. Vnde ipſi ſtupidi & occæcati calumniandi materiā ſumpſerunt, intra ſe dicentes: Si ille, quemadmodum iactat, Dei vnctus eſt, cur Charitatis ordinem non obſeruat, doctrinam, & mira-

& miracula ſua nobis communicando? Cur patriæ ſuę deſertor Capharnaum ibi potentiam illic ſuam oſtētans? Verum hæc ſecreta animorum maleuolorum ſenſa cūm Seruator noſter intelligeret, ſubiecit; *Vtique dicetis mihi hanc ſimilitudinem, Medice cura te ipſum,* dixi enim vobis ex Eſaiæ à me explicato loco, ideò me in hunc mundum veniſſe, vt contritis corde mederer. Hinc vobis cauillari incipitis dicentes, ſi bonus Medicus es, propriæ tuæ domui antè proſpice ac domeſticæ memento occurrere peſti. Quo itaque etiam melius quod in animo geſtabant verbis expromerent ac declararent, dicunt: *Quanta audiuimus facta in Capharnaum?* Id eſt: Ecce charitatem tuam! Qui cum patriæ tuæ decus honoremque conciliare valeas, peregrè abire mauis, & illic miracula patrare geſtis. An ergo non præſtet in Nazareth patria tua hæc facere, quam in Capharnaum ciuitate extranea & peregrina; Cæterum priuſquam extremam Iudæorum inuidiam verbis iſtis Sole meridiano clarius elucentem expono, paucula ſuper illis verbis: *dixerunt Phariſæi ad Ieſum*, in medium ante expromenda mihi eſſe videntur: ea enim non ab Euangeliſta ſed à Sancta Eccleſia Euangelicæ huic noſtræ hiſtoriæ premiſſa ſunt: quippe cum nullibi in toto Euangelij textu Phariſeos verbis iſtiuſmodi vſos fuiſſe deprehendas. Quamnam ergo ob cauſam Eccleſia ea adhibet, cum conſtet, eos non niſi cogitatione iſtiuſmodi de Seruatore noſtro concepiſſe, quemadmodum ex illiuſmet ad eos verbis clarè euidenterque poteſt demonſtrari. Facit hoc videlicet illa, omnibus vt ſuis fidelibus conſtet idem apud Deum eſſe rem quampiam cogitare, & dicere, idem valere deſignare aliquid velle, & deſignauiſſe. O materiam addicendum vtiliſſimam; quo enim facilius cogitationibus peccata perpetrantur, hoc rariùs & difficilius ab omnibus cognoſcuntur. Quamuis autem peccata opere adimpleta grauiora ijs dici poſſint quæ cogitationibus tantum perficiuntur, propter circumſtantias videlicet nonnullas in peccatis ac proximi etiam præiudicium cedentes: attamen ipſius peccati turpitudo ac naturale quaſi eſſe non in externo actu ſed in voluntatis deliberatione conſiſtit, per quam homo conſtituit DEI ratione ſepoſita aliquid ſibi iniunctum negligere, aut vetitum perpetrare. Vbi enim vos intelligentes ab

Peccatum in quo cōſiſtat.

inimico vobis veſtro inſidias ſtructas fuiſſe,non immeritò commouemini , & voluntatem , cuius malitiam exploratam habetis,pro facto ipſo habetis: Ita Deus videns hominem peccare decreuiſſe,tametſi opus necdum acceſſerit,nihilominus grauiter indignatur, propter voluntatis noſtræ malitiam , quæ quantum in ſe eſt ex illo temporis puncto quo peccare conſtituit,Dei honorem proculcauit. Eſt ergo apud Deum actù & opere adulter,quiſquis libidinoſis co-
Cap.5. gitationibus ſe commaculauit,prout apud S.Matthæuũ eſt. Et quamuis malorum cogitationum improborumque deſideriorum prohibitio non in noua lege ac Euangelio primum emerſerit,ſed antiquiſſima ſit,vti ex duobus vltimis Decalogi præceptis liquet,quibus alienam vxorem aut rẽ concupiſcere prohibemur; Ea tamen Iudæorum cæcitas fuit,cogitationes vt omni peccato eximerent, quatenus in mente ſe continuiſſent,& opere adimpletæ nõ fuiſſent. In-
Lib. 12. Anti. c. 13. ter hos autem Flauius etiam Ioſephus fuit vir cæteraque, ſi quis alius, præclarè doctus. Verum quam turpiter ille cum aſſeclis ſuis vniuerſis halluzinatus fuerit, ex ratione prætecta & vetere teſtamento apparet, quod ſentẽtijs malarum iſtiuſmodi ac peruerſarũ cogitationum ſemina cõdemnantibus ſcatet.Vbi nolim exiſtimetis,Auditores caſu me improba animi ſenſa malum ſemen nuncupauiſſe: ſed potius conſtituite deliberato me animo nomen illud impoſuiſſe,quia vix magis proprio natura illius declarari mihi poſſe videtur.Vt enim bombus cum oua ita parua vt
Elegãs ſimilitudo. videri vix poſſint,paululum tantum ſi in ſinu teneas donec corporis tui calorẽ perſenſerint,è veſtigio in vermes commutantur,ſericum nere,alis cingi,aliaque oua procreare incipiunt: Ita vnius alicuius peruerſæ cogitationis granum, primùm ipſum viſum propter paruitatem fugiens, altum aliquantiſper ac fotum,monſtrum quod ipſam animã ro-
Cap.1. taliter euertit, progenerat. *Vnuſquiſque* inquit S. Iacobus, *tentatur à concupiſcentia ſua abſtractus & illectus*. Et poſtea oſtenſurus quemadmodum peccatum in animabus noſtris naſcatur ac generetur,ſubiungit: *Concupiſcentia cum conceperit,parit peccatum, peccatum verò cum conſummatum fuerit, generat mortem*. Id eſt quemadmodum in generatione pater materiam ſubminiſtrat, mater autem ſubminiſtratam accipit,& conceptionem partus,ac partum filius ſubſequitur;

tur: Ita Diabolus qui pater peccati eſt peruerſam in animam cogitationem immittit, ex qua poſtea concupiſcentia concipit. Ipſa autem conceptio voluptate etiam ac delectatione aliqua afficitur, dum enim appetitus cogitationẽ perniciosam inclinationi ſuæ conformem deprehendit, voluptatẽ ſentit. Sed & hæc peccati adhuc expers eſt, quod omninò commiti non poteſt niſi peruerſa voluntas accedat, iudiciumque illi conſentiat, adeò vt falſum non ſit leuem nos aliquam mali delectationem & accipere poſſe, ac interim peccatum non deſignare.

Simulac autem rationis iudicium, delectationem quam voluntati diuinæ aduerſari, & lege diuina prohibitam eſſe cognoſcit, voluntatem nihilominus ad eam amplexandam inſtigat, tum verò Deus offenditur, tametſi delectatio illa ex ſola cogitatione oriatur. Tunc inquam Concupiſcentia peccatum parit, ac ſimul animæ mortem enititur, quæ diuinæ gratiæ naufragium paſſa in omnem æternitatem condemnari promeretur. Quis omninò credere ex cogitatione aliqua ſecreta ac quę vix videri poteſt, monſtrum adeò terribile ac horrendum progenerari? Et progeneratur tamen, niſi è veſtigio improbum illud peruerſarum cogitationum ſemen excutitis, ac ne voluntatis calor eas excludat cauetis. Malum enim non in eo conſiſtit quod cogitationes iſtiuſmodi habemus, quippe cum noſtrarum virium non ſit ne ſuperueniant facere: nam & ipſa illarum importunitas meritum nobis cauſat, ſi videlicet illis reſiſtamus, Malum inquam non in ſenſu ſed in conſenſu eſt, non in voluptate ſed in voluptatis acceptione. Atque his demum ita præcognitis Ieremiæ illa verba intelligetis, quando de eadem hac materia cum Ciuitate Ieruſalem Cap. 4. ſermonem inſtituens ait: *Laua à malitia cor tuum Hieruſalem, vt ſalua fias*, impoſſibile enim eſt cor aliquod inquinatum in glorioſam illam ciuitatem introire ad quam omnes nos adſpiramur. Et poſtea cauſam illius turpitudinis aſſignat dicens: *Vſquequo morabuntur in te cogitationes noxiæ?* Vbi ex verbo *morabuntur* intelligitis noxias & peruerſas cogitationes non ad inſtar peregrini Hieroſolymas perambulaſſe, ſed more inquilini ac ciuis illas inhabitauiſſe. Excubemus proinde Auditores mei, & cum peruerſam aliquam cogitationem nobis repræſentari aduertimus,

mus, continuò illam amoliamur nec vllo pacto cum illa colludere præſumamus: cogitantes eam Sathanæ granum eſſe &c. mentem animumque aliam in rem quampiam defigentes.

Quando per plateas inceditis, & catelli ſiue puellæ vos allatrant ac inſequũtur, cauete ne eos feriatis, ita enim magis magiſque inſultabunt: inſiſtite autem recte iter veſtrum, & ſurdos cæcoſque vos fingite, ita enim cōfuſi diſcedere cogentur, voſque ampliùs moleſtare nō audebunt. Quo autem hæc maiore cum alacritate præſtatis operæ pretium fuerit cogitare quemadmodum Deus omnes noſtras cogitationes ac ſecretiſſima quæque ſenſa intueatur; tum quod cogitatione peccatum aliquod determinatum ab ipſo opere & facto planè non differat. Atque ob hanc omninò cauſam Sancta mater Eccleſia dicit Phariſæos verba illa ſupradicta dixiſſe, cum illi non quæ pronuntiaſſe, ſed animo ac mente tantum ea cogitauiſſe legantur.

Quanta audiuimus facta in Capharnaum. Duas ob res Phariſæi hoc in loco de Seruatore noſtro conquerũtur. Primò quod in vrbe Capharnaum miracula patret, tum quod ea in patria ac natali ſuo ſolio itidem deſignare nolit. In primo inuidiam ſuam produnt, in ſecundo filii Dei miſericordiam bonitatemq; oſtendunt. Quæ enim maior inuidia, quod maius odium, quę grauior impietas poteſt reperiri, quam dicere malè Seruatorem noſtrum facere dum in Capharnaum miracula facit? Inuidia enim in duobus conſiſtit, vt videlicet de alterius bono ac felicitate doleat, & de proximi ſui infortunio gaudeat. Quamuis autem peccatum illud Diabolo maximè proprium ſit, quippe qui id proximus in mundum inuexit, attamen iuxta Diuum Chryſoſtomum potius hominibus id adhæret, & grauius aliquando iiſdem imputabitur, quia inter Diabolos ipſos inuidia planè nulla, inter homines autem maxima & extrema regnat. An non recordamini quid duobus primis mundi huius gemellis acciderit? Quis iuſtum Abel occidit, niſi Caini inuidia? Quis Ioſeph in ciſternam demerſit, & Iſmaelitis mercatoribus vendidit, niſi fratrum inuidia. Quis collegium Apoſtolicum contra Diuum Iacobum & Diuum Ioannem collegas ac condiſcipulos exacerbauit, niſi inuidia? Inuidia dico à qua hactenus

nus tot, & tantæ per vniuerſum mundum clades profectæ ſunt, vt quamuis alia argumenta non ſuppeterent, hæc tamen ſola ad illam deteſtandam fugiendamque deberent incitare. Quis aliquando veſtrum, non legit, non audijt, quemadmodum Sinon ille Virgilianus Durateum equum in ciuitatem Troianam induxerit, & obſtetricante deinde manu immanem militum multitudinem ex illo protraxerit, à quibus, igne, & ferro vrbs decennalem obſidionem paſſa fuit deleta, quod ſi Troiani proditorem, & ſceleris illum architectum comprehendiſſent, quibus non ſupplicijs excarnificandum ſibi eum exiſtimaſſent? At interrogate mihi iam nunc pauliſper etiam ex Spiritu S. quis morti aditum primus in mundum fecerit, vbi iam liberrimè in obuia quæq; capita debacchatur? Reſpondebit mihi credite per Sapientem: *Inuidia Diaboli mors intrauit in orbem terrarum.* Vbi ſub vno mortis nomine reliquos omnes morbos intellige, qui non aliter quàm Satellites illam ſtipant. Inuidit ergo Diabolus protoplaſtis noſtris felicitatem ſuam, & quia inuidit ideò tentauit: qui tentati peccatum genuerunt, quod deinde mortem omneſq; alias aduerſitates, quibus homines in hoc mundo premuntur, proſeminauit. Inuidia dico in hunc mundum morbis qui nos affligunt, fami ac ſiti quæ nos cruciant, doloribus ac tormẽtis quæ nos abſumunt, aditum patefecit. Et quomodo nõ toti contremiſcimus quoties vitium illud mentis oculis cernimus aut cogitamus? *Væ illis qui in viam Cain abierunt,* inquit S. Iudas Apoſtolus in ſua Canonica. Vbi ſi interroges quænam illa via ſit, D. Ioannes illicò vobis reſpondebit dicẽs: *Propter quid Cain occidit Abel? nonne quia opera eius erant maligna, fratris autem eius iuſta?* Væ itaque, & iterum væ illis qui in viam Cain abeunt, & inuidiam diligũt: qui vt etiã certius ſciant ſe in omnem æternitatem damnatos iri, hic dum viuunt inferni tormenta tolerare incipiunt. Pulchra, & in primis elegãs Inuidiæ illa aqud Ouidiũ in Metamorphoſeon libris deſcriptio eſt: vbi inter cætera ingenioſiſſimus ille Poeta ait Templũ ſeu Palatium illius in profunda, ac depreſſa valle, iacere, & Beatus Iob dicit: *Paruulum occidit inuidia.* Id eſt. Inuidia vitium eſt humilibus, & anguſtis abiectiſque animis proprium, quod etiam illicitis medijs aliorum famæ præſtruere, ac illam ſi-

Sap.2.

Verſ.11.

Ioan.3.

Lib.2.

Cap.3.

cut planetæ inferiores, ſuperiores, obſcurare contēdit. Addit adhæc Poeta ad Inuidiæ domum nec Soli nec vento vlli acceſſum dari, quia videlicet nihil eſt quo inuidus poſſit recreari: participans vel in hoc de Inferorum ſupplicijs. Inuidus deinde ſemper triſtis eſt, inquit Ouidius, & viparis paſcitur: quia nimirum alienæ felicitatis intuitu conſumitur, & nonniſi infortunijs, & aduerſitatibus in proximum detonantibus recreatur. Poteſtne hæc vita miſerabilior ac inferno ſimilior aliqua excogitari; Itaq; dum etiam vitium iſtud omnium malorum ſentina eſt, & ſcaturigo, illud tamen optimum in ſe habet, quod eorundem à quibus ſibi ſeruitur carnificem agit. Hinc nō male Doctorum quiſpiam *Vitium iniuſtiſſimum, & iuſtiſſimè iuſtiſſimum* appellauit. Et S. Auguſtinus inuidiam viparæ comparat, quę vt lucem videat, ſuæmet matris vterum rodendo perrumpit, ipſeque D. Chryſoſtomus aſſerere non dubitat malle ſe ſerpentem quam inuidiam in ſinu circumferre, quod videlicet faciliùs illum excutere, quam ab hac ſe expedire poſſet. Eſt namq; morbus iſte incurabilis, inquit idem Doctor, vnde hoc vnicum reſtat vt non aliter pro inuidis quā pro obſeſſis oremus, ſiquidem inuidorum morbus quam obſeſſorum periculoſior eſt, quia voluntarius. Quid tibi prodeſt, Chriſtiane, alterius bono liueſcere? nunquid tuum idcircò imminuitur? Contrarium omninò euenit: permittente videlicet Deo hoc amplius bona proximorum augeri, quo acrius illis ſolet inuideri. Demōſtrat hoc nobis Patriarcha Ioſeph, qui nequidquam à fratribus perſecutionē paſſus ad eum dignitatis gradum fuit euectus quo maior illi non videbatur potuiſſe, aſſignari. Punit ergo Deus inuidos bifariam, non concedendo tātum vt à ſuomet quod iactant vitio deuorētur, ſed inſuper bona bonis ijs quibus inuidetur accumulando. Hinc cum Seruator noſter compatriotas ſuos Capharnaitis miracula inuidere conſpiceret, non deſtitit hos alijs ac alijs cohoneſtare, vt hac ratione illi punirentur, & poniti emendarentur. Ex quo etiam admirabilis Seruatoris noſtri miſericordia eluceſcit, quam vtinam miſeri illi agnoſcere acceptareque potuiſſent.

Fac, & hic in patria tua. Diximus Filium Dei ideò in Capharnaum miracula patrauiſſe: vt Nazaræorum inuidiam flagellaret; & ideò in patria ſua nihil admirandum

deſi-

deſignare voluiſſe, vt compatriotarum ſuorum ingratitudinem caſtigaret. Vt enim maxima inuidijs pœna eſt, videre benè ijs fieri quibus ipſi inuident; ita ingratitudinis vitium non melius puniri poteſt, quam ſi ea ingratis eripiātur quæ ipſi vana ſpe illecti præſtolabantur. Et.n. vt nihil æquè Deum ad animæ alicui benefaciendum excitat, quam grati, & memoris animi teſtificatio; ita munera ſua alicui collaturus potentius impediri non poteſt, quam ſi animam quampiam ingratam, & meritorum gratis ipſi impertitorum immemorem inueniat. Quis neſcit mare omnium fluminum, & riuorum fontem eſſe? Et quis ignorat Deum omnis boni caput, & authorem eſſe dicente D. Iacobo Apoſtolo: *Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt deſcendens à patre luminum?* Porrò Cap. I. quem fugit quamnam ob cauſam mare reliquis fluminibus aquas indeſinenter ſufficiat? Docuit id certè nos Spiritus Sanctus per Eccleſiaſticū dicens: *Ad locum vnde exeunt* Cap. I. *flumina reuertuntur, vt iterum fluant.* Quam.n. aquam fluuij per ſecretas ac ſubterraneas venas ab immenſo illo Oceani fonte accipiunt, eandem poſtea palam, & planis alueis vnde mutandi ſunt remittunt. Quod ſi non fieret, & receptam ſemel aquam flumina vel apud ſe retinerēt, vel alio quam quo par eſt refunderent, tum verò ipſum confeſtim Oceanum exhauriri exſiccariq; neceſſe foret. Ad eundem plane modum Deus ter Opt. Max. mortalibus beneficia cōfert, qui ſi more fluminum diuinarum gratiarum aquas ſibi communicatas ſoli Deo tanquam Oceano acceptas ferant, tum verò cumulatius multo ſemel quod accepere expectant: dicentes cum Pſalmiſta Regio Dauid: *Tua Domine ſunt omnia, & quæ de manu tua accepimus reddimus tibi.* E cōtra autem ingratis diuinarum gratiarum aquas ad fontem ſcaturiginemq; ſuam non referentibus vaſtus ille cęteroqui bonorū elargitor Oceanus exareſcit. Hinc D. Bernardus de Ingratitudine loquens ait: *Ventus vrens, & exſiccans ſibi fontē pietatis, rorem miſericordiæ, & fluenta gratiæ.* Vbi expende quā terribilis ac violentus ventus ille eſſe de- Ser. 51. beat, qui diuinę miſericordię Oceanum adeò vaſtum, pro- ſup. Cāt. fundum, & cuius brachia infinita ſunt, malitiæ ſuæ ardore exſiccare perhibetur. Ex quo etiam patet extremam ingratitudinis malitiam cum nulla re meliùs quam cum calido

illiuſ-

iſtiuſmodi vento potuiſſe comparari. Mihi certè neq; ventus ille quem Diabolus contra Iob armans totam illius domum euertit, vlla ex parte videtur eſſe cum hoc noſtro committendus; ſiquidem is vaſtum illud miſericordiæ mare exſiccat, quod fundũ ac litus non habet. Noluit ergo Seruator noſter in patria ſua miracula facere, quia eius ciues miraculorũ à ſe patratorum oĩum maximum, puta Incarnationẽ ſuam in Spiritus S. factã credere agnoſcereq; nolebant. Hinc S. Marc. inquit: *non poterat ibi virtutem vllã facere*
Mar. 9. *propter incredulitatem eorum.* Vbi obſerua Redemptorem noſtrum modo iſthoc ſingulari compatriotarum ſuorum ingratitudinem punientem, miſericordiam tamen ſuã exercuiſſe, & amorẽ quo erga illos ferebatur demõſtrare voluiſſe. Præſuppoſito, n. quod beneficia in ſe collata in grato animo eſſent accepturi, maius reuera bonũ obuenire illis non poterat, quã ſi ſolita beneficia ipſis ſubtraherentur, ne videlicet bonorũ ac gratiarum numero aucto, punitionis etiam ſubiectũ augeretur. Vnde facilè omninò intelligitur quanta ingratorum miſeria, & infelicitas ſit, quibus maius bonum accidere non poteſt, quã ſi plane nullum in eos conferatur. Quotieſcunq; igitur vobis Auditores mei gratia aliqua à Deo fit, eam cõfeſtim recognoſcite, & ingrati immemoresq; eſſe nolite. Nullum. n. peccatum meo quidem iudicio adeò rigidè, & ſeuerè Deus punire conſueuit, quam ingratitudinem, & bõnorum ſibi præſtitorum obliuionẽ. Vnde celebris, & claſſicus quidam Doctor aſſerere non dubitat, omnium flagellorum quibus Deus populum Aegyptiacum, cecidit, ſolam ingratitudinem fuiſſe, quia nimirũ beneficia à filijs Iſrael, & Patriarcha Ioſeph accepta agnoſcere noluerunt. Et videtur mihi idipſum Spiritus S. indicare voluiſſe cũ in principio Exodi diceret. *Succeſſit Rex nouus ſuper Aegyptum qui ignorabat Ioſeph.* Quemadmodum ergo
Cap. 1. ſimulata ac ementia illa ignorãtia omnium malorum cauſa fuit, quibus poſtea populus fuit afflictus, ita beneficiorum acceptorum memoria, & gratitudo omnium bonorũ quæ cælitus in humanum genus conferuntur, fons eſt, & ſcaturigo. Per hanc. n. ad noua beneficia accipienda idonei efficimur, ac vt aliquando in ſempiterna gloria gaudeamus, meremur: *quam mihi, & vobis præſtare dignetur, &c.*

CON-

CONCIO VIGESIMAPRIMA PRO FERIA TERTIA POST DOMINICAM Oculi.

Reſpiciens Ieſus in diſcipulos ſuos, &c. Matth. 18.

QVAM vtile quamque ſalutare, addo etiam quam prorſus neceſſarium in Eccleſia Dei ſit fraternæ correctionis officium, non ſolum ex hodierno Euangelio, ſed ex eo etiam liquet quod id Seruator noſter poſtquam iam cœlos triumphator aſcendiſſet, ſingulari quodammodo nobis non dubitauit commendare. Atque id ex Apocalyptica illa viſione colligere multo quam facillimum eſt, vbi D. Ioannes ait: *Vidi ſeptem candelabra aurea, & in medio ſeptem candelabrorum, ſimilem filio hominis, veſtitum podere, & præcinctum ad mamillas zona aurea.* Super quę verba Doctorum plurimorum commentantium conſtans opinio eſt, illum filio hominis ſimilem Seruatorem noſtrum eſſe, qui ſingularem curam ſeptem Aſiaticarum Eccleſiarum, quæ ſeptem aureis candelabris indigitantur, habebat. Zona autem aurea ingentem illum amorem ſignificat, quo impellente Eccleſiarum illarum ſalutem, ac vtilitatem procurabat. Verum hæc omnia ex ijs quæ in viſione conſequuntur clariora manifeſtioraque euadent. Ait. n. idem Sanctus Euangeliſta: *Caput eius & capilli erant candidi tanquam lanæ alba, & oculi eius tanquam flamma ignis. Pedes eius ſimiles aurichalco, tanquam in camino ardenti, & vox illius ſicut vox aquarum multarum.* Et poſtea concludens ſubdit: *Facies eius ſicut Sol lucet in virtute ſua.* Vbi obſerua ideò candidum illi capillum appingi, quia officium quo fungebatur, non niſi à maturo, & experto homine poterat obiri. Deinde oculi ignei in facie Soli ſimili rutilabant, vt intelligamus ſupremum illum Dominum ple-

num

Digitized by Google

num diuina humanaque ſapientia eſſe. Dum ergo dicitur oculos illius ignis, faciem autem Solis ſimilitudinem habere, ſignificatur ſicut ignis, ac Sol omne igneum quod in cęlo terraque eſt continet, ita Seruatorem noſtrũ omniũ tam cœleſtium, quam terreſtrium rerum plenam, & abſolutam cognitionem habuiſſe. Porrò cum Euangeliſta hominis illi filio pedes orichalcinos appingit, Seruatoris noſtri patientiam declarat, quæ in eo potiſſimum elucebat, quod ſicut pedes reliquum corpus, ita ipſe ſeptem Eccleſiarum imperfectiones ſuſtinebat. Hinc quo eiuſdem etiã patientia, ac manſuetudo ampliùs eluceſcat, addit eos orichalco camino impoſito perſimiles eſſe. Ea enim metalli huius natura eſt tanta vt plus luceat, & ſplendeſcat, quanto ampliùs, ac ſæpiùs igne caminoque excoquitur. Addit adhæc D. Ioannes vocem eius aquarum multitudinem referre, vt nimirum oſtendat verba æterni illius Doctoris ſitim intellectus reſtringere, & voluntatis maculas lauare. Quod ſi hæc omnia in figura præſignata collegeris, dices. Sanctum Ioannem repræſentantem filium Dei aurea zona cinctum, capite candidum, capillo canum, in medio candelabrorum ſtantem, oculis ceu igne flammicantem, facie ad inſtar Solis lucentem, pedibus orichalco ſimilibus inſiſtentem, ac denique vocem aquarum multitudinem referentem, aliud ſignificare noluiſſe, quam eundem Seruatorem noſtrum qui cœlum inhabitat, Eccleſiæ ſuæ mirabili cum prudentia aſſiſtere, plenum charitate, & ſapientia iniurias patienter tolerare, & doctrinam illi ſuam ad inſtar aquæ animas à peccatorum ſordibus lauantem cõmunicare. Hæc enim omnia ad officium quo fungebatur ritè decenterq; obeundum requirebantur. Quod ſi etiam hoc loco interrogetis quodnam illud munus, ac officium fuerit, dico aliud non fuiſſe, quam Diuum Ioannem acerrime extimulare vt in fraterna ſe correctione, multo quã ſtudioſiſſimè exerceret. Habens enim in primis pectus cinctum & charitate æſtuans ſimulque in Epiſcoporum ſeptem dictas Eccleſias gubernantium delicta & diſſolutos mores oculos conijciens, neceſſario ijs compatiebatur, & D. Ioannem exhortabatur quatenus ſingulos literis compellaret, & blande ac ſuauiter melioris vitæ illos admoneret: Hinc antè beneuolentiam eorum captat, laudando
bo-

bona quæ fecerant,& poſtea etiam delicta ijs ſua detegendo additis inſuper minis ac pœnis niſi è veſtigio ad meliorem ſe frugem recepiſcent. Dicit enim in primis Apoſtolus: *Scio opera tua,& laborem tuum,& patientiam tuam*; ac deinde beneuolentia ita captata illico ſubiungit; *Sed habeo aduerſum te pauca quod charitatem tuam primam reliquiſti*. Et aliam Eccleſiam ſcribit: *Tenes nomen meum, & non negaſti fidem meam*; ac ſubdit: *Sed habeo aduerſum te pauca, quia habes illic tenentes doctrinam Balaam*. Et alteri præmium ac brauium promittens inquit: *Eſto fidelis vſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ*. Alteri autem minatur dicens: *Pœnitentiam age,ſi quo minus venient tibi cito,& pugnabo cum illis in gladio oris mei*. Ex quibus omnibus viua quædam Idea ac regula elicitur,ſecundum quam is tractare ſe debet,qui ritè,& ſanctè fraternæ correctionis officium cupit exercere. Antè omnia enim ille qui alios corripere ac emendare vult,prudens, amator, & patiens eſſe debet, & vnum hoc ſpectare quemadmodum doctrina,& correptione ſua non multo aliter quam aqua fratrum ſuorum maculas eluat. Quæ quam etiam accurate in Euangelica Hiſtoria nobis exhibeantur,conſiderandum eſſe videtur.

Si peccauerit in te,ait Euangeliſta. Vbi primum obſerua ſcopum ad quem Seruatoris Noſtri de fraterna correctione doctrina collimant,hunc eſſe vt Chriſtianus fratris ſui animam lucrifacere ſtudeat, nullam interim illius honori ac bonæ exiſtimationi labem,& maculam aſpergendo: Vti enim is vulgo optimus Medicus cenſetur,& iudicatur,qui ſanitatem per facillima medicamenta reſtituere didicit: Ita ſupremus ille animarum noſtrarum Medicus Ieſus Chriſtus, nobis infirmitates proximi ſanare cupientibus ante omnia honoris ac famæ rationem eſſe habendam dicit: quod ſi citra illius diſpendium ſanitas recuperari non poteſt,tum verò conſultius fuerit bonam exiſtimationem quam animam & illius ſalutem naufragari. Ita enim & Medicina docet, quæ brachium reſecare iubet vt corpus conſeruetur,& Hippocrates in Aphoriſmis ſuis inquit; *Extremis morbis extrema remedia ſunt adhibenda*. Vnde Seruator noſter ait: Si peccauerit frater tuus in te, corrige eũ ſolum, ac intra te,alio non preſente. Vbi primum obſerua Seruatorem hic noſtrum de mortali tantum peccato, *Aphor. 6*

aut

Serm. 16 de verb. Dom. aut certè mortali proximo ſermonem inſtituere; in ijs .n. erratis quæ venialia tantum ſunt fratrem noſtrum corrigere non tenemur; pro vt ex illo facilè colligere eſt: *Si te audierit, lucratus es fratrem tuum.* Vbi præclarè D. Auguſtinus obſeruat, ergo perditum ante fuiſſe. Porrò cum anima aliqua non niſi per peccatum mortale perdatur, hinc ſequitur Seruatorem noſtrum, tunc tantum ad fraternam nos correctionem obligare, quando proximus noſter peccatum mortale deſignauit, aut certè id agit vt deſignet. Secundo obſerua vocem *In te*, tametſi idem valeat quod contra vel aduerſum te, non ſolum eos offenſas continere quæ directè contra nos committuntur, ſed illas etiam quę in Deum, ac proximum noſtrum fiunt. Quiſquis enim veram charitatem habet, is æquè has atque illas contra ſe factas arbitratur. Et ratio eſt quia charitatis præceptum nos obligat ad Deum ſuper omnia, & ad proximum ſicut nos ipſos diligendum. Ex quo etiam præclarè conſequitur offenſas contra Deum factas potiùs, quàm contra nos, cordi nos eſſe oportere; & eas quæ proximum concernunt non minus nos commouere, quam illas quæ contra noſmetipſos factæ ſunt debere *Quis infirmatur*, inquit S. Paulus, *& ego non infirmor? Qui ſcandalizatur & ego non vror?* Quoniã ergo charitatis præceptum omnibus Chriſtianis commu-

1. Co. 11 ne eſt, ſufficiebat dicere *Si peccauerit in te*, ſiquidem ſub hoc proximi ipſiuſque etiam Dei offenſæ comprehenduntur. Hinc nonnulli verba illa *In te*, æqui valere contendunt *Coram te*, vt ſit ſenſus. Si peccatum à fratre tuo deſignatũ certò tibi innotuerit, non autem leui ac incerto rumore, & abſque capite ad te perlatum fuerit. Crepera enim, & incerta quæ ſunt, ea apud hominem circumſpectum tanti eſſe non debent, vt idcirco Fratrem ſuum modo illo hic à Seruatore noſtro præſcripto correptum ire velit. Et vitabitur etiam hoc loco nimia anxiaque curioſitas in alterius peccatis perſcrutandis, tametſi id animo bono fiat. Quoties autem certò tibi etiam citra tuam indagationem de proximi peccato conſtat, tunc verò rem pulcherrimam feceris ſi eum correxeris, ac emendaris. Econtra autem ad inſtar vertagi aut canis venarici, ſub correptionis prætextu, omnia proximorum veſtigia actioneſque odorari, id neq; Deo gratum eſt, nec fratri tuo ſalutare. Et facit huc in primis

mis

mis Leuitici illud præceptum vbi Deus edicit: *Non accedet ad miniſterium eius qui fuerit vel paruo, vel grandi, vel torto naſo.* Vbi quid tu per paruum naſum aliud quam illum ſignificari ex iſtimas, qui minutiſſimis proximi ſui erratis delictiſque indignatur? Ideo enim ſcriptura aliquoties latas Deo nares attribuit, vt oſtendat plurima illum pati ac tolerare: quemadmodum is è contra nihil aut perparum ſuſtinet, qui exigui ac parui naſi eſt. Etenim quid facilius eſt quam in anguſto fumibulo etiam fumo pleno, iræ ignem accendi? Quis autem lõgioris iuſto naſi eſt, niſi qui omnia odoratur & perueſtigat, & qui puerili ac inepta quadam curioſitate ſingulorum veſtigia ſcrutatur? Cui autem tortæ nares ſunt, ſi illi non ſunt qui in proximo ſuo vidit ac animaduertit, ea ipſe perperam explicat, & in deteriorem partem interpretatur? Hæc autem tria hominum genera Dei ſeruitio apta idoneaque non ſunt. Precipuè verò curioſi illi alienorum defectuum indagatores Deo diſplicent, quia quæ in alijs aduertunt, in charitate corrigere neſciunt: qua ſi prædi- ti eſſent, vtique non ita anxiè & ſolicitè aliena ſcrutarentur Legimus apud Ezechielem Deum in hæc verba ciuitati cuidam minitantem: *Naſum tuum & aures tuas præcidam.* Cuius ego rei nullam aliam cauſam aſſignare poſſum quam quod ciues illius alienorum iſtiuſmodi facinorum fuerint ſcrutatores. Quæ natura & conditio vti Diabolis maximè dominatur, ita ad Rerumpublicarum interitum & perniciem apta proprijſſimaque eſt. Quod ſi alicui hominum generi naſum procerum & nares latiores aſſignare eſt, Senatui certè ac ijs qui ad Rerumpublicarum gubernacula ſedent venuſtiſſimè accommodabuntur. Hos enim ſponſus indigitare mihi videtur cum ait: *Naſus tuus ſicut turris Libani qua reſpicit contra Damaſcum.* Rectores enim ac preſides qui ſublimiore ſpecula ad hoſtes obſeruandum conſtituti ſunt, in ſubditorum peccata inquirere ex officio tenentur. Ob hanc enim credo cauſam Canum nomine à Scriptura Sacra afficiuntur? quippe cum vbi a canibus diſceſſeris, nullum æque animal odoretur, ac naribus ſuis omnia perflet ac perueſtiget. Sicut autem priuatis hominibus malè latiores nares aſſignaueris, quàm quæ ad ſuam tantùm domum per-

Cap. 12.

Cap. 33.

ſtandam perueſtigandamque ſufficiunt: ita ijdem fraternæ correctionis hoc præcepto ea ſolum modo in alijs reprehendere tenentur, quæ ab alijs ad ſe deferuntur, aut quæ in ſuamet præſentia geruntur. Atque hoc verba illa *Si peccauerit in te* ſignificant.

Frater-na corre-ctio.

Sequitur *Frater tuus*. Ex his verbis Doctores occaſionem acceperunt cur correctionem fraternam indigitarent. Nobis autem duo in primis ad hunc locum obſeruanda ſunt. Primo præceptum illud non obligare niſi Chriſtianorum reſpectu, qui Fratres ſunt & in Baptiſmo regenerantur, *non ex ſemine corruptibili*, inquit Apoſtolus, *ſed incorruptibili per verbum Dei viui & permanentis in æternum*. Quæ Iudæis, Paganis, & Infidelibus non conueniunt, qui proximi noſtri idcirco ſunt, quia felicitatis illius capaces ſunt, ad quam omnes nos creati ſumus: Fratres autem eo modo quo Seruator noſter accipit eſſe non poſſunt, & ideò etiam ſub illo fraternæ correctionis præcepto non continentur.

Iudæi proxi-mi no-ſtri non Fratres ſunt.

Hanc autem Seruatoris noſtri mentem ac intentionem fuiſſe ex ſequentibus liquet, cum dicitur fratrem noſtrum coram duobus teſtibus monitum ac necdum reſipiſcentem, apud Eccleſiam debere accuſari. Vnde manifeſtè conſequitur eos qui Eccleſiæ non ſubſunt, ſub correctionis etiam præcepto non contineri. Quod quatenus Seruatoris noſtri eſt, & cum circumſtantijs in præſenti Euangelio contentis conſideratur, non niſi Baptizatos obligat, ſiquidem Baptiſma vnica porta eſt per quam in Eccleſiam introitur, & ſoli baptizati iuriſdictionis illius ſubiecti ſunt. Quatenus autem naturæ præceptum eſt, eatenus omnes mortales obligat, iuxta illud. *Vnicuique mandauit Deus de proximo ſuo.* Vbi non dicitur *de fratre ſuo*, ſicut hic in Euangelio, ſed *de proximo*. Quoniam ergo nemo non eorum qui ſaluari poſſunt proximus noſter eſt, hinc fit quod nullus planè hominum ab hoc præcepto quatenus naturali eximatur. Atque hoc primum eſt quod ſuper verba illa *frater tuus* obſeruandnm obuenerat. Secundum autem eſt ideò, nimirum Seruatorem noſtrum fratris nomen vſurpauiſſe vt illud animo cogitantes maximè ad hoc præceptum nos obligari conſtitueremus. Hinc idem eſt ac ſi dicat: Si præceptum illud graue aliquando vobis videatur, & ſi difficultatem in vobis fingitis fratrum vt veſtrorum

peccata

peccata corripiatis,cogitate eos quos reprehenſuri eſtis fratres veſtros eſſe, pro quibus quantumuis etiam factu difficilia facilia debemus interpretari. Cum Abraham & Loth Aegypto egrederentur, Scriptura ait tantam pecorum copiam & armentorum vim eos abegiſſe vt ſufficientia paſcua non inuenirent; vnde factum eſt vt lis & contentio inter ſeruos & paſtores oriretur. Quod cum Abrahamo innotuiſſet,Loth accerſiuit & dixit: *Ecce vniuerſa terra coram te eſt,recede à me obſecro. Si ad ſiniſtram ieris, ego dextram tenebo;ſi tu dexteram elegeris,ego ad ſiniſtram pergam. Et ne quaſo ſit iurgium inter me & te,inter paſtores meos & paſtores tuos, fratres enim ſumus.* Vnde perſpicimus Abrahamum ſolo fraternitatis intuitu motum ſuo iure credere, & vel peſſimam partem ſibi reliquam facere non dubitauiſſe. Silebo hic quantum caſtus Ioſeph ſuſtinuerit, quam benignè ignouerit,quoque affectu inimicos ſuos recepit,ſola illa cogitatione perculſus quod fratres ſui eſſent. Ea enim vis ac potentia fraterni nominis eſt vt eum qui id agnoſcit quaslibet difficultates deuorare, ac diuerſiſſima pericula ſubire compellat.Hinc quoties S. Petrus & S. Paulus Apoſtoli amorem mutuum & charitatem nobis inculcant,plerumque Fratris nomen vſurpant,exiſtimantes firmiùs ac plauſibiliùs ſe argumentum non poſſe ad id quod volebant commendandum excogitare.Quilibet itaque veſtrum exiſtimet Deum vos non aliter quam Cain olim interrogare. *Vbi eſt frater tuus?* Quod ſi impij ac ſcelerati Caini illius inſtar eſſe non velitis, cauete cum eodem reſpondeatis. *Nunquid ego ſum cuſtos fratris mei?* Etenim quis fratris curam habebit niſi is cuius frater eſt? Et quis pro altero ſolicitus erit, niſi is qui idem quodā modo cum ipſo eſt? Cogitemus ergo eos qui delinquunt,fratres noſtros eſſe,& ſic non difficulter eorum errata corripiemus, Cogitemus, inquā,eos fratres noſtros eſſe, & manſuetudine facilitateque in noſtris animaduerſionibus vtemur. Cogitemus rurſus fratres illos noſtros eſſe,& defectus eorum mirabili cum patientia tolerabimus, & ſalutem eorum ibimus procuratum. Per omnes ac ſingulas conſiderationes Seruator noſter fratris nobis nomen in memoriam voluit reuocare.

Vade & corripe eum. Videtur his verbis Chriſtus præcipere vt fratrem noſtrum qui peccauit inſequamur quæra-

mus,ac poſtea inuentum corrigamus. Attamen hoc ipſum (prout D.Thomas animaduertit) præcepti vim non habet, licet charitatis legibus conforme ſit. Nobis autem ad hunc locum duo plena honoris & vtilitatis In medium expromenda conſiderandaque ſunt. Primum eſt quemadmodum Seruator noſter eo modo particulares Fratrum noſtrorum Apoſtolos nos conſtituat: nam iuxa D.Paulum, Apoſtolorum officium eſt homines cum Deo reconciliare.
2. Cor. 5 *Poſuit in nos*, inquit ille, *verbum reconciliationis. Legatione ergo fungimur tanquam Deo exhortante per nos. Obſecramus pro Chriſto, reconciliamini Deo.* O verba reuera aurea, & quæ vel lapideum pectus ad fratrem ſuum peramanter corrigendum valeant excitare! Scitis Fratres mei, inquit Apoſtolus, Seruatorem mundi fraternæ correctionis præceptum ferentem, verbum reconciliationis in nos poſuiſſe, vt vos mediante noſtra exhortatione cùm Deo in gratiam redire ſatageretis, quã per peccata veſtra perdidiſtis *Legatione ergo fungimur.* Nolite exiſtimare plebeios ac priuatos homines tantum nos eſſe, ſed potiùs vt ipſius Dei legatos *à latere* nos accipite. *Obſecramus pro Chriſto* ac per amorem illius mi frater; quin ipſemet ore ſuo proprio te inclamat atque compellat vt ſecum in gratiam redeas: conſideratis præſertim periculis quæ adis extra ipſius gratiam conſtitutus, perpenſiſque inſuper tormentis quæ pro te Redemptor tuus ſuſtinuit Hoc Apoſtolorum officium, hoc munus, hæ partes ſunt, inquit S. Paulus, & hoc ipſum illud eſt quod per Seruatorem noſtrum in fraternæ correctionis præcepto commendatur. Poteſtne in mundo nobilius officium quam iſtud reperiri? Poteſtne dignitas quam hæc excellentior excogitari? Quod ſi etiam animum & oculos in fructum & vtilitatem muneris huius conijcitis vbi maior inuenietur? dicente præſertim D. Iacobo in epiſtola ſua *Qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ, ſaluabit animam ſuam, & operiet multitudinem peccatorum.*
Cap. 5. Poteſtne merces quam hæc copioſior expectari? Certò ſcire Deum peccata tibi tua condonaturum, & animam tuam ſaluaturum? Quod ſi quantum in te eſt feceris, neque tamen proximum tuum conuertere valueris, nunquid tibi præmio idcircò tuo ac mercede carendum erit? Nequaquam: ſiquidem enim tu pro virili tua certauiſti, charitas tua non defrau-

defraudabitur, & meritorium tuum opus mercede ſua non priuabitur, tametſi fratris conuerſio non ſubſequatur. Habes hinc ex quibus ſufficienter intelligas honorem & fructum nunquam illos deſiderare, qui fraternæ correctionis præceptum adimplent. Quod ſi ſæpenumero homines quidam alterius vt tantum, id eſt, vel honoris, vel vtilitatis poſſeſſionem conſequantur, mille ſe periculis exponere, difficila itinera ſuſcipere, vitam, ſanitatem, & animarum etiam nonnunquam ſalutem in diſcrimen adducere non verentur; quis adeò deſes ſit vt ſciens vtrumque præmij loco huius præcepti obſeruatoribus propoſitum eſſe, fratrem ſuum corrigere nolit, cum præſertim id non plus aliquot paſſibus illi conſtet?

Inter te & ipſum ſolum. Vult per hæc verba benigniſſimus Redemptor noſter ſignificare, ita nos proximi ſalutis ſatagere debere ſimul vt modis omnibus bonam illius famam & exiſtimationem conſeruare tuerique ſtudeamus. Hinc vult vt priuatim ſi quando halluzinatus fuerit reprehendatur. Et quamuis parthenius ille Patriarcha Ioſeph nunquam Euangelicum hoc præceptum audiuiſſet, nihilominus accuratè ſecundum litteram in fratrum ſuorum correctione id obſeruauit. Dicitur enim expreſsè, quod alloqui eos volens *præcepit vt egrederentur cuncti foras*; quo videlicet liberius quod volebat expromere, ſeque manifeſtare poſſet inquiens: *Ego ſum Ioſeph frater veſter, quem vendidiſtis in AEgypto.* Vbi vides eum peccatum fratribus exprobraturum omnes reliquos ſubmouere voluiſſe, qui cognitionem rei non habebant. Verum quid opus eſt hominum diutiùs exemplis immorari, ſi ipſius Dei authoritate non deſtituimur, qui etſi nullis omninò legibus ſubiectus ſit, hanc tamen priuatim & ſeorſim corrigendi rationem voluit obſeruare. Quis noſcit eum Cainum priuatim reprehendiſſe? Quis etiam ignorat, quod Aaronem & Mariam, quod contra fratrem ſuum Moyſen murmurauiſſent, reprehendere volens antè præceperit: *Egredimini vos tantum tres ad tabernaculum fœderis.* Quin quod mirabilius adhuc eſt etſi ante tres illos ad tabernaculum exire iuſſiſſet, volens tamen poſtea duos tantum qui peccauerant corripere, ipſum Moyſen ſubmouit, *& deſcendit Dominus in columna nubis, & ſtetit in introitum*

Gen. 45. Gen. 4. Nu. 12.

troitum Tabernaculi, & vocauit Aaron & Mariam. Vbi ipſe Deus portam obſidere voluiſſe videtur ne quis videlicet ad locum illum ingrederetur, vbi fontes corripientes corripiendi erant,& vt ipſa correctio tanto eſſet ſecretior. Similiter cum iuſtum Iob reprehenſus erat,id priuatim ſibi faciendum eſſe exiſtimauit, & poſtea coram illius amicis ac neceſſarijs alacriter eius honorē exiſtimationemq; propugnauit. Porrò cum etiam Seruator noſter Samaritanam illam correptus eſſet, Diſcipulos ſuos ne auſcultare poſſent, in ciuitatem eſculentorum aliquid coemptum ablegauit. Quod autem eam ob cauſam illos à ſe ſubmouerit, vel inde ſatis ſuperque liquet,quod Diſcipulis cibos ad ferentibus manducare noluit, oſtendens non cibi ſed Samaritanæ ſe cauſa illos dimiſiſſe. Quod ergo Patriarcha Ioſeph in lege naturæ obſeruauit, quod ipſe Deus & illius Filius in correctionibus operam dedit,hoc inquam illud ipſum eſt quod Seruator noſter in hodierno Euangelio præcipit,dicens fratrem noſtrum cum peccauerit non niſi priuatim & ſeorſim eſſe corripiendum.

Iob. 38. & 41.

Quantum verò ad ipſam corrigendi & reprehendendi methodum attinet,obſeruanda eſt in primis lenitas & manſuetudo,cogitandumq; inſuper diuinam Maieſtatem peccatum protoplaſtorum correpturam non in throno ijs apparuiſſe,ſed inſtar hominis in Paradiſo ad illos prorepſiſſe. Eſt enim hæc non D. Auguſtini tantum ſed plurimorū aliorum Doctorum ſententia, Deum inſtar hominis tunc ambulauiſſe, vt qui corripiendi erant cum ſub humana forma conſpicientes intelligerent blandè ac humaniter ſe reprehenſos iri. Vnde & nos facilitate,lenitate,& manſuetudine vti debemus,ſi quando aliquid in proximorum vita obuenit, quod corrigēdum eſſe videatur. Atque hoc D. Bernardus ſubtiliter eo in ordine obſeruauit, quem Redēptor noſter octo Beatitudines in monte tradens ſecutus eſt. Dum enim primò dicit *Beati mites*, & poſtea *Beati miſericordes*, quid aliud ſignificare vult, inquit idem S. Bernardus,quam manſuetudinem, miſericordiam, cuius opus eſt fraterna correctio,præcedere oportere? Qua doctrina itaq; præmiſſa & præſuppoſita, dico S. Paulum omnia ea quæ amplius ad reprehendendi methodum pertinent, pauculis omninò verbis fuiſſe complexum. Dum enim is Diſcipulo

lo ſuo Timotheo concionandi regulam rationemque præſcribit, ſic ait: *Inſta oportunè, importune argue, obſecra, increpa, in omni patientia & doctrina.* Id eſt: Non ſufficiat tibi ſemel atque iterum fratrem tuum obiurgare, ſed inſerui tempori, & tunc delinquentem aggredere, quando & audire illi vacat, & vtile ac ſalutare eſt. Si enim peccantem in cholera & feruore Deum offendendi deprehenſum reprehendere præſumas, tum verò ille enormius iurabit, grauius blaſphemabit, & vel tunicam ludens deponere non dubitabit. Neceſſe eſſe proinde eſt vt tempori ſeruias & commodæ occaſioni inſidieris. Etſi enim quod dicitur bonum ſit, attamen quia importunè dicitur, malè cedit, iuxta Eccleſiaſtici illud: *Ex ore fatui reprobabitur parabola, non enim dicit illam in tempore ſuo.* Cum autē occaſio & oportunitas offertur, tum verò importuni eſſe, & quod D. Paulus primo loco ponit inſtare poſſumus. Secunda vox eſt *Argue*, quæ ſecundum Græcam originationem delinquentem peccati conuincere ſignificat, ita vt ex ſermone & ratiocinatione corripienti peccatum ſuum agnoſcat atque intelligat.

2. Th. 4.

Cap. 20.

Quoad enim is erratum ſuum non agnoſcit, ſpes emendationis nulla eſt. Hoc autem ita facto quod vocula *obſecra* ſignificat obſeruabit, quod idem eſt ac obteſtari, precando coniurare, amorem Ieſu Chriſti & illius miſericordiæ viſcera interponere, quemadmodum Apoſtolus nonunquam facit, dicens; *Obſecro vos per miſericordiam Dei, &c.* Atq; hic precandi modus efficaciſſimus eſt, ſiquidem clarè & euidēter rogantis affectum detegit, audientis beneuolentiam captat, corda emollit, & docilia facit. Porrò ſi omnia iſta non ſufficiunt, vſurpetur ſequens vocula *Increpa*, id eſt acriter obiugare, vel vti alibi ad Diſcipulum Titum ait, *Increpa illos durè* Qui enim duro & agreſti cerebro ſunt, hi acri & auſtera reprehenſione opus habēt. Attamen iurandum eſt, inquit Apoſtolus, omnia vt hęc *cum patientia & doctrina* fiant. Neceſſaria enim profecto patientia illis eſt qui alios corripere reprehendereque volunt, dum nimirum ſæpenumerò grauia dictu audire coguntur. At requiritur hoc loco etiam doctrina, qua præcipuè prudentiam concernit, & per quam delinquentis inſolentia ita reprimitur ac coercetur, vt nolens ſe dedere compellatur. Cæterum ſi omnia iſta media nihil efficiunt, tum verò ad orationem in hodierno

Rom. 12.

2. Tim. 4.

 dierno

dierno Euangelio à Seruatore noſtro præſcriptam recurrendum eſt, iſque qui peccauit in præſentia duorum teſtiũ conuincendus. At væ illi quiſquis fratris ſui correctionem
Prou. 13. non admittit: verò enim veriùs eſt Sapientis illud: *Egeſtas & ignominia ei qui deſerit diſciplinam, qui autem acquieſcit corricienti glorificabitur*. Et alterum: *Qui abijcit diſciplinam, deſpicit animam ſuam: qui autem acquieſcit increpationibus poſ-*
Prou. 25. *ſeſſor eſt cordis*. Quibus & illud conſonat: *Viro qui corripientem ſe dura ceruice contemnit, repentinus ei ſuperueniet interitus, & eum ſanitas non ſequetur.* Meritò enim is in morbum medicina fortiorem incidit, qui cũ antè malè haberet medicamentum reſpuit, ac medicum ſuum contempſit. Qui etiam morbus ſi in corpore accideret tolerabilis fortè eſſet, nunc autem cum in anima ſit, quis non magnoperè eũ reformidet; ſciens principium illius peccatum, finem verò ſempiternam eſſe condemnationem? Quis non contremiſcat adeò rigidam & ſeueram punitionem audiens? Agite proinde fratres mei agnoſcite beneficium quo ille vos afficit, qui fraternam correctionem in peccatis veſtris puniendis vſurpat. Quotquot autem fratres ſuos delinquentes ac exorbitantes reprehenſuri ſunt, hi prudentiam non deſiderent cum lenitate charitateque incipiant, grauibus & plauſibilibus rationibus delinquentem conuincant, & per amorem Dei quatenus à malè agendi inſtituto recedat eum obſtentur. Quod ſi vniuerſa iſta non ſufficiant, increpent & obiurgent cum omni patientia & doctrina, ſerenum & comem ſemper vultum præſeferentes, Inter omnia autẽ & præ omnibus efficaciſſimum fuerit Deo rem totam commendare, atq; illum priuſquam incipias conſulere, hic enim prudentiam medijs, vires rationibus, efficaciam verbis, & energiam affectionibus impertit Hic ſolus vti cordium dominator eſt, ita eâdem flectere ac emollire poteſt, vt ita per gratiam ſuam immutata atque diſpoſita, gloriam ſempiternam conſequantur, *quam mihi & vobis &c.*

CON-

CONCIO VIGESIMASECVNDA PRO FERIA QVARTA POST DOMIN. OCVLI.

Acceſſerunt ad Ieſum Scribæ, &c. Quare diſcipuli, &c. Matth. 15.

SCRIBAE, ac Phariſæi illi, Auditores dilectiſſimi, qui in præſenti Euangelio apud Seruatorem noſtrum eius diſcipulos de legis præuaricatione accuſant, ijdem planè illi ſunt qui alias Diſcipulos acceſſerunt, & apud eos conqueſti ſunt quod Magiſter ipſorum cũ peccatoribus, & Publicanis manducaret. Vti enim hodie ad Seruatorem noſtrum inquiunt: *Quare Diſcipuli tui tranſgrediuntur mandata ſeniorum?* Ita tum ad Diſcipulos dicebant: *Quare cum Publicanis, & peccatoribus manducat Magiſter veſter?* Sicut autem ingentem, & copioſam admodum iſtiuſmodi ſuſurronum familiam vbiuis ferè gentium reperias, ita damna quæ generi humano inferre conſueuerunt, maxima & prope incredibilia ſunt. Dum enim proximi diffamantur, & mille diſſenſiones, rixæ, ac ſimultates ſeminantur, quid amabò aliud quam bella, quam proditiones, quam cædes ſubſequuntur? Atque hoc mihi Spiritus Sanctus docere inſinuareque voluiſſe videtur, quando per Eccleſiaſticum vitij huius deformitatem expendentem dicebat: *Lingua tertia multos commouit, & diſperſit illos de gente in gentem: ciuitates muratas diuitum deſtruxit, & domos magnorum effodit.* Vbi per linguam tertiam ſuſurrones illos, ac Diaboli mancipia intellige, qui medios ſe inter duos ingerunt, non vt eos concilient, ſed vt conſentientes diſiungant atque diuellant. De his Regius Propheta Dauid ait: *Quorum os maledictione, & amaritudine plenum eſt, veloces pedes eorum ad effundendum ſanguinem.* Et niſi valde me animus meus fallit, ipſum hoc eſt hominum genus, quod Poetę ſua de Cadmæis fra-

Matt. 9.

Cap. 28.

Pſal. 13.

Fabula de Cadmo.

tribus

tribus fabula repræſentarunt; Nam Cadmum dentes cuiuſdam ſerpentis proſeminaſſe ferunt, per quos criminatores intelligebant, dicente Scriptura. *Si mordeat ſerpens in ſilentio, ſic qui detrahit ſecreto proximo ſuo.* Dum autem ex dentium illa ſemente armatos homines proſiliuiſſe comminiſcerentur, quid aliud ſignificabant quam bella ex detractionibus perſeminari? Et cum dicerent mutuis omnes cędibus ſe confeciſſe, quid aliud inſinuarunt, quam ipſos illos detractores ſe inuicem lædorijs proſcindere, & maledictis iugulare? Hinc Scriptura ſacra *ſuſurrones, & bilingues* illos appellat, quod videlicet modo huius modo illius aures circumſtrepentes aliud atq; aliud loquantur, & de vna eademq; materia diuerſimode ſentiant, & dicant. Ob eandem planè cauſam maledicti vocitantur, quod nimirum Deus qui pacis author, & amator eſt omnes maledictiones in illos effundat, qui diſſenſiones, & bella proſemināt. Quod ſi etiam hoc loco remedium aliquod contra impiū ac ſceleratum iſtud hominum genus deſideres, hoc tibi inſtar omnium eſto, eorum conſortium quam diligentiſſimè vitare, aut ſi omninò illos audire cogaris, verbis, & dictis fidem non arrogare. Ideò enim Eccleſiaſticus poſtquā de maledicta illa gente diſſeruiſſet, ait: *Qui reſpicit illum non habebit amicum in quo requieſcat.* Qui enim criminandi maledicendiq; illi libidine pruriunt, ij vnum hoc agunt quomodo amicos noſtros ſuſpectos nobis reddant: quod vbi ſemel effectum dederint, iamque ſemel tantum fidem impetrarint, tum vero neminem reperiemus cum quo liberè agere velimus metuentes continuò ne inimicus amicum mentiatur. Quid vos iſtiuſmodi criminatoribus maledicis, & ſuſurronibus faciatis? Fugite per Deum illos mihi Auditores, & Satyri illius mementote, de quo Aeſopicus Apologus circumfertur. Aſpera, & ſupra modum acris hyems erat, cum ecce tibi Satyrus quiſpiam frigore, & gelu propè enectus in Agricolæ cuiuſdā ſpelæum ſe recepit, ad luculentum pauliſper caminum rigentes bruma artus calefacturus. Acceptat benignè Agricola hoſpitem, & pranſurus menſæ vna accumbere iubet, ille dicto audiens in calidum fortè appoſitum ius repetito ſpiritu ſufflabat. Mirabatur Satyrus, & cauſam ſciſcitabatur, at ille refrigerandi gratia id fieri dicebat. Porrò cum deinde etiā

Eccl. 10.

Eccl. 28.

mani-

manibus,& digitis inclementiore aliquantum vento afflatis rigeret,in eaſdemque etiam mox ſufflaret,rurſus cur id faceret interrogatus,reſpōdit calefaciendi id ſe cauſa facere. Tum verò Satyrus attonitus hęrebat,nec vllo modo amplius iſtiuſmodi cum homine morari velle,qui modo calidum,modo frigidum flare didiciſſet,ſicq; è veſtigio fugam capeſſere, & hoſpitem ſuum ac ſpelæum pariter relictum ire cepit. Et arbitretur adhuc ex vobis quiſpiam poſſe ſe cum bilingui illiuſmodi aliquo degere, qui modo te laudat,& palpat,modo vituperat,modo hos apud te defert, modo te apud illos? Fugite mihi per Deum homines iſtiuſmodi Aud & ſi vllo modo fieri poteſt,Mercurij alicuius talaria vobis annectite, vt quam celerrimo curſu ab ijs vos ſubtrahatis ſicq; contagioſum illorum conſortium declinetis. Ex horum admodum numero hodierni, Euangelij Phariſæi erāt,qui cum diſcipulis verba commutantes Magiſtro detrahebant, & cum Magiſtro cōuerſantes, diſcipulos ſugillabant. Quibus quidnam Seruator noſter Chriſtus reſponderit breuiter audiamus.

Quare,& vos transgredimini,&c. Ridiculi,& abſurdi planè eſtis ô Phariſæi,qui contra Diſcipulos meos murmurātes ac legis illos præuaricatores appellantes, ipſimet non intelligitis Dei vos mandata tranſgredi, veſtras vt traditiones ſtabiliatis.Quod ſi Diſcipuli mei malè vobis facere videntur,quia hominum ſcita,ſtatuta, & traditiones non obſeruant,qua amabò vos fronte,& ore Dei pręcepta pręuaricari audetis,nulla præſertim ad id neceſſitate impulſi, ſed ſolum propter placita decretaq; veſtra quorū vos ipſi authores eſtis,& conditores? Vbi obſerua Redemptorem noſtrū neutiquā antiquas traditiones reprehendere,prout nonnulli commenti ſunt,dicentes illas intolerabilia onera eſſe,& quæ plus quam par ſit facilitati Euangelicæ adimant. Etſi n.omninò negari nō poſſit oneris,& grauitatis non parum in antiquis traditionibus obſeruantibuſq; reperiri,id tamen adeò exiguū eſt,vix vt æſtimari debere videatur. Atq; in hoc non abſimiles rotis mihi eſſe ſæpe illas perſuadere ſoleo,quæ vt reuera graues ſunt,ita vt ipſe currus ac vehes deſuper impoſita faciliùs promoueatur efficiunt. Non reprehendit ergo Seruator noſter antiquas traditiones, tametſi plurimas reprehenſione dignas Phariſæi inue-

inuexiſſent,quæ nõ tantũ nihil opis ad legis onus faciliùs portandum adferebant,quod traditionum finis erat, ſed et eandem inſupportabilem reddebant,illiq; ex diametro,ſicut ex hodierno Euãg.conſtat,aduerſabantur. Dicimus autẽ idcirco Redempt.noſtrũ Phariſæos reprehendiſſe, quia traditiones ſuas diuinę legis obſeruationi pręferebãt,omittentes ea quæ obligabãt,& retinentes quę voluntaria erãt. Neq; verò hoc loco dubitandum eſt,quin virtutes ſponte ſuſceptæ Deo quam gratiſſimæ ſint: ideò n.in Canticorum
Cap.5. libro ait: *Labia tua ſtillantia myrrham primam.* Vbi obſerua duo Myrrhæ genera eſſe: Vnum quod ex arbore præter vllum artificium,& vim externã ſudat,atq; hæc myrrha quia optima eſt, ideò prima appellatur. Alterũ eius genus non ſuaptè ſponte, ſed ex cortice bis terue acriùs percuſſo profluit,& priore illo viliùs minuſq; bonum eſt. Quare cum dicitur ſpõſi labia primam myrrham deſtillare,nihil aliud ſignificatur quam Seruatorem noſtrum fidelibus ſuis voluntariam tantùm mortificationem perſuadere, vnumque hoc deſiderare vt manum operi admoueant,non vi legis, ſed illius amore impulſi: quæ enim hoc modo, & ratione fiunt,ea demum Deo gratiſſima multaque quam acceptiſſima ſunt. Ob eandem namque cauſam ſponſa in Canticis mirabiliter manus ſuas exoſculatur, quod videlicet intelligebat eas ſponſo ſuo adlubeſcere: cuius etiam cauſam aſſignat dicens: *Manus meæ diſtillauerunt myrrham, &*
Cap.5. *digiti mei myrrham probatiſſimam.* Vbi per manus opera intellige, & per probatiſſimam myrrham, primam illam, propter excellentiam præſtantiamq; ita appellatam. Quibus ritè intellectis idem eſt ac ſi ſponſa dicat: Actiones illæ virtutum,& mortificationum quas facio,& frequento, non coactæ ſed voluntarię ſunt,quemadmodum prima illa myrrha eſt quæ citra vim, & artem vllam naturaliter ex arbore deſudat,& ideò etiam gratam acceptamq; ſponſo me meo eſſe intelligo. Huius nos rei pulcherrimam ſanè figuram apud Prophetam Ezechielem inuenimus,vbi Deus præcipit vt porta Orientalis in interiore templi porticu nunquam niſi in Sabbatho aperiretur, qui dies ordinariè feſtus apud Iudæos erat,& Dominico noſtro reſpon-

Opera voluntaria Deo grata.

Cap.46. debat. *Cum autem fecerit Princeps ſpontaneum holocauſtum,* inquit textus, *aut pacifica voluntaria Domino, aperietur ei porta quæ*

ta quę reſpicit ad Orientem, ſicut fieri ſolet in die Sabbathi. Ac ſi dicat: Volo & iubeo vt ei, ſicut Sacrificium non ex debito ſed ex deuotione & voluntario oblaturus eſt, nulla planè porta clauſa ſit, ſed vt omnes illi pateant, non aliter quam ſi feſtus dies ageretur. Mihi enim inter omnia feſta gratiſſimum eſt ſacrificium voluntarium & à pura deuotione procedens. Porrò quamuis verò verius ſit actiones virtutum voluntarias mirabiliter Deū oblectare: nihilominus cum obligatoria & ex præcepto adimplenda opera ita occurrerint, ſimul vt voluntaria perfici non poſſint, tum verò conſultius eſt voluntati diuinæ in præcepto elucentis morigerari, quam noſtræ cuius ſpecimen in operibus deuotionis edimus obſecundare. Hoc enim ſenſu verba illa accipienda ſunt: *Melior eſt obedientia quam victima.* Et quoniam vbi mandatum eſt, ibi etiam obedientia exercetur, hinc fit quod vbi de præcepti ad impletione quæſtio inciderit, oīa voluntaria ſacrificia poſtponi debeant: quippe cū impoſſibile ſit Deum tua voluntate delectari quamdiu illa ſuæ aduerſatur. Hinc ſi ex deuotione omnia Diui para peruigilia pane & aqua ſolúmodo contentus exigas, & altero à feſto die ieiuniū Eccleſiæ ſequatur, ſatius multo feceris, ſi voluntario opere bono ſepoſito, vires ad ſubſequens ritè adimplendū reſerues, præſertim ſi eas acciſas iri putes ex ſpontanea illa tua deuotione. Similiter ſi fratri tuo quidpiam reſtituere debeas, ac interim ex eo eleemoſynam facere poſſis, præſtabit volūtarium illud omittere, debitū ſoluere, & quod exigitur reſtitutum ire. Eodē plane modo ſi ad religioſam familiā trahi te ſentiens, parētes in neceſſitate conſtitutos te carere nō poſſe intelligas, differes religionis ingreſſum quæ res libera ac voluntaria eſt, & parentibus tuis opitulaberis naturalē obligationē ſequendo. Idē planè iudiciū in omnib. volūtarijs eſto, vt videlicet ea nunq̄ nō obligatorijs coincidētib. poſtponātur. Quod quia Phariſęi nō obſeruauerūt, ideo à Seruatore noſtro reprehēſi ſunt: intelligētes .n. plus ſe lucri in tēplo poſſe expectare, rudib. & idiotis cōſulebant, ne parētib. in neceſſitate cōſtitutis ſuccurrerēt, ſed potius ſacrificiū ſuū offerrent: ꝙ omninò naturali & diuinę pariter legi aduerſabāt. Vbi tu obiter ac velut per tranſennam vide q̄ verum illud Poeticū ſit: *Quid nō mortalia pectora cogis Auriſacra fames?*

Obligatoria vo lūtarius potiora.

1.Reg. 15.

Virgilium.

Sequi-

Sequitur in Euangelio: *Deus dixit honora patrem tuum, &c* Imò etſi Deus non dixiſſet, ipſa tamen natura cuilibet oſtenderet eos honorare nos oportere, à quibus vitam & eſſe noſtrum accepiſſemus. Intelligere autem hoc loco etiam parentes debent etſi præceptum iſtud liberos tantum ſpectet, obligationem tamen ab ijs quoque expectari. Tenentur enim illi quos genuerunt nutrire, educare, ijſque de vitæ ſuſtentandæ medijs, & commoditatibus prouidere. Vt enim poſt Deum cauſa ſunt quod illi ſint, ita eoſdem alere debent, ac ſuſtentare. Tenentur deinde ad Paulini illius ſciti, ac decreti obſeruationem: *Vos patres nolite ad iracundiam prouocare filios veſtros, ſed educate illos in diſciplina, & correctione Domini.* Vbi vides Apoſtolum parentibus non præcipere vt filios ſuos ament, quemadmodum Theophylactus animaduertit, impellente illos ad hũc amorem ipſa natura; docere autem breuibus quomodo ſe cum illis gerere tractareque debeant. Vnde primum quod ijs commendat eſt liberos ad iram non prouocare, quod bifariam poteſt contingere: Primo docendo illos quemadmodum vindictam ab alijs repetere debeant, & hæc Cardinalis Caietani expoſitio eſt. Sunt enim parentes nonnulli qui liberos ſuos nihil pati debere docent, exiſtimantes honoris ſe ſui iacturam facere ſi minimum verbulum contra ſe prolatum concoxerint, iubenteſque illos manum capulo admouere, omneſque illos Vatiniano, & plus quam ciuili odio proſequi, quos parentes ſuos obliquis & limis oculis viderint, intueri. Atque hoc eſt, inquit Caietanus, filios ſuos ad iram prouocare. Quæ doctrina etſi bona, ac ſalutaris ſit, mihi tamen paulò longiùs à mente D. Pauli, quam Thomæ illa recedere videtur qui ait: Magna differentia eſt inter patris poteſtatem qua in liberos, & qua in ſeruos ſuos vtitur. Authoritas enim illa qua apud ſeruos pollet, commodum ſuum ſpectet, & quia præter hoc aliud non quærit, ideò continuò baculum manu tenet, ac labori illos pertinaciter inſiſtere compellit. Poteſtas autem illa quam parens in filium habet, non ad proprium ſed ad illius commodum vtilitatemq; collimat: vnde ſollicitè ipſi procurandum eſt, vt eo quem ipſe vtiliſſimum exiſtimauerit modo educatur. Quoniam verò liberi rigore & aſperitate patrum ad iram ſæpè prouocantur, hinc D. Paulus

Ephes. 6.

author

author parentibus eſt eos ne cum rigore vti ſeruos tractā-tes exarcebent, ſed adinſtar filiorum ſuſtentent. Per hoc autem quod ſequitur: *educate illos in diſcip ina, & correctione Domini*, nihil aliud ſignificatur quam filios ijs quæ ad Dei timorem, ad bonum amplectendum, & ad malum fugiendum ſunt imbui oportere. Diſciplina enim bonum tradit, correctio verò in malum prolapſos extrahit atque caſtigat. Non exiſtiment proindè parentes omnes ſe officij ſui numeros impleuiſſe, ſi corpus filijs ſuis dederint, ſed ſciant inſuper animarum etiam curam accuratam ijs eſſe habendam. Hoc vt veteres eleganter declararent, & parentibus viuam aliquam Ideam ſecundum quam liberos ſuos inſtruere debeant repræſentarent, Vrſum pingebant, qui fœtum ſuum informem planè, & in quo præter crudam carnem nihil agnoſcas tamdiu lambendo fingit ac lingit donec ſibi ſimilis ex eo forma reſultet Idem plane cū infante fit, qui primum in lucem editus, formam non habet, & ad inſtar tabulæ raſæ eſt, dicente Philoſopho: *Anima noſtra eſt ſicut raſa tabula, in qua nihil eſt depictum*. Ad hanc ergo cum parentis lingua accedit, & ſalutaria præcepta bonaq; cōſilia adhibet, tū verò elegans, & bene natū ingeniū emergit. Quod ſi parens propter negotiorum vndas quibus inuoluitur liberorum inſtructioni vacare non poſſit, tū verò de Pedagogo aliquo ijs debet prouidere. Et quā amabò vos aliā ob cauſam parentibus ſæpenumerò filios probro, ac dedecori eſſe exiſtimatis, niſi quia Deus eorum ſocordiam in illorum reprehenſione punire voluit? Dum ergo tenerius proles ſuas diligunt, dum quidlibet ijs indulgent atque concedunt, adeſt confeſtim vltor Deus, & tragica ac funeſta morte de medio illos tollit. Cuius rei etſi ſexcenta facilè exempla in medium proferre liceat, nos tamen tempori conſulentes vnicum tantum ex Sacris Hiſtorijs depromemus. Legimus in libris Regum S. Eliſæum Prophetam in ciuitatem Bethel abiuiſſe; quem cum *pueri paruuli* inde egredientes conſpicarentur, certatim poſt eum curſitare, & caluum ac depexum ſenem vocitare illum incæperunt. Indignatus ergo Propheta iiſdem maledixit: cum ecce tibi è veſtigio immanes duos vrſi ex vicino luco prouolant, & ad vnum omnes in partes diſcerpunt. Quis hæc audiens non admiretur? non obſtupeſcat? Et eſt tamen cer-

Lib. 2. de Anima.

4. Reg. 2

Maledictionis vis.

to cer-

to certiùs, Auditores, punitionem iſtam exemplarem non tam puerorum malitiam caſtigauiſſe quam parentes officij ſui commonefeciſſe. Nam quomodo illi peccare potuerunt, de quibus expreſſe Scriptura tradit quod paruuli fuerint, in quo peccandi poteſtas propter ætatem cadere necdum poteſt? Spectabat ergo & concernebat punitio illa parentes male qui illos educauerant, & eos Deum reuereri, ac ſeniores, & Dei ſeruos honorare non docuerant.

Atque hoc vel ex eo colligere licet quod diuina iuſtitia in puerorum illorum inſolentia caſtiganda non Leonibus, aut Tygridibus, ſed Vrſis vti voluerit. Quemadmodum enim Vrſi proborum & liberos ſuos rectè educantium parentum Symbola Hieroglyphicaque ſunt, prout ante à nobis declaratum eſt: ita conueniens erat vrſos eorum ſocordiam caſtigare qui parentum officio functi non erant. Diſcant proinde mihi ex hac Hiſtoria omnes patres & matres alieno exemplo ſapere: diſcant curam pro liberis ſuis gerere, eoſque quam poſſunt optimè inſtruere, ac informare. Verum examinatis iam nunc ijs omnibus quæ parentes filijs debent, ad ea quoque explicanda accedamus, quæ à filijs parentes exigere poſſunt & expectare. Horum primum eſt Amor: citra controuerſiam namque eſt amori paterno filialem amorem reſpondere oportere. Et quoniam, iuxta opinionem ſponſæ in Canticis, amor non niſi amore ſoluitur, quomodo velim filius paternam ſtorgin &... affectum recompenſare poterit, niſi per reciprocari dilectionem? Quomodo curæ ac ſolicitudini, quomodo laboribus, ac moleſtijs in eo educando exanthlatis, quomodo denique ſumptibus ſatisfaciet, ſi amore deſtituatur? Secundum quod à liberis exigitur obedientia eſt, dicente S. Paulo: *Filij, obedite parentibus veſtris in Domino Hoc enim iuſtum eſt*. Vbi per verba illa *in Domino* intellige in omnibus ijs rebus quæ diuinæ voluntati non aduerſantur: hæc.n. Theophylacti explicatio eſt. Vnde intelligitur parenti quibus Deum offenſum iri conſtat præcipienti filium nequaquam debere obtemperare. In omnibus autem alijs liberi ſimpliciter genitoribus ſuis ſubeſſe, ac obedire debent. *Hoc enim iuſtum eſt*.

Officiũ liberorum. — Cap. 8. — Epheſ. 6.

Tertium inter ea quæ à filijs exiguntur Reuerentia eſt, &... continetur ſub Euangelij iſtis verbis: *Honora patrem tuum*,

tuum,& matrem tuã. Quibus omnibus S. Paulus Apoſtolus ſentẽtiam egregiè conſolatoriam in liberorũ gratiã adiungit, dicens: *Quod eſt mandatum primum in promiſſione, vt benè ſit tibi, & ſis longæuus ſuper terram.* Quæ verba alibi penſiculatius examinans ait. *Pietas ad omnia vtilis eſt promiſſionem habens vitæ quæ nunc eſt pariter, & futuræ* Pietas autem, ſecundum doctrinam D. Thomæ, virtus eſt per quam parentibus, & patriæ id quod debemus perſoluimus. Quiſquis ergo ex vobis diu viuere deſiderat, is non ex Galeni, & Hippocratis pharmacopæo, ſed ex hac omnipotẽtis Dei doctrina media eſt petiturus. Verum audiamus etiam Spiritum S. per Eccleſiaſticum ita loquentem. *Sicut qui theſaurizat, ita qui honorificat matrem. Qui honorat patrem ſuum, iucundabitur in filijs, & in die orationis ſuæ exaudietur.* Quibus promiſſionibus liberi ad parentes ſuos ſatis acriter excitabuntur: Si iſtæ nihil apud eos ſunt? Vultis diuitias, vultis opes, vultis theſauros? Honorate matres veſtras: hoc enim Scriptura Sacra diteſcere volentibus conſulit. Vultis liberos qui gaudio, & honori vobis aliquando ſint? Curate vt tales erga parentes veſtros vos exhibeatis, quales filios veſtros erga vos eſſe velletis: ita enim Iſocrates ad Demonicum docet: ita Eccleſiaſtes, ita Spiritus Sanctus tradunt. Vis preces tuas, & orationes exaudiri? *Honora patrem, & matrem*: Hoc enim Sapientis conſilium eſt. Quod ſi promiſſiones, & recompenſationes illæ ad debitum parentibus honorem adhibendum te excitare non poſſunt, moueant ſaltem minæ ac pęnæ rebelles, & immorigeros liberos manentes. *Qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur.* Quoniam aũt conſtat nonniſi publici facinoris reos morte affici conſueuiſſe, hinc manifeſtè grauitatẽ inobediẽtiæ intelligimus, & filiorum parentibus parere nolentium improbitatẽ metimur. Quod ſi immorigeri iſtiuſmodi humanæ iuſtitiæ manus effugiunt, non declinabunt certè iras ac pœnas cæleſtes, quæ ẽt eò grauiores erunt, quo illæ humanis ſupplicijs eſſe ſolent ſeueriores. Ita namq; Spiritus S. per os Sapientis appromiſit dicẽs: *Qui maledicit patri ſuo vel matri, extinguetur lucerna eius in medijs tenebris.* Vbi per lucernã extinctã mortem intelligit; qui.n. moritur, is quodãmodo mundi huius lumen ac lucernam perdit. Dum autem dicit Deum lucernam in medijs tenebris illi eſſe extinctu-

1.Tim.4

Quid Pietas.

Eccl.3

tincturum, ſignificat tunc vitam illi creptam iri cum maximè neceſſaria ei erat. Quod ſi per tenebras peccata intelligas, quid aliud ſequitur quam Deum pœnarum omnium grauiſſima multaturum illum eſſe, ac vt in peccatis ſuis moriatur permiſſurum? Quam ſeueritatem, & rigorem Dei in illos qui parentibus ſuis maledicunt nemo facilè miraturus eſt, qui alibi legerit: *Oculum qui ſubſannat patrem effodeant eum corui de torrentibus, & comedant eum filij aquilæ.* Quod ſi Deus peccata quæ oculis, ac nutibus tantum contra parentes fiunt adeò ſeuerè, & rigidè punit, vt qui illa perpetrant, ſepulcro poſt mortem careant, mirandum non eſt ſi mortis minæ ijs intentantur qui parentibus ſuis maledicere non dubitarint.

At ſcire hic etiam parentes debent, filios quoque illos ſuis maledicere non oportere. Nam ſi Sanctus Michael Archangelus, prout Sanctus Iudas Apoſtolus ſcribit, nec Diabolo maledicere voluit, quod videlicet is Dei creatura eſſet, quanto minus parentes filijs ſuis maledicent? Cap. 3. *Benedictio patris,* inquit Eccleſiaſticus, *firmat domum, Maledictio autem matris eradicat fundamenta.* Vbi obſerua Spiritum Sanctum de benedictione loquentem, patri illam, de maledictione autem dicentem matri illam attribuere. Habet enim, & hoc natura muliebris facilius, vt multo, quam ſexus virilis imprecetur, ac maledicat. Caueant ſibi proinde omnes mulieres, caueant matres, & quid dicturæ ſint ante diligenter explorent. Sæpius enim maledictiones illæ, Deo permittente, filijs accidunt, vt ita eos miſerabiles cogantur intueri matres quos maximè omnium tenebantur amare. In cuius rei probationem mirabile planè eſt, quod D Auguſtinus libro vigeſimo ſecundo de Ciuitate Dei adducit. Narrat enim is matrem quandam ſeptem filijs, ac filiabus aliquando horrenda paralyſi, & terribili membrorum omnium tremore afflictos toto orbe ad inſtar Caini oberrauiſſe: & horum duos D. Auguſtinus ſe conſpexiſſe confitetur. Diſcite proinde ex hoc exemplo matres linguas veſtras cohibere, diſcite liberis veſtris non maledicere. Diſcite mihi liberi parentes veſtros reuereri, neque vllo modo velle offendere. Amate illos, honorate illos, & quod vobis iniunxerint id libenter præſtate. Scitote teneri vos cum in neceſſitate conſtituti

ſunt,

ſunt,illos honorare, & adiuuare. Præceptum enim illud: *Honora patrem tuum* non tantum vult vt externo cultu pro genitores tuos honores,ac velut ſuperiores reuerearis,ſed vt eoſdem,vbi neceſſitas exegerit,iuues,ac ijs quibus opus habent & quibus Deus te dotauit,illos inſtruas. Cogitate eundem Deum qui morigeris filijs vitam producit ac prolongat,immorigeris, & inobedientibus eam abbreuiare. Quod cum ſexcentis, ac infinitis exemplis poſſit demonſtrari,ego vnico illo cōtentus ero,quod S.Bernardinus ſuo tempore contigiſſe in Catalonia Regno Hiſpaniæ nō longè à Valentiæ altero diſſito commeminit. Id ita ſe habet. Adoleſcens quiſpiam poſtquam parentes ſuos diu multūque contriſtauiſſet,ad extremum prædo effectus,captus & in furcam actus fuit.Huic poſtea in patibulo pendenti cana barba ſuccreuit,quod cum vniuerſus populus qui ad id ſpectaculi excurrerat admiraretur,loci Epiſcopus,Deo ſolēni,ac publica oratione conſulto,hanc rei cauſam eſſe didicit & declarauit: Malefactorem videlicet, ſi parentibus bene monentibus obtemperauiſſet, ad ætatem eam fuiſſe peruenturum,cuius index barba adeò prolixa & hæc canities erat.Ego in hoc non horribili minus quam vero exemplo finio, ac parentes liberoſque ſimul omnes, ne officij ſui obliuiſcantur, moneo atque obteſtor.

CONCIO VIGESIMATERTIA
PRO FERIA QVINTA
POST DOMIN. OCVLI.

Surgens Ieſus de Synagoga, introiuit in domum Simonis, &c. Luc. 4.

POSTQVAM diuina Iuſtitia innocentem, ac copioſum illum Sanctorum in Apocalypſi effuſum ſanguinem vindicauiſſet, author eſt Ioannes Euangeliſta feſtum in cœlo celebratum eſſe[a]. Et adiungit idem Apoſtolus audiuiſſe ſe vocem ad inſtar tempeſtatis reboantem,ac ſibi dixiſſe: *Gaudeamus,& exultemus, & demus gloriam Deo,* Cap. 19.

quia venerunt nuptiæ agni, & vxor eius præparauit ſe. Et datum eſt ei, vt cooperiat ſe byſſino ſplendenti, & candido. Byſſinū enim ſunt iuſtificationes Sanctorum. Quæ verba nihil aliud ſunt quam Figura nuptiarum inter Ieſum Chriſtum, & Eccleſiam ſuam nonniſi in extremo iudicij die conſummandarum: tunc .n. beatifica viſione mediante copula in æternum non diſſoluenda colligabuntur. Quoniam autem, prout D. Auguſtinus docet, iuſtificationes iuſtorū Dei dona ſunt, hinc dicitur ſponſæ indultum fuiſſe, vt byſſino ſe amiciret. Omne autem tempus quod vſque ad extremum iudicij diem voluitur, ac decurrit, ſponſæ, ideſt Eccleſiæ cōceditur, vt intra illud iuſtificatione ſe ornet, ac nuptiarum diem præſtoletur. Et additur non modo ſponſam, verum, & illius aſſeclas byſſino; ipſum autē ſponſum tunica purpurea ſeu ſanguinea fuiſſe veſtitum. Et bene ſane: præſuppoſito .n. quod per byſſinum iuſtificationes prout textus ipſe declarat, ſignificentur, videamus quid cauſæ ſit propter quam illud eis comparatur: nam & de forti illa muliere in prouerbijs legitur, quod indumentum eius erat byſſus, & purpura. Quid ergo ſecreti eſt, quod iuſti byſſino potius
Prou. 3. quam alia materia veſtiti dicuntur? Etenim cum vnicuiq; noſtrum ad æternas illas nuptias aſpiranti byſſina veſtis neceſſaria ſit, multum reuera intereſt, quid myſterij rei huic inſit intelligere. Conſiderate itaq; auditores, quo facilius dubium iſtud percipiatis, quātum linum, ſeu byſſus, priuſquam ſplendeat, ac niteat, debeat perferre; ſicque facillimè perſpicietis cur iuſtificationes, & opera ſanctorum byſſo vel lino comparentur. Cogitate obſecro paulisper quomodo id ſeminetur, terra operiatur, maturum colligatur, humo euellatur in aqua lapidib. ſuperpoſitis deponatur; tum quomodo feriatur, quomodo pectinibus ferreis diſcerpatur, ac quomodo denique explicetur, ac dilatetur, dolo & fuſo aliquando inſeruiturum. Eodem modo Dei ſerui, vt iuſtificentur, & mundi ac nitidi cęlum ingrediantur, multis tribulationib. & perſecutionibus, debent examinari; vnde neq; ipſa ſponſa, neq; aſſeclæ qui eam ſequebantur cęlum intrare potuiſſent niſi byſſo illo induti fuiſſent. Et quid mirum eſt iuſtum afflictionibus debere amiciri, ſiquidem ipſe ſponſus nuptiarum ſuarum ſolēnia celebrans tunica ſanguinea vſus fuiſſe perhibetur? Eſt enim hæc omnino

nihò præparatio illa omnibus iuſtè viuere volentib. neceſſaria, vt videlicet certo ſibi perſuadeant, afflictiones & perſecutiones illas Dei dona, & peculiaria beneficia eſſe, quẽadmodum D. Ioannes in ſua Apocalypſi ait, & S. Paulus in quodam loco accurata conſideratione digno confirmat dicens: *Vobis datum eſt, non ſolum vt in eo credatis, ſed vt pro eo patiamini* vbi manifeſtè intelligis Apoſtolum paſſiones potius, quã fidem Dei beneficijs annumerare. Quo ita conſtituto nemo mirari debet, ſanctum Petrum intimum cæteroqui, ac maximè Redemptori noſtro familiarem propria in domo ægros, & infirmos habuiſſe. Cum.n.domus illa iuſta eſſet, erat profectò neceſſarium afflictionibus illã ſubiacere, vt iuſtificationibus recipiendis capax efficeretur. Omnes enim iſtiuſmodi afflictiones ad lini purificationem tendunt, quo videlicet iuſti eodem cum ſponſa habitu vtentes, nuptijs illius intereſſe digni cenſeantur. Nũc iſtis ita examinatis, videamus quid Seruator noſter faciat, vbi afflictiones iſtiuſmodi inuenit, & quomodo ſanitatem ægro huic contulerit. Nihil enim mihi credite auditores hic reperitur, quod myſterio ſuo careat. Phil. 1.

Introiuit in domum Simonis, Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus. Vbi primum obſerua phraſin & locutionẽ illam raram admodum ac inſolentem eſſe. Illaq; ſpiritum ſanctum idcircò vti voluiſſe amplius vt bonæ huius mulieris infirmitatem exaggerare, volo ego probè apud Latinos vulgarem, & receptum loquendi modum iſtum eſſe: ſed quoniam in ſcriptura ſacra, nec vnũ iota reperias, quod myſterium ſuum non habeat, ideò neq; loquendi forma vi detur eſſe prætereunda. Multum.n.duo hæc inter ſe differunt, rem aliquam habere, ac tenere, & viciſſim à re aliqua teneri. Cum.n.rem aliquam teneo eam cum volo dimittere poſſum; cum autem ab aliquo tenor, memet ab eo expe dire non poſſum, ſed quo ille vult, eum ſequi cõpellor. Qua doctrina ita præmiſſa, ſimulq; illo ſemel conſtituto ſocrũ Diui Petri veram figuram animæ in peccatis ſepultæ fuiſſe ante omnia intelligi volo inter peccatores duo infirmorum genera aſſignari. Horum primum illi conſtituunt qui peccata ipſi tenent, ita vt cum gratia Dei, quæ illos non deſtituit ea excutere, dimittereque poſſint cum ijs placuerit: necdum enim iu peccato inueterauerunt, ſed pec-

Duo peccatorum genera.

catores tantum ſunt, modo per occaſionem, modo per fragilitatem, modo per aliam aliquam paſſionem ad peccandum inuitati. Alterum infirmorum, & in hoc peccati hoſpitali decumbentium genus eſt, quos peccata tenent, ita vt nec inſpiratio diuina, nec admonitiones concionatorũ, nec cœli vindicta eos moueant: conſtringente illos peccato adeò arctè vt ſe neutiquam exſoluere ac expedire poſſint. Atq; hi illi ſunt quos Diabolus non aliter ac in captiuitate tenet: ſimiles perfidis illis Iſraelitis qui gentilibus
2. *Mac.* ſe aſſociauerant, *& venundati ſunt vt facerent malum*, ſubijcientes ſe diabolo, ac illius voluntatem in omnibus facientes, & non aliter quam mancipia hero ſuo ancillantes Hi longas iam radices in malitia egerunt, & peruerſæ inclinationi conſuetudinem deprauatam adiunxerunt Dum itaque etiam à Deo nonnunquam percelluntur, & iamiam ex peccatis ſuis emerſuri videntur, retinet confeſtim illos interna quædam vis, à qua retenti ac præpediti in vitijs ſuis volutantur ac illa excutere non permittuntur. Atque hic miſerabilis ille ſtatus eſt, in quo Sanctus Auguſtinus
Lib. 1. ſe verſari intelligebat, cum diceret: *Suſpirabam ligatus non*
Confeſſ. *ferro alieno, ſed mea ferrea voluntate: Velle meum tenebat inimicus, & inde funes mihi fecerat.* Et audi quomodo eiuſdem catenæ annulos deſcribat, dicens: *Ex peruerſa voluntate facta eſt conſuetudo, & dum conſuetudini non reſiſtitur facta eſt neceſſitas, quibus quaſi quibuſdam annulis ſibimet annexis tenebat me ſtrictè dura ſeruitus.* Hæc Diui Auguſtini de ſeipſo loquentis verba ſunt: Deus autem ſcit, quod etiam inter vos ſint, multo qui melius, & iuſtius eadẽ illa de ſe dicere poſſint. Porrò clauſula illa Diui Auguſtini. *Tenebat me ſtrictè dura ſeruitus*. eiuſdem ſtyli ac fili eſt cum Euangelica illa noſtra locutione: *Tenebatur magnis febribus.* Deus Ter Opt. Max. ab iſtiuſmodi miſeria liberare nos dignetur, neq; vllo modo patiatur ſub duriſſima illa peccatorum ſeruitute mi ſerrimè gemere ac morari. Per huius ego miſericordiæ viſcera vos obteſtor vt quam poteſtis optimè ab illa vobis caueatis. Atque hæc eadem illa petitio eſt, quam Sanctus Paulus ad Rom. ſcribens inſtituit dum ait: *Non regnet peccatum*
Rom. 6. *in veſtro mortali corpore vt obediatis concupiſcentijs eius: ſed neque exhibeatis mẽbra veſtra arma iniquitatis peccato.* Peccare inquit malorum maximum eſt, attamen tolerari quodam modo

modo poteſt, quoniam natura noſtra adeò illi ſubiecta eſt. Volo autem ac obteſtor ne peccatum vt regem vel tyrannum agnoſcatis, vt illi obtemperetis, & ad nutum illius omnia faciatis ita vt tandem peccādi neceſſitas inde emergat. Rogo adhæc ne ad extremam etiam illam miſeriam vos deuolui patiamini, vt videlicet membra veſtra Diabolo deuoueatis, peccato conſecretis ac Deum oppugnetis: aſſuefaciendo oculos laſciuis, & libidinoſis aſpectibus, aures detractionibus, linguam calumnijs ac corpus, & animam alijs illicitis in rebus occupando. Poteſtne miſeria aliqua maior quam hæc reperiri? poteſt morbus magis peſtilens, & cōtagioſus inueniri? & ſunt adhuc mortales qui in hoc ſtatu verſantes tutos ac ſecuros ſe poſſunt exiſtimare? Cum quiſpiam carcere aut infirmitate aliqua detinetur, ſi ſortem ſuam deploret, ſpes adhuc aliqua eſt, vt bonum finem res tota conſequatur: poſtquam autem eo miſeriæ prolapſus eſt, vt ſibi de carcere plaudat, & ex infirmitate ſua gaudium percipiat, tum verò ad extrema, & culmen ac faſtigium videtur eſſe peruentum. Sunt nonnulli peccatores qui probè intelligunt Diaboli ſe mancipia eſſe, & volūtatem illi ſe ſuam mancipauiſſe: ſentientes ſubinde ſcrupulos quoſdam, & neſcio quam vim occultam à reſipiſcentia illos retinentem, experientes. Sed ſunt, & alij qui in infortunio ſuo mirabiliter ſibi placent, nullum vnquam conſcientiæ remorſum ſentientes, aut voluntatem aliquam ex peccatis emergendi habentes, ſed vnum illud ſummam fœlicitatem ac beatitudinem interpretantes. Primi illi in eodem cum ſancto Paulo hoſpitali decumbunt, qui ſe in corporis mortalitate tamquam in carcere conſtitutum videns, dolore plenus exclamabat. *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Secundi autem illi peccatores antiquę legis mancipijs perſimiles ſunt, quibus ſummus ſacerdos in anno iubilæi aurem perforabat. Si.n illi interrogati vellent ne cæterum liberi viuere, reſpondiſſent hero ſe ſuo contentos eſſe, perforabatur illis auris in ſignum perpetuæ ac in æternum deſperatæ ſeruitutis. Cogita pauliſper mi frater, & vide vtrum ex peccati ſeruitute emergere velis? Si enim illud deſerere cogitas etſi illud te teneat, attamen Deus iniungere illi poteſt, vt te manumittat, quemadmodum in hac Simonis ſocru demōſtrauit. Si

Rom. 7.

autem in ſeruitute tua manere conſtituiſti, quis libertatem tibi impertiet? quod remedium tibi applicabitur? Nullum reuera aliud quam quod in morbis deſperatis adhibere ſolent Medici: vt videlicet multitudo fidelium congregetur, & in ſpiritu charitatis collecta ac compaſſione mota pro ſimilibus morbis depellendis Deum deprecetur. Hoc enim, & Apoſtolos feciſſe in hodierno Euangelio legimus, qui ægrotam illam conſpicientes, *rogauerunt pro ea*, inquit textus: qui modus omnium efficaciſſimus fuit ad id quod volebant obtinendum, & ſanitatem quam deſiderabant impetrandam. Nam quomodo miſericordiſſima Seruatoris noſtri viſcera amicis ſuis aliquid petentibus poſſunt abnuere? *Oculi Domini*, inquit Rex Dauid *ſuper iuſtos, & aures eius ad preces eorum*, quæ verba nos conſiderantes dicere poſſumus Deum eodem ſe modo ad iuſtos habere, quo ſe Angeli habent ad illum. Quemadmodum enim Angeli aures ſuas, ſi ita loqui fas eſt, continuò arrigunt, quod iniunctum ac imperatum ſibi fuerit, promptiſſimè executuri, iuxta regij Prophetæ illud: *Qui faciunt verbum eius ad audiendam vocem ſermonum eius:* Ita Deus audit, & intelligit quæ iuſti à ſe efflagitant, eorum precibus ac deſiderijs multò quam libentiſſimè obſecundaturus. Atque hoc verba illa ſignificant, aures eius ad preces eorum, quæ etiam ſubindicare videntur Deum non alio fine quam ad iuſtos exaudiendum aures habere. Quin ipſe etiam iuſtis, vt in neceſſitatibus conſtituti ſe inuocent ac implorent iubet, ac ſuadet: prout ex Canticorum illo intelligere eſt, vbi ſponſus ſponſam ſuam alloquens dicit: *quæ habitas in hortis, amici auſcultant te, fac me audire vocem tuam.* Dilecta mea, ſponſa mea, quæ habitas in hortis, & hominum conuerſationem fugis tanto vt melius in cœleſtium contemplationum viridarijs te oblectes, ac inſtar ſedulæ apiculæ delicatos flores, illic ardentem amorem Seraphinorum, illic ſcientiam Cherubinorum, hic conſtantiam Martyrum, & puritatem virginum colligas, ac poſtea omnibus ita in pectoris tui aluear comportatis, fauum non mellis, ſed omnium virtutum conficias. *Amici auſcultant te*, & proximi tui interceſſionibus tuis indigentes rogant vt ſe reſpicias; quin, & ego ipſe vnicum hoc peto atque præſtolor. Etſi enim contem-

Pſal. 31.

Pſ. 102.

platio-

plationum tuarum ſilentium admodum gratum mihi ſit, attamen quando proximorum neceſſitates aliud exigunt, tum verò iucundiſſimum mihi eſt, preces ac orationes pro illis effuſas exaudire: Et ideo volo vt loquaris. Videte amabò auditores quam promptus ac paratus ſit Deus ad amicorum ſuorum preces exaudiendum, ſiquidem ipſemet illos adhortatur vt ſe inuocent ac opem ſuam implorent. Verum quo luculentius adhuc & manifeſtius perſpiciamus quantum Deus gaudium ex Sanctorum ſuorum orationibus pro his qui in mortalitatis valle conſtituti ſunt, effuſis capiat, diui Pauli ad Hebræos ſcribentis ſententiam examinemus: qui poſtquam pluribus iiſque honorificis verbis fidem antiquorum patrum commendauiſſet, ait: *Et hi omnes teſtimonio fidei probati non acceperunt repromiſſionem, Deo pro nobis aliquid melius prouidente.* Hеb. 11. Etſi enim illorum animæ in cœleſti patria vna cum Deo æterna gloria perfruantur, corpora tamẽ inter nos adhuc ſunt, Deo ita ad noſtram vtilitatem diſponente, ne videlicet illorum fœlicitas abſque nobis conſummaretur. Quod ſi et hoc loco quæſieritis, quemnam nos fructũ ex eo conſequamur quod videlicet eorũ corpora in cœlo nõ ſunt, cũ Richardo de ſancto Victore reſpondeo, magnũ illum eſſe & admirandum. Sciunt .n. ſancti & certo intelligunt corpora ſua reſuſcitari ac animis ſuis copulari ante nõ poſſe q̃ prædeſtinatorũ numerus completus ac perfectus ſit, pro ut ipſe Deus in Apocalypſi ſanctis vindictã petentibus reſpondens docet: *Vt quieſcerent adhuc tempus modicum, donec compleantur ſerui.* Cap. 6. Audite proinde q̃ egregio artificio Deus ad noſtrum fructum ac vtilitatem vtatur. Sciens is animas nihil æquè appetere quam cum corporibus ſuis aliquando reueniri, hanc copulam & vnionem ad generalis iudicij diem differre voluit, vt videlicet ſancti videntes eorum corpora ante id tempus cum animabus non poſſe copulari, & niſi electorum numerus completus eſſet, tanto maiori cũ feruore pro nobis intercederent ac Deo ſupplicarent, quatenus nos ex Sanctorum etiam illo numero eſſe valeremus: excitante & acuente continuò illos deſiderio illo corpora ſua reſuſcitata cõſpiciẽdi, quod à dilatione huius præfixi complementi creſcit & augetur. Poteſtne elegantior aliqua inuentio & artificiũ iucundius excogitari? poteſt

eſt dubitari vtrum iſtiuſmodi inuentionum auctor Sanctorum ſuorum preces audiens delectetur, ringentibus nequicquam hæreticis, ac in aliam ſententiam ac opinionem abeuntibus. Agite proinde dilecti in Chriſto, in omnibus veſtris neceſſitatibus, præcipuè autem in peccatorum morbis ad Sanctos & Dei ſeruos recurrite, vt apud communem noſtrum Dominum pro vobis intercedant, hic enim modus efficaciſſimus eſt ad ſalutem obtinendum, quemadmodum per illum ac per preces Apoſt. D. Petri ſocrus amiſſam valetudinem recuperauit. *Et ſtans ſuper illam, &c.* Vbi tum per verba illa tria numero intellige, eum lectum acceſſiſſe, & ad inſtar Medici ægrum ſuum inuiſentis, curuato ac depreſſo non nihil capite deſpexiſſe.

Verum hoc non contentus, *tetigit etiam manum eius*, prout Sanctus Matthæus refert; quo facto euestigio à Sacroſancta filij Dei humanitate virtus quædam per quam ægrota, valetudinem deperditam recuperauit. Adeò videlicet proprium eſt carni filij Dei vitam & ſalutem ijs quę tangit conferre ac impetire. Noſtra corpora morbos, peſtes & contagiones attactu tantum in alia transfundere poſſunt, eam autem vim non habent vt potentiam ac virtutem alteri conferant, quippe cum id ſoli Dominico corpori proprium ſit. Quin & virtus illa carnis Dominicæ non carni aſcribenda eſt, ſed ſicut Sanctus Cyrillus & Diuus Auguſtinus animaduertunt, copulæ illi qua Sacroſancta anima cum diuinitate ſua coniungebatur. Atque hoc Seruator noſter per verba illa ſignificare voluiſſe videtur. *Spiritus eſt qui viuificat, caro autem non prodeſt quicquam.* Id eſt; caro quatenus, caro. & ſeparata à diuinitate, quæ eſt Spiritus viuificans, nihil confert ad vitam ſeu ſalutem impertiendum, quia nemo id dat quod non habet, & certum ac indubitatum eſt, carnem ex ſe vitam ac ſalutem conferre non poſſe. Cæterum eadem caro per animam viuificata, & à diuinitate illi coniuncta Deificata, vim poteſtatemque habet, vitam ac ſalutem conferendi. Id comparatione ſeu ſimilitudine iſta manifeſtius & clariùs adhuc multo euadet. Ferrum quatenus ferrum calere ardereq; non poteſt, quia nimirum natura illius nec calorem nec ardorem habet, ſimiles vt effectus poſſit producere. Cum autem in fornacem flammis & igne æſtuantem conijcitur, tum

Similitudo.

tum verò id ardere, calere, & candere videmus. Quod ſi creatura aliqua in aliam tantum poteſt, quid non poterit eſſentia & diuinitas Dei perſonaliter cum humanitate Domini noſtri copulata? Non mirandum itaque eſt Seruatorem noſtrum ægrotæ huius manum attingentem ſolo illo diuino contactu morbum profligauiſſe: cum præſertim is totus ſalus, ſanitasq; ſit, Ideò enim in Scriptura ſacra ſæpenumero *ſalutare Dei* vocitatur, & Propheta Malachias de Meſſia loquens non contentus dicere eum ſalutem futurum, eius virtutem preſſius perpendit, ac dicere non dubitauit eum ſanitatem in veſtimentis ſuis circumlaturum. *Orietur vobis*, inquit, *timentibus Deum Sol iuſtitiæ & ſanitas in pennis eius.* Vbi per pennas Seruatoris noſtri veſtimenta intellige; quod.n. auibus pennæ, id veſtimenta hominib. sũt. Quod ſi Seruator noſter totus ſalus, & ſanitas eſt, citra controuerſiam eã ẽt in veſtimentis circũfert, trãſfundẽdam in illos qui eam tetigerint. Miremur autem & obſtupeſcamus potius, quod omnibus nobis veritatem illã confitentibus, & tantum infirmorum in Chriſtiana Republica habentibus adeò pauci reperiuntur, Seruatorem qui noſtrum accedere, & ſanitatem ab illo velint efflagitare. Deum teſtem facio pleroſque Chriſtianos noſtra hac ætate Iudæis illis deteriores eſſe, de quibus Sanctus Lucas ait: *Omnis turba quærebat eum tangere, quia virtus de illo exibat & ſaluabat omnes.* Videte quid multitudo populi infidelis non attentauerit, & nos Chriſtiani, qui fideles audire volumus Seruatorem noſtrum accedere non cogitamus, annon eſt hoc Iudæis peiores eſſe? Quam vos aliam ob cauſam Seruatorem noſtrum in Sacramento Altaris apud nos manere voluiſſe exiſtimatis, niſi vt ad eum in omnibus infirmitatib. ac neceſſitatib. recurreremus, carnemq; illius sãctam contingeremus. Eſt illa quidem accidentibus panis cooperta, attamen quod olim in corporibus per veſtimẽtã faciebat id nunc in animabus præſtat, opera accidentium. Hæc plumæ ſunt quibus Sol iuſtitiæ tegitur, & in quibus ſanitatem portat, ſicut antea dicebamus. Reſpondete ergo paulliſper Chriſtiani, aut creditis Seruatorẽ noſtrũ, virtutẽ vos ſanandi pollere, aut non creditis, ſi non creditis cur Chriſtianos vos appellatis fide deſtituti? Si autem creditis vosq; infirmos eſſe cognoſcitis cur Seruatorem noſtrum ſani-

Cap. 4.

Cap. 6.

ſanitatem ab eo reportaturi non aditis? Vnde hoc eſt quod adeò rarè & infrequenter ad ſacra Euchariſtiam acceditis? quantus hic bonè Deus tepor, quanta ſocordia, quantaque peruerſitas eſt! Conijce in te oculos Chriſtiane, cogita te ægrotum eſſe ac infirmitatibus breui oppreſſum iri, caue proinde adeò incōſideratus ne ſis, vt mediatorē nō quæras qui te cum Ieſu Chriſto reconciliet: accede ſacroſanctum illius corpus quod non alio tibi fine in altaris Sacramento relictum eſt. Accede illud & ſume frequenter cum debita reuerentia vt contactu iſto mediante ſalutem tibi conferat, te à peccatis ſanet, gratia ſua confortet: ſicque ex lecto malæ conſuetudinis ab illo protractus ea cum diligentia illi inſeruias, quo aliquando gloriam conſequaris, *quam mihi, &c.*

CONCIO VIGESIMAQVARTA
PRO FERIA SEXTA
POST DOMIN. OCVLI.

Venit Ieſus in ciuitatem Samariæ, &c. Ioan. 4.

Tract. 18. ſuper Ioan.

SAncta Mater Eccleſia, quæ ſingulari iudicio & prouidentia omnia ea quæ diuinum officium concernunt diſponit: præterita nocte in matutinis inſignem & elegantem admodum magni Patris Beati Auguſtini homiliam nobis propoſuit, cuius introitus dignus mihi eſſe videtur, qui ex hoc ſuggeſtu à me apud vos accurratius paulò examinetur. *Iam incipiunt diuina myſteria*, inquit S. ille Doctor, *non enim fruſtra fatigatur virtus Dei, per quē fatigati recreātur.* Hæc D. Auguſtini verba ſunt, quæ ego apud vos explanare cōſtitui, nō quia ſāctus ille Doctor ea nō protulit, ſed quia S. mater Eccleſia hoc tempore nobis illa proponit, poſtquam videlicet Chriſtiani tempore quadrageſimali hactenus decurrente tot ſermones, & in ijs tot mirabilia opera ac Dei proprietates audiuerūt. Ego enim admodum obſtupeſco,

peſco, audiens poſt tot miracula in Euangelijs quadrageſimalibus euulgata Eccleſiam nobis dicere, hodie incipiũt diuina myſteria: quaſi ſanè neque ſanitas vno verbo centurionis puero reſtituta, nec victoria diabolo in deſerto extorta, nec paralyticus iuxta piſcinã reualeſcens, nec trãsfiguratio filij Dei in monte Thabor, nec filia Cananeæ à Diabolo liberata, nec ſenſus ei reſtituti quem omnium bonorum hoſtis ſurdum, cœcum, & mutum effecerat, quaſi denique ſocrus ſancti Petri de lecto ſurgens ac Apoſtolis & Domino noſtro inſeruiens nihil myſteriorum in ſe continerent. Si autem hæc miracula etiam myſteria ſunt, & ſi nos de ijs prima ſtatim ineuntis Quadrageſimæ ſeptimana agere inſtituimus, quid eſt quod Eccleſia nobis dicit, hodie primum diuina myſteria incipere? Cui dubio ac difficultati breuiter vt ſatisfaciamus, dicimus vocem hanc *myſterium* diuinum ſecretum ſignificare, cuius intelligentia humani intellectus capacitatem excedit, & eum non aliter quam in extaſin rapit. Hac ſignificatione præſuppoſita mirari non oportet quod Eccleſia dicat hodie diuina myſteria incipere. Etſi enim omnia miracula de quibus hactenus egimus verè opera myſterioſa ſint, ſi ea ad intellectus noſtros debiles deferamus, qui eà ſecundum ordinarium naturæ proceſſum examinant, attamen ſi ea conſideremus quatenus à perſona diuina perpetrata ſunt, tum verò myſterijs annumerari non debent, & præcipuè ſi illa cum eo quod hodie nobis offertur velimus comparare. Quis miraculi loco habeat, quod ſol illuminat, ignis vrit, quod aqua humectat, quod glacies refrigerat? omnia enim iſta purè ac mere naturalia ſunt. Iam autem æquè imò naturalius Deo eſt, & virtuti naturæ ſuæ conformius ægros ſanare, cæcos illuminare, Diabolos ex corporibus profligare, & innumera alia miracula in creaturarum ſuarum bonum ac vtilitatem perpetrare, nihil Deo omnipotenti magis proprium eſt, quam miracula facere, nihilque ſupremæ eius bonitati conformius quam ſemet communicare, & bona ſua in creaturas diſtribuere. Hinc eſt quod miraculum non videtur Deum admiranda inter mortales patrauiſſe: quod autem Deus patitur, &c; quod illius poteſtas debilitatur, hoc verò omnium miraculorum maximum eſt. Quoniam ergo hodiernum

Euan-

Euangelium Seruatorem nobis noſtrum labore exauſtum, ſiti vexatum, de via feſſum & ad fontem ſedentem nobis proponit, hinc eſt quod dicitur hodie primum diuina mysteria incipere. Nam quid quæſo laſſitudo cum Deo, quid fatigatio cum impaſſibilitate commune habet? *Non*
Pſal. 90. *accedet ad te malum*, inquit Dauid ad hominem iſtum, *& flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo*. Ac ſi dicat: Deus tantam curam pro ſeruis ſuis gerit, vt nec malum eos accedere, nec punitio domibus illorum appropinquare audeat. Deus enim Angelis ſuis præcepit, vt in eorum manibus non aliter quam in verſiculo aliquo portentur, ſicque nullibi alliſo ad lapidem pede hallucinentur. Quod ſi creaturæ iuſtos in tantum reuerentur, quod videlicet intelligunt eos Dei miniſtros eſſe, vt ne quidem ad eorum tabernacula nocendi animo appropinquare audeant, quãto potiùs Dei domus ac diuina perſona ab omni laſſitudine & fatigatione debere eſſe exẽpta? Quid ergo eſt quod dicitur Ieſum Chriſtum ex itinere feſſum, laboribus exhauſtum, & cum ſiti conflictantem puteo aſſediſſe? Nimirum laborum illa cum Deo coniunctio Iudæis ſcandalo erat, gentilibus autem ſtultitia videbatur. Hoc Apoſtoli & diſcipuli comprehendere non poterant, cum illis magiſter eorum Hieruſalem aſcendens prædiceret, ſe paſſurum & mortem pro hominibus oppetiturum eſſe. Narrabat ille tunc ijs quemadmodum flagellandus, deludendus & in crucem agẽdus eſſet; Verum *ipſi nihil horũ intellexerunt, & erat verbum iſtud abſconditũ ab eis, & non intelligebant quæ dicebantur*; inquit Euangeliſta Lucas. Habebant videlicet illi Seruatorem noſtrum pro Deo, vti erat; at nihilominus indignum exiſtimantes diuinam perſonam adeò crudelia, & acerba tollerare, hanc coniunctionem penetrare non poterant, neque vllo modo intelligere, quomodo Dei Filius pati, quomodo flagellari, quomodo infamem in cruce mortem oppetere poſſet. Atque ex his nunc perſpicimus in quo myſterium conſiſtat & quomodo Deus ac fatigatio, numen & laſſitudo coniungi poſſint, verè vt ab Euangeliſta dictum fuiſſe videatur, *Ieſus autem fatigatus*. Et quoniam Euangelium hodierni diei liquidò demonſtrat, duo iſthæc coniuncta inter ſe fuiſſe, non omninò male Eccleſia dicit, hodierna primum

die

die myſteria diuina incipere, in quo videlicet Seruator noſter ac Deus cœpit fatigari. Operæ pretium adhæc fuerit, nec quoque laſſitudinem illam accuratiùs conſiderare, ſiquidem Deus propter amorem rerum noſtrarum, ea etiam facit quod non modo ſupra noſtrum intellectum ſunt, ſed prima etiam fronte nugæ & ſtultitia eſſe videntur. Et audiamus hoc loco Proph. Eſaiam, qui de Fundatione nouæ Eccleſ. quam ipſe cœlum nouum appellat, differens, ita Deum loquentem introducit: *Ecce ego creo nouos cælos, & terram nouam, & non erunt in memoria priora*. Planè ac ſi dicere voluiſſet: Myſteria & Sacramenta noui huius cœli, ac nouæ in Eccleſia mea terræ, adeò admiranda excellentiáque erunt, vt intellectus eorum contemplatione ſuſpenſus, omnium eorum quæ antè hac admirabatur, obliuiſcatur. Quæ verba quam etiam mater noſtra Eccleſia hodierna die poſſit vſurpare facilè omninò poteſt intelligi. Cum enim ineunte quadrageſimali ieiunio miracula & ſtupenda Dei opera contemplata fuiſſet, nunc Seruatorem noſtrum feſſum & defatigatum conſideratura, adeò admirabilis illius myſterij æſtu abſorbetur, omnium vt reliquorum obliuiſcatur, ac iam illorum memoria depoſita, exclamare non vereatur: *Iam incipiunt diuina myſteria.* O admirabile & luculentum exemplum, per quod laſſitudinem illam ſuſpicere poſſimus & admirari! Mihi namque omninò perſuaſum eſt plus nos Domino noſtro fatigato & & laſſo quam vegeto ac robuſto debere: ſi enim illius virtus nos creauit, at debilitas & fatigatio redemit. *Fortitudo Chriſti fecit vt quod non erat eſſet, infirmitas Chriſti fecit, vt quod erat, non periret*; inquit Diuus Auguſtinus. Etenim ſi Deus in creatione bona ſua nobis communicauit, è contra in redemptione malorum noſtrorum participem ſe reddidit, & humanis miſerijs ſe ſubmittere ac ingerere non dubitauit Quod ſi ei propter primum quod Deo omne eſſe quod habemus iuxta Diui Bernardi opinionem debeamus, quomodo, pro ſecundo illi ſatisfaciemus quod prius illud immani poſt ſe ſpatio propter excellentiam ſuam relinquit? Et vide tamen vel ex hoc bonitatem Dei noſtri, qui pro ſatisfactione aliud quam amorem non deſiderat ſciens præſertim & nobis ipſis etiam non ignorantibus amorem non niſi amore ſolui. Et quoniam pro acerbiſſimis illis dolori-

Cap. 6.

loribus quibus Seruator noſter excruciatus fuit, modo adeò facili & iucundo facere poſſimus, amemus ſanè Deum qui pro noſtra recreatione fatigari, & pro noſtro refrigerio exhauriri non dubitauit. *Ieſus autem fatigatus ex itinere*; habes hic cauſſam propter quam Seruator noſter, feſſus & fatigatus fuiſſe perhibetur.

Vnde etiam intelligere licet DEVM ius liberi arbitrij in noſtra natura cõſeruare volentem, quodammodo ipſum fatigare coactum fuiſſe, aut vt leuius dicam, deſiderium huius laſſitudinis cauſſam extitiſſe. Atque hæc planè erat Patris illa ſapientia, de qua in ſcriptura dicitur; *Attingit à fine vſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter*; & alibi in Prouerb. libro legitur: *Sicut diuiſiones aquarum, ita cor Regis in manu Domini, quocumque voluerit inclinabit illud*. Vnde ſicut hortulanus quiſpiam viridarium ſuum irrigaturus, aquam non baculis & calcibus propellit, ſed ſenſim ac lente per canales eo quo libuerit traducit: Laborans nihilominus & in hac aquæ diſtributione ſe ipſum defatigans, neque tamen vllo modo naturæ inclinationi vim aliquam faciens. Eadem planè ratione Deus corda hominum flectit ac moderatur, non vi illa impellendo, ſed placitè ac blandè quo ijs collibuerit deducendo. Et hac omninò ratione S. Paulus zelum ſuum oſtendit: S. Matthæus ſtudium ſuum, omnemque adeò operam in tabulis ac menſis numulariorum collocans, ad extremum ad Sancti Euangelij cognitionem peruenit. Ita innumeri peccatores ac peccatrices, quarum omnium anteſignana Maria Magdalena fuit diuino amore occulte pellecti ad meliorem animum mentemque redierunt. Maneat ergo hanc fatigationem illam eſſe, quam hodie nobis Euangeliſta repræſentare voluit, dicens: *Fatigatus ex itinere ſedebat ſic ſupra fontem*. Hæc verba quantum reconditæ in ſe doctrinæ habeant, poſtea viderimus, nunc ad explicationem particulæ huius *Sic*, orationem conuertamus: Animaduerti enim pleroſque concionatores potiorem ſermonis ſui partem eius explicationi ſolere impendere. Quod reuera admirationem concitare non debet: Cum præſertim in materia adeò ſublimi ac difficili, hoc eſt de laboribus & fatigatione Seruatoris noſtri, ipſæ etiam literæ & apices myſterio non carere videantur. Nos itaque ſexcẽtas facilè miſticas & morales eius expoſitiones

Sap. 8.

Cap. 21.

ſtiones relinquentes, eam quæ optima mihi videtur ad manus ſumemus, voculamque illam purè, ſimpliciter, ac ſecundū litteram tãtum, in quo etiam ſenſu myſterio ſuo non caret, ibimus explicatum. Dico itaque Seruatorem noſtrum ex itinere fatigatum fuiſſe, quia pedes, quia celeriter, quia circa meridiē & tempus diei calidiſſimum viam conficiebat, ſicque deinde defatigatum puteo aſſidere voluiſſe. Non fecit ergo quod plerique viatores ſolent, qui vbi in itinere in fontem forte aliquem inciderint, vbi ſe aliquantiſper refrigerare poſſint, ſtrophiolum repente protrahunt, faciei ſudorem extergunt, manus lauant, os proluunt & vmbraculum aliquod conſectantur: Noſter autem Seruator ſicut laſſus, exhauſtus, ſiti confectus, & puluere coopertus aduenerat, ita alio ab hoc habitu puteo non voluit aſſidere. Quemadmodum enim Samarithanam ad compaſſionem excitare conſtituerat, ita totus puluerulentus & ſudans ſpectari voluit, tantò vt iuſtiùs aquæ hauſtum petijſſe videretur.

Cum ecce tibi mulier hydriam in capite & funem manibus ferens aquam hauſtura progreditur; de qua Seruator noſter in Euangelio dicit, quinque quod maritos habuerit, quorum primus tantum ſecundum D. Irenæi ſententiam legitimus fuerat. *Quam vilis facta es nimis, iterans vias tuas*, dicebat Deus per Ieremiam ad ciuitatem, quæ mundi fauoribus nimium confidebat, *Et ab Aegypto confunderis, ſicut confuſa es ab Aſſur. Nam & ab iſta egredieris, & manus tua ſuper caput tuum: quia continuit Deus confidentiam tuam, & nihil habebis proſperum.* O te verè miſerā ac deploratā quæ leuiſſimis verborū lenocinijs circumueniri te patiens modo ad illius arbitriū velificata es: Exſpectās cōtinuò vt qui vltimò acceſſurus eſſet beatiorē te efficeret. Cap. 2.

Tempus reuera eſt vt oculos mihi attollas & cōfuſionē præ foribus aſtantē intuearis. Nā & nouū illud fulcrū cui inniti te poſſe ſperabas, interitus & ruinæ tibi cauſſa exiſtet, ſicq; tandē in amentiā verſa manus ſupra caput cōplectes, capillū euelles, ac tibimetipſi grauis efficieris. Quin quādiu in illius diſgratia fueris, tā diu nihil proſperū habebis, oīa tibi in peius cedēt, & quæ feliciſſimè ſucceſſura arbitrabaris, hæc te vel maximè deſerent ac derelinquent: Quia nimirum ſpes tuas in hominibus nō autem in Deo,

qui ſolus malis tuis mederi poteſt,collocauiſti. Quis aliquando Prophetę Oſeæ verba illa quæ mulieri amatores ſuos proſequenti affingit non legit,non audiuit? *Vadam poſt amatores meos*,inquit illa,*qui dant panes mihi, lanã meã, & linum meum;oleum meum,& potum meum. Egregiam verò laudem & ſpolia ampla refertis*,inquit Poeta Maro.

Cap. 2.

Et qui omninò æqualem huic impudentiam vidit, vt nimirum proſtibulum aliquot publicè iactitare non vereatur, ſe amatores ſuos conſectari velle,quod nimirum panem ac vinum eo modo lucretur? At videamus nihilominus vtrum quo volebat euaſerit, & quod cogitabat conſecuta fuerit. Legite mihi pauliſper quæ in Propheta illo conſequuntur, & offendetis repente punitionem illam quam Deus ipſi minatur. *Et hæc neſciuit inquit Deus, quia ego dedi ei frumentum & vinum, & oleum & argentum multiplicaui ei*. Adeò videlicet cæca & dementata eſt,vt videre non poſſit cui frumentum,oleum, vinum, & argentum ſuum acceptum ferre debeat: Et ideò omnia iſta hæc mendicat,modo ab hoc, modo ab illo aliquid exſculpens,ac me interea grauiſſimè offendens. *Idcirco conuertar, & ſumam frumentum meum in tempore ſuo, & vinum meum in tempore ſuo,& liberabo lanam meam & linum meũ, & reuelabo ſtultitiam eius*. Videte mihi pauliſper Auditores,quomodo Deus omnib. bonis ſpoliare illos nouerit, qui per Diuini Numinis iniurias & offenſas rem ac peculium ſe facere poſſe exiſtimabant: Neſcientes peccatũ illius boni,fructus,ac vtilitatis cauſſam eſſe poſſe. Conijcite mihi oculos in mulierẽ iſtam,ac videte in quonã illa ſtatu verſetur,poſtq̃ videlicet tot maritos habuiſſet. Etſi enim quinque illi primi legitimi ipſius mariti fuiſſent, prout nonnulli contra D.Irenæi opinionẽ exiſtimãt,ſufficiebat tamen quod extremus ille adulter fuit, vt nẽpe nos intelligamus,neque adulteram de meliore vnquã vita cogitauiſſe; hincà Deo punitè hydriã ſuam continuo deferebat,quia quod par erat, ſpẽ fiduciãque ſuã in Deo non collocarat. Faxit idẽ Deus vt quotquot iſtiuſmodi quæſtũ faciũt eandẽ ad ſortẽ deuoluantur, & nihil minus quam laborũ ſuorum refrigeriũ ac alleuiationem conſequãtur.

Mulier da mihi bibere. Hæc Samaritana de qua hactenus,propriùs cum puteum acceſſiſſet, Seruatorem noſtrũ

illic

illic ſedentem depræhendit, Felicem & beatam mulierem, verò enim veriùs eſt gaudium illius ac lætitiam in puteo hæſiſſe, ſiquidem adeò propè & iuxta ipſum puteũ Seruatorem noſtrum inuenit, qui omnis boni ac lætitiæ ſpiritualis principium illi extitit. Eſt enim planè hic *fons honorum, & puteus aquarum viuentium, quæ fluunt impetu de libano*, inquit ſponſa in Canticis. Quam etiam doctrinam nos ſecuti æquè benè ac Samarithana illa dicere poſſumus, gaudium & exultationem noſtram in puteo eſſe, ſiquidem omnis noſtræ fecilitatis iucunditas & delectatio in Seruatore noſtro non aliter quam in prima viuaque ſua ſcaturigine reperitur. In hunc etiam fontem Propheta Iſaias oculos coniecerat, cum diceret: *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris*. Nam ſiue per aquas illas: Sacramenta, ſiue cõſolationes ſpirituales, quas Deus ſuis communicat, intelligere velis, illud ſemper conſtabit vtrorumque originem in Seruatore noſtro reperiri, ex cuius diuinitate non aliter quam ex monte Lybani magna in copia erga humanitatem ſuam deuoluuntur, ex qua deinde per Sacramentorum canales transfuſa Eccleſiam fœcundant, ac iuſtorum animas exhilarant. Cap. 4. Cap. 12.

O puteum cœleſtem ac verè diuinum? ò Fontem gloriæ infinitæ, ipſis angelis ſitim reſtinguentem! Quis vnquam vidit o bone Deus fontem aquarum viuentium ſitire, & perennem ſcaturiginem aquam mendicare? Hæc ſunt illa diuina myſteria de quibus modo tractauimus, dicentes quietem fatigari, fortitudinem debilitari, & fontem gloriæ ſitire: Quo videlicet illius laſſitudo nobis quietem, illius fatigatio nobis refrigerium, illius denique ſitis nobis recreationem accerſiret. Accedito igitur ò bone Deus ad creaturas tuas, & videbis quid vnaquæque conferat te in neceſſitatibus tuis refrigeratura. Adi mihi mulierem illam, & aquam ab illa pete: intelliges confeſtim nihil homines habere quo ſitim alijs reſtinguant, ac multa econtra illis eſſe, quibus eandem augere & plus accendere valeant. *Mulier*, inquit Seruator noſter, *da mihi bibere*.

Conſidera quænam ſis, & quod ipſa naturæ tuæ mollities te ad compaſſionem flectere & inclinare debeat, vt videlicet mihi aquam porrigas quam tu gratis ac nullo cum labore haurire potes. Tua natura ecce ipſa compati

proficiſcatur, dico eum non aliunde profluere, quam ex eo, quod videlicet homo mendicum offendens beneficium illud quo eo ipſo momento à Deo afficitur, non cognoſcit. Quod quam veritati ſimile ac cognatum ſit ex hodierno facilè liquebit Euangelio, vbi mulier iſta poſtquam Seruatori noſtro aquæ hauſtum denegauiſſet, ita eum ſibi audijt reſpondentem: *Si ſcires donum Dei, & quis eſt qui dicit tibi. Da mihi bibere. Tu forſitan petiſſes ab eo &c.* Quæro hoc loco ex vobis Auditores, cum pauper quiſpiam eleemoſynam à vobis petit, quemnam vos illum exiſtimatis. *Magnus pauperis*, inquit Diuinus Chryſologus, *eſt gazophylaceum Chriſti, quis quicquid pauper accipit, Chriſtus acceptat*. Vnde idem poſtea ſanctus infert. *Da ergo homo terram, vt accipias cælum, da nummum, vt accipias regnum: da micam, vt accipias totum: Da pauperi, vt det tibi, quia quicquid pauperi dederis, tu habebis: Quod pauperi non dederis, habebit alter.* Quod ſi Deus ſua ipſius conſtitutione, prout S. ille docet, cælum pro terra, regnum pro numo, & pro mica integrum panem nobis dare tenetur, quis non manifeſtè videt atque intelligit, eximium hoc beneficium eſſe, pauperes eleemoſynã à ſe exigentes offendere? Reuera ſi mulier iſta beneficiũ illud examinauiſſet, vtique Redẽptori noſtro pauxillũ illud aquæ nõ denegauiſſet. *Domine neque in quo haurias habes, & puteus altus eſt*: Quod Conſeruator noſter audiens, & Samarithanæ ſimul oſtendens, poſſe ipſum illi aquã vitæ impertiri, illa hæc verba replicauit, ac in ijs duo confeſſa eſt. Primum Seruatorem noſtrum funes & inſtrumenta ad aquam hauriendam neceſſaria non habere: Secundum. Puteũ illũ ex quo aquam petitura erat admodũ profundũ eſſe, ipſamq; cõſequenter aquã non citra magnã difficultatẽ inde poſſe hauriri. Loquẽdo igitur ſpiritualiter, exiſtimat primo cum omnibus mũdi aſſeclis Seruatorẽ noſtrũ inſtrumẽta ad eorũ qui ſe ſequũtur corda refrigeranda nõ habere: dũ videlicet opinantur, omnia ea quæ Redemptor noſter in Euãgelio præcipit, ad labores, ęrũnas, iniurias, et ſimilia perpeſſu aſpera referri. Vnde igitur eſt dicũt illi ꝙ Seruator noſter habere aliquibus videtur, quo aquã hauriat ſuo per illã refrigeraturus? Nimirũ non cõſiderãt fatui ac deliri illi Deũ aquã ex rupe, mel ex petra, & oleũ ex ſilice poſſe producere. Vnde neceſſa-

Serm. 8.

Deut. 33.

conſueuiſſe. Eſt proinde error vna cum Samaritana dicere Deum inſtrumentis deſtitui, per quæ aquas refrigerij animabus in ſuo ſeruitio verſantibus poſſit propinari. Faxit Deus qualibet vt veſtrum ita ſibi hanc veritatem inculcet, nemo vt deinceps virtutem culpans eam vt aſperam & ingratam proclamet. Vultis ſcire in quo Samaritana non fefellerit & à veritate nihil planè abluſerit? Quādo videlicet aſſeruit puteum profundum eſſe, & aquas quas illa quærebat depreſſas, & conſequenter difficiles hauſtu eſſe; & eſt hoc planè ita provt etiam ſcelerati in inferno coufitentur, clamantes aſſiduo difficilè eſſe ex hoc mundo voluptatis aquas haurire, ac immenſo illas conſtare pretio, tametſi nihil valeāt, & nihili ſint. *Ambulauimus vias difficiles*, inquit Spiritus S. & infortunatæ illæ ac infelices animæ in inferni igne conſtitutæ vociferātur, poſtquam videlicet diu multumque in mundi huius voluptatibus ſe volutauerunt. Adeò vt quilibet facilè intelligere poſſit omnes huius ſæculi delectationes aquas profundorum puteorum eſſe, prout Samaritana proteſtatur, & ſitim nequaquam reſtinguere ſicut Seruator noſter confirmat. Quoniam ergo tanta inter mundi huius & noſtri Seruatoris aquas differentia reperitur, illas quæſo fugiamus, has autem proſequamur & appetamus, cogitemus cum vnicè hoc expetere vt illum compellemus: Contemplemur diuina myſteria quæ hodiè incipiunt, & quomodo filius Dei pro nobis defatigetur, examinemus.

Poſtquam autem ſemel conſtat omnes illas ærumnas ob noſtrum commodum & vtilitatem fuiſſe exantlatas, noſtros labores cum illius coniugamus, vt per meritum ſuorum pater noſtros recipiat, eosque in hac vita gratia ſua, & in altera aqua perpetuæ ſuæ gloriæ recompenſet. *Quam mihi & vobis, &c.*

CONCIO VIGESIMAQVINTA PRO SABBATO POST DOMIN. OCVLI.

Terrexit Ieſus in montem Oliueti. Ioan. 8.

POSTQVAM Deus Creator nimia vanitate ac præſumptione in quam Rex Dauid prolapſus erat, cum generalem illum ſuorum ſubditorum cenſum ac numerum iniri curauiſſet, Prophetam Gad in aulam Iudææ ablegauit, ſignificaturum videlicet hanc æterni conſiſtorij mentem eſſe, vnum vt ex tribus flagellis eligeret, nimirum vel ſeptem annorum famem, vel trium menſium bellum, vel trium dierum peſtem. *Coarctor nimis*, reſpondit Dauid, omnia enim iſthæc tria difficilia perpeſſu ſunt. Quoniam autem hæc æterni Dei lex & ſententia eſt, concludo, ac trium dierum peſtem malle me habere profiteor: *quia melius eſt vt incidam in manus Domini (multæ enim miſericordiæ eius ſunt) quam in manus hominum*; Conſiderabat videlicet Dauid in bellis cum hominibus rem eſſe, & victum victoris poteſtati imperioque ſupereſſe. Cogitabat deinde famem hoc efficere vt homo hominem adeat, vt pauper ad opulentioris domum confugiat, & quo neceſſitatem ſuam conſolentur, conquirat: Graſſante autem peſte homo nonniſi ad Deum recurrere, & ab illo ſolo remedium poteſt expectare. Expendebat deinde etiam Rex Dauid hominibus plerumq; manus & crudeles & ſanguinarias eſſe: Nam ſi accuratè rem intuearis, quid crudelius homini aduerſatur quam ipſe homo? quis carceres hominibus complet niſi ipſi homines? Quis tot ſententias capitales contra homines perfert, alij ſi homines eas non perferunt? Qui ſubſeſſores viarum, qui prædones latroneſq; ſunt, niſi alij homines? Quis ferrum ex terræ viſceribus erutum contra hominem fabrefecit? An non alij homines? Adeò videlicet nulla cru-

crudelitas tanta eſt, quam illi, quæ in hominibus conſpicitur poſſis comparare. *Non faciam furorem iræ meæ, & diſperdam Ephraim*, inquit Deus per Prophetam Oſeam, *quoniam Deus ego & non homo*. Ac ſi dicat: etſi Ephraim multitudine ſuorum peccatorum facilè promerita fuerit ſolo penitus adæquari, ac totaliter deſtrui, ego tamen id facere nolo, quia Deus non autem homo ſum. Quod idem eſt, ac ſi dicat: ſi ad inſtar hominis eſſem qui iniurias æqualium condonare non poteſt, ſed continuò manum ad vindictam paratam habet, vtique eos deſtruerem, ac funditus delerem: quoniam autem Deus ſum, naturaque adeò ipſa mea tota facilis, & benigna eſt potius veniam illis faciam, & offenſas ijs ſuas condonabo. Et facit ad hunc locum in primis Danielis ille locus, vbi declarat quod beſtijs obiectus fuerit, quodque porta Leonibus occluſa, & ſigillo hominibus obſignata fuerit, ne quis videlicet eum in locum penetrare poſſet vbi Propheta erat. Et addit Scriptura Regem idcircò tantum diligentiæ adhibuiſſe, ne quid fieret contra Danielem; Adeò vt Rex timuiſſe videatur ne homines beſtijs crudeliores antequã illæ Danieli nocerent. Hinc nihil de Leonibus præcipit, cauens nihilominus ne quis hominum ingredi illuc poſſit. Habes hic opinioné ipſius Dauidis & iudicium quod de manibus humanis faciebat, cum inter ambiguam illã electionem verſaretur, conſiderabat autem etiam ab altera parte manus Dei, tametſi irritati, pleni miſericordia, iuxta illud quod alius Propheta dicit: *Cum iratus fueris miſericordia recordaberis*: ſi quæ poſtea immanem differentiam plene intelligens concludit: *Melius eſt mihi incidere in manus Dei quam in manus hominum*: Veniat ſanè peſtis à potentis Dei dextera immiſſa, demetat & tollat capita quantumuis multa, mihi ſemel conſtitutum eſt, in Dei quam in hominum manus cadere malle. Vbi etiam accuratè parentheſis illa quæ Dauid vtitur obſeruanda eſt. Et quis omninò non malit in Dei, quam in hominum manus incidere? Specimen autem, & experimentum bonæ electionis à Dauide factæ in noſtro Euangelio nobis repræſentatur, vbi dicitur mulierem quandam à nonnullis hominibus interceptam adulterij fuiſſe inſimulatam. Vultis rem vniuerſam vno Verbo? Oui- *Abac.3.*

culam

culam Leones vnguibus ſuis apprehenderant, quam poſtea etiam ita tractauerunt vt ex domo propellere eius facta ac dicta propalare, in templum illam deducere, ac vitam denique mirabili fraude iudicio ſuper adultera lato extorquere conati fuerint. Videtis hic quemadmodum ab hominibus illa tractata fuerit: nunc quomodo Deus etiã illam habuerit videamus. Poſtquam ad Templum vẽtum eſſet, vbi Seruator noſter concionabatur oblata illi fuit adultera, vt quod vellet in eam deſignaret, ſicque adulterij ream, teſtimonijs cõuinctam, & lege iugulatam morti adiudicaret. Verum Seruator noſter poſtquam criminationibus illorum ſatis ſuperque auſcultauiſſet, dicit eum qui abſque peccato in vniuerſo cœtu ſit primum lapidem tollere, iacereque oportere. Quo audito ſolam ream relinquerunt Dominus autem noſter in protectionem illam ſuam recipiens abſolutionem illi impertiuit, & magnis miſericordiæ theſauris accuſatam dotauit. *Perrexit Ieſus in montem Oliueti, & diluculo iterum venit in templum.* His verbis Euangeliſta ſummam diligentiam, & curam Seruatoris noſtri deſcribere nititur qua ille noſtram ſalutem, & quæ ab illa dependent, procurabat; cum enim die præcedente tamdiu in templo cõcionatus fuiſſet quoad ipſa nox loquenti ſilentium impoſuerat, tranſiuit in montem Oliueti, nihil alienum à conſuetudine ſua faciens ac illic totam noctem exegit. *Iterum venit in templum.* Continuaturus videlicet opus illud quod die præcedente inchoarat: impoſſibile enim illi erat in ijs quæ hominis bonum concernebant otiari ac feriari. Habes hic in ambulationem Redemptoris noſtri, hoc eſt è templo ad montem egreſſum, & de monte ad templum tranſitu: dum videlicet de die circa proximum inſtruendum occupatur, ac de nocte orationis exercitio indeſinenter inſiſtit. Faxit DEVS omnes vt Chriſtiani eoſdem planè illos paſſus faciant, deinceps tempus ſuum non adeò inutiliter leuibus occupationibus, & perniciosis actionibus traducant. Quam autem neceſſaria illorum nobis praxis ac vſus ſit, vel ex eo conſtat, quod præcipuus de prædeſtinatione noſtra articulus conſiſtit in imitatione Seruatoris noſtri, iuxta D. Pauli illam ſententiam: *Nam quos præſciuit, & Rom. 8. prædeſtinauit conformes fieri imagini filij ſui.* Quiſquis ergo

ex

ex electorum numero eſſe deſiderat is mihi vnicum hoc ſtudeat, quomodo Seruatorem noſtrum imitetur, & modo per vitam actiuam bonum ac ſalutem proximi curet, modo contemplationi inſiſtat viſitationibus, & conſolationibus cæleſtibus recreandus. Atque in hac reuera diuerſitate, & viciſſitudine exercitiorum animæ beatitudo conſiſtit, inquit Dauid, tametſi verba quibus id exprimit paulò obſcuriora eſſe videantur. *Si dormiatis inquit ille, inter medios cleros, penna columbæ deargentata, & poſteriora dorſi eius in pallore auri:* id eſt, ſi inter duo genera vitæ, hoc eſt inter actiuam, & contemplatiuam dormias, conſeruans tranquillitatem interiorem, ac poſtea tempeſtiuè, & cum ratio exigit vtrique inſiſtas, tum verò pennæ columbarum deargentabuntur, quia videlicet ei rei ſe conformabunt, quam verbum Dei nomine illo in ſcriptura ſacra affectum tradit ac docet. Dorſum autem eiuſdem columbæ, id eſt partem illam quæ collum omniaque illa reſidua quibus moles ac faſcis incumbit, ideò pallorem auri relaturum dicit, vt ſignificet eam iugum legis, & Dei cum gaudio, & charitate, quæ omnes iſtiuſmodi ærumnas lenit ac mitigat, eſſe portaturum. Concipite proinde Auditores mei columbam talē, qualē vobis hic Dauid deſcribit, habentem alas deargentatas, & dorſum auro illuſum: ſimulque conſiderate quomodo oculis, & aſpectui lenocinetur: certò conſtituentes non minus Deo animam illam placere, quæ inter actionem, & contemplantionem conſtituta in pace ac feruore perennat, beneficia Dei meditatur, & proximi defectibus ac neceſſitati ſatagit ſubuenire. Iam, & ex hoc loco laudem illam intelligetis, quam Spiritus S. Sacerdoti Simoni filio Oniæ attribuit, quando in libro Eccleſiaſtici de præſtantia illius diſcurrens, diuerſos illi titulos aſſignat ac inter cætera etiam ait: *& ipſi quaſi oliua pullulans, & quaſi Cypreſſus in altum ſe extollens in accipiendo ſtolam gloriæ, & veſtiri eum conſummatione virtutis.* Quæ verba ſi penitius introſpicere conſtituatis, difficultates in ijs contentas ſtatim inuenietis, duo ſi ante præſuponatis. Primum eſt Oliuam in ſcriptura ſacra fertilitatis Symbolun eſſe, tum quia fructus illius admodum pingues ſunt, & rami læti atq; diffuſi, tum quia ſola ferè inter arbores circa radicem ſurculos emittit. Hinc Dauid de abū-

Vita actiua, & contemplatiua.

Oliua ſymbolum fertilitatis.

dantia

dantia filiorum, quam Deus ſeruis ſuis adpromittit diſcurrens, eos nouellis illis ex oliuis pullulantibus componit
Pſ.172. dicens: *Vxor tua ſicut vitis abundans*, &c. *Filij tui ſicut nouellæ oliuarum, in circuitu menſæ tuæ*: ſecundum præſupponendorum eſt, Cypreſſum ſterilitatis ſymbolum eſſe, tum quia ſemel eradicata, & licet iterum plantata non repullulat: tum quia alijs opem ſuam denegare videtur ramos ſuos in ſe ipſam cogens, nec more aliarum arborum largè hilariterque diffundens. Conſtituto proinde antea duas illas arbores ſymbola eſſe diuerſiſſimarum, quis non videt quam difficilis sẽſus in Eccleſiaſt. illis verbis deliteat? & quomodo fieri poteſt, vt cum oliua adeò fertilis, & fæcunda, Cypreſſus autem intantum ſterilis ſit, vnus idemque homo vtrique ſimilis eſſe perhibeatur? Si magnus Sacerdos Simon ad inſtar Oliuæ fertilis erat, quomodo pariter, adinſtar Cypreſſi ſterilis eſſe potuit? Verùm vniuerſam iſthanc difficultatem communi ſanctorum doctrina reſoluimus, qui aſſerunt duas illas Patriarchæ Iacob ſponſas, videlicet Rachel, & Liam geminum illud vitæ genus de quo loquimur nobis repræſentare. Rachel enim perfectiſſimæ pulchritudinis vitam cõtemplatiuam refert, quia videlicet contemplatio pulcherrimum quiddam eſt, & quam maximè accommodatum vt hominem in ſupernã, & perfectam pulchritudinem quæ Deus eſt transformet. Lia autem lippiens actiuam nobis vitam repræſentat: dũ enim inter pauperes, & ægros oberrat, modo huic modo illi vulnera ſuppurans, & viliſſima quæq; exercitia obiẽs, mirum omninò non eſt, aliquid ſi etiam illi ſordiũ adhæreſcat. At recogitate etiam formoſam illam Rachel ſterilem, Liam autem lippientem fertilem fuiſſe: quo ſignificatur contemplatiuos aliorum reſpectu ſteriles eſſe, dum ſibi tantum proſunt, actiuos autem ideò fertiles appellari, quia conſilia ſua, ad alios etiam iuuandum conferunt, hac ergo doctrina benè intellecta, omnis difficultas, quæ ſupracitato textu emergere poterat eſſe videtur, Spiritus enim Sanctus magnum Sacerdotem Simonem laudans, illumque cypreſſo ac Oliuæ comparans, oſtendere voluit eum fertilitatem Oliuæ, & pulchritudinem cypreſſi in ſe coniunxiſſe: dummodò cum Maria vitæ contemplatiuæ vacat, modo cum Martha actiuæ incumbit: Iam men-

te cę-

te cœlum oberrans,& paulò poſt opera miſericordiæ exer cens; ab vna parte pulchritudinem Rachel, & ab alia fertilitatem Liæ amplectens. Tales enim vult Deus ſeruos ſuos eſſe,nimirum ſibimetipſis bonos,alijs ſalutares,non contentos propriæ ſaluti inuigilaſſe,& orationi indeſinēter vacauiſſe, ſed etiam proximo conſulentes, ignorantes docentes,viſitantes ægrotos,conſolantes afflictos,in neceſſitatibus conſtitutos degentes, vt per hæc media ad inſtar cypreſſorum pulchri,& elati ſint,iuxtaque Oliuæ fertilita tem habeant, Deo grati,proximis vtiles,ac per omnia Redemptoris noſtri veri imitatores ſint. *Adducunt ei Mulierem in adulterio deprehenſam.* Mirabile planè hoc eſt eo tēpore quo diuinus hic doctor in templo Salomonis docebat ingentem hominum multitudinem circa vnam adulteram capiendam occupari.

Verum quis crediđiſſet Auditores peccatum, quod vti infame, & pernicioſum eſt, ita clam, & ſecreto perpetratur,confeſtim in loco publico innoteſcere? Et quis velim adulter eſt qui peccatum ſuum commiſſurus, non potius locum Secretum,& ab arbitris remotum ſibi delegit? Certè Rex Dauid qui ſemel tantum à vitio illo ſuperatus fuit, ingenuè confitetur,ſe tenebras circumſpexiſſe, & noctem voluptatis cauſſa dilexiſſe. *Et dixi forſitan,* inquit ille, *tenebræ conculcabunt me, & nox illuminatio mea in delicijs meis.* Pſ. 138. Nam viri prudentia ſiue aſtutia iſthac vtuntur, nihilo tamen circumſpectiores. Mulieres autem quam calidè, quam aſtutè, quam clam omnia ſua agunt ne peccatum perpetratum in vulgus emanet. Hinc Sapiens poſtquam quatuor difficilia inueſtigatu propoſuiſſet, quæ Prou. 30. ſunt iter aquilæ in aere volitantis, via ſerpentis in rupe reptitantis, & curſus nauis in alto mari velificantis, ac denique hominis in flore ætatis conſtituti flexum, ad extremum ſubiungit: *talis eſt via mulieris adulteræ,* & non minus difficilis inueſtigatu quam quatuor illa ſuperiora. Quin idem ſapiens eandem poſtea diſſimulationem delicatæ ancillæ componit, *quæ comedit, & tergit os ſuum, & dicit non ſum operata malum.* iurans,& periurās extra culpam ſe eſſe, & ne cogitatione quidē quod feciſſe arguitur deſignauiſſe. Eadē tamen ſi aliquādo intercipiatur, & bolus adhuc in ore apparens factū, prodat, tū verò con-

uicta eſt,& tenetur. Conijciat proinde mihi oculos in ho dierni Euangelij peccatricem,ac vel inde certo diſcat pec catum ſuum diu latere non poſſe. Legimus in libro Ioſue militem quendam Acan contra expreſſum Dei mandatũ ex inimicorum ſpolijs purpureum pallium, & regulam auream auaritia extimulatum rapuiſſe, & terram ſubter ſecreto defodiſſe. Hoc peccato Acan detecto malefactor pœnas dedit, ea enim peccati natura eſt, vt etſi clam com mittatur, quatenus tamen peccatum eſt ſemper latere nõ poſſit. Poſtquam Cain fratrem ſuum in campo nullo arbi tro, & ſpectatore occidiſſet, inquit ſcriptura, eum confu ſum fuiſſe, caput in terram abieciſſe, vultu triſtitiam, & melancholiam præſetuliſſe, prout ipſe Deus apparens ſi-
Gen. 4. gnificauit, cum diceret: *Quare concidit vultus tuus? Nonne ſi bene egeris recipies, ſin autem male ſtatim peccatum tuum in foribus aderit?*

Ex quibus verbis manifeſtè eruitur hanc immotam, & ab ipſius Dei ore profectam veritatem eſſe, quod videlicet omne bonum opus recompenſationem habiturum ſit, ac ſimiliter omne peccatum in lucem aliquando proditurum. Quod ſi etiam homines id latere poſſet, an non ſufficeret quod Deo de illo conſtat? Poſſunt ne tenebræ aliquæ in mundo excogitari quæ ita peccata contra cæleſte numen perpetrata inuolant, vt in illius oculos non incurrant? Certè Propheta Dauid poſtquam confeſſus fuiſſet, ſe nocturnas tenebras peccati cauſa quæſiuiſſe, confe-
Pſ. 138. ſtim ſubiungit: *Quia tenebræ non obſcurabuntur à te, & nox ſicut dies illuminabitur: ſicut tenebræ eius, ita & lumen eius.* Conſiderent mihi hæc omnes adulteri, & peccatores, cogitationemque illam vt frænum habeant quo paſſiones ſuas inordinatas effrenataſque coerceant. Quod ſi Dei timore non procelluntur, metuant ſaltem, nec illorum aliquando peccatum euulgetur, ac manifeſtetur.

Huiuſmodi mandauit Moyſes lapidare. Quam graue & enorme adulterij peccatum ſit ſatis ſuperque ex rigore pœnæ patet quam omnes propè nationes, etiam quantumuis barbaræ adulteris conſtituerunt. Author eſt namque Plinius Leonem, Leænam cum alio conſueſcentem ſi inueniat occidere, & dilaniare. Meminit, & Aelianus ciconiæ quæ mulieri in cuius domo nidificabat oculos

eruit,

eruit,quod abſente marito cum Seruorum ſuorum aliquo rem haberet. Iam autem quæ vnquam Reſp. in toto terrarum orbe extitit, quæ non legem aliquam contra adulteros & adulterium promulgarit? Moyſes omnes huius criminis reos lapidari iuſſit. Aegiptij adultero mille ictus flagello infligebant, adulteræ autem naſum amputabant, vt ita hac deformitate apud omnes abominabilis efficeretur. Romani adulteros morte afficiebãt, Hiſpani eiſdem capita reſecabant: quæ pœna omnium optimè illorum peccato videtur eſſe inflicta. Etenim ſi maritus, iuxta D. Paulum eſt caput fœminæ, cũ reuera caput perdere oportet, alterius qui corpus abſtulit; Fœminam autem capite truncari, quod adeò parui caput illud fecerit, quod Deus illi in matrimonio indulſerat. Quid ego hic de deteſtabili illo Mahomete dicam, qui quamtumuis ſpurcus, ſordidus, & obſcœnus fuerit, expreſsè tamen in ſuo Alcorano centies ſcutica adulterum cædi iubet. Legite mihi duodecimum Geneſ. caput, & intelligetis confeſtim Ethnicos adulterium quam homicidium maioris æſtimauiſſe. Ita enim S. Chryſoſt. ex verbis Abraham ad coniugem ſuam Saram exculpſit, quando iamiam Aegyptum erant introituri. Conſiderans enim pulchritudinem ſuæ mulieris, & ſimul Aegypt. petulantiam cogitans, rogauit eam quatenus ſe non vxorem, ſed ſororem ſe ipſius eſſe profiteretur. Et addit rationem dicti ſui: *Quia cum viderint te Aegyptij dicturi ſunt vxor illius eſt, & interficient me, & te reſernabunt*. Vnde clarè perſpicitur Abrahamũ exiſtimauiſſe, Aegyptios minus ſibi religioni ducere homicidium facere, quam illius mulierem violare, planè ac ſi adulterium homicidio grauius eſſet. De furto certè conſtat Spiritum Sanctum id cum adulterio comparatum non magnificare, nam ait: *Non grandis eſt culpa cum quis furatus fuerit, furatur enim vt eſurientem impleat animam Deprahenſus autem reddet ſeptuplum. Qui autem adulter eſt, propter cordis inopiã perdet animam ſuam*. O miſera tempora in quibus nos viuimus! O ætatem corruptam! O ſæculum infortunatum, ſi quidem non ſolum adulterium apud nonnullos peccatum eſſe deſijt, ſed vrbanitati etiam aſcribitur alienas vxores conuenire, ac non aliter quam cũ legitimis coniugib. rem habere. Vt autem manifeſtius adhuc intelligatur quã *Prou. 6.*

enorme

enorme peccatum iſtud noſtro tempore ſit: ſcitote matrimonium Sacramentorum maximum eſſe ſi ſignificationem ſpectes; repreſentat enim nobis vnionem, quæ eſt inter naturam diuinam, & humanam, Inter Ieſum Chriſtum, & eius Eccleſiam. Idcirco enim Sanctus Paulus dicit: *Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto, & in Eccleſia*. Vnde conſequitur, quod ſicut vnio iſta arctiſſima, & indiſſolubilis eſt, ita adulter quantum in ſe eſt præſtare conetur vt ſacramenti ſignificatio falſa ſit, diſſoluens videlicet nodum quo coniuges copulabantur, & thronum maculans qui Sanctus caſtusque eſſe debebat. Iraſceremini ſcio videtes ſancti alicuius imaginem in cenum conijci; & quid faciendum vobis exiſtimatis videntes Sacramentum illud, quod eſt viua imago incarnationis adeò ſordidè haberi? Poteſtne crimen adeò enorme tolerari? Audite obſecro quid Spiritus S. dicat: *Nunquid poteſt homo abſcondere ignem in ſinu ſuo, vt veſtimenta illius non ardeant, aut ambulare ſuper prunas, vt non comburantur plantæ eius?* At eodem modo, *qui ingreditur ad vxorem proximi ſui non erit mundus cum tetigerit eam*. Et reperietur adhuc aliquis ita temerarius qui facinus omnium nationum legibus ſtatutis condemnatum patrare non vereatur? Rex Abimelech quia Patriarchæ Abrahami vxorem neſciens legitimam illius ſponſam eſſe apud ſe retinuerat, cum vniuerſa ſua familia graui morbo affectus fuit, donec ipſe Abraham pro eo rurſus interceſſit. Ita enim Deus omnibus ſanitatem reſtituit, & ſpẽ ſucceſſionis Regi huic porrexit. Quod ſi Deus Abimelecho illud fecit, quid putas ijs faciet qui non tantum deſiderant, ſed ipſo actu adulteria committunt, idque non ex ignorantia ſed extrema malitia? Deo notum eſt quam graues ſæpè, & acerbæ pænæ ab adulterorum familijs diuinitus exigantur: At paucos tu reperias qui ijs ſe commoueri, & intra rectæ rationis gyrum ſe compelli patiantur.

Epheſ. 5.

Ieſus autem inclinans ſe deorſum, digito ſcribebat in terra. Poſtquam Samaritanę illius accuſatores Seruatorem noſtrum præmere, & vrgere non deſiſterent, quatenus ſententiam ſuam in adulteram ferret, digito ante in terra ſcribẽs ſublato capite illis reſpondit: *Qui ſine peccato eſt veſtrum mittat in eam primum lapidem*. Quo dicto denuò in terra

aliquid

aliquid exarauit, referente D. Hieronymo ea peccata accuſatorum fuiſſe. Accuſatores autem Seruatoris noſtri ſententia audita, & peccata ſua in terra extantia intuentes lapides attingere auſi non fuerunt, ſed furibundi ac confuſi ex templo receſſerunt. Conſideremus nunc myſterium, ſimulque nobis in memoriam reuocemus, Deum olim non pulueri peccata inſcribere ſolitum fuiſſe: *peccatum Iuda* dicit ille, *ſcriptum eſt ſtylo ferreo, in vngue adamantino*. Vbi conſiderate vtrum Deus peccatorum à populo iſto patratorum obliuiſci voluerit, ſiquidem ea non in marmore, ſed in adamante metallo longè quam lapis ille duriore inſculpſit.

Iam autem peccata pulueri inſcribit, quia IESVS terram tacturus ſe inclinauit, iungens diuinam ſuam perſonam terræ noſtræ carnis. Quæ noua coniunctio intantum illum immutauit, vt iam iniurias ſuas pulueri inſcribere incipiat, volens videlicet eas facilè deleri, neque illorum ampliùs memoriam ſupereſſe. Quid facilius eſt Auditores quam rem pulueri inſcriptam expungere? Aſperge pauxillum aquæ, apprehende ſcopas obiter euerre, & videbis confeſtim ne minimum amplius ſcripturæ tuæ veſtigium ſupereſſe. DAVID confitetur ſe præteritos ſuos annos recogitauiſſe, omniaque peccata aliquando contra diuinam maieſtatem perpetrata ita ſecum ruminauiſſe, vt in hoc exercitio integram noctem collocaret.

Ideò enim ipſe ait: *Anticipauerunt vigilias oculi mei, &* ſubitò adiungit: *Cogitaui dies antiquos*, & paulò pòſt, *meditatus ſum nocte cum corde meo, & exercitabar*. Quod ſi Pſa.76. etiam quæras quem ſibi finem diligentia illa propoſuerit, dico Spiritus repurgationem fuiſſe: Hoc enim ipſe indicat cum ait: *& ſcopebam Spiritum meum*. Quiſquis proinde culpabilem ſe eſſe nouit, peccata ſua bene conſideret, illaque in puluere deſcripta eſſe meminerit: Et quoniam quæ in puluere exarata ſunt aſperſa aqua eluuntur, aut ſcopis expurgantur, ideò tu lachrymas contritionis vbertim effunde, & pœnitentiæ ſcopas apprehende, explicans omnia peccata tua patri ſpirituali, ac certo confidens nihil eorum amplius ſuperfuturum, cum præſertim rem habeas cum DEO egregiè miſeri-

corde, prout ex eo liquet quod Samaritanam illam adulteram perſecutorum calumnijs, & vnguibus ſubduxit: qui deinde confuſi, & pudefacti, ac capita inuicem conferentes, mulierem ſolam conſeruatori noſtro in templo reliquerunt. Ecce quemadmodum miſericordia, & miſeria conueniunt: miſericordia dico Seruatoris noſtri, & miſeria adulteræ Samarithanæ. Illa indigebat miſericordia, hic voluntatem miſeriæ eius ſubueniendi adferebat. Illa oculos ad cælum attollere non audebat, propter delictorum ſuorum conſcientiam, cum ecce Seruator noſter miſericordiæ ſuæ oculos ab ea nunquam auertit, & ad extremum etiam ſilentium rumpens, illamque bono animo eſſe iubens ait: *Vbi ſunt qui te accuſabant? Nemo te accuſauit?* Ad quod cum illa reſpondiſſet: *nemo Domine*, ille cõfeſtim peccata ei omnia condonauit, ac vt deinceps à male agendi deſtituto deſiſteret illam admonuit. Ecce auditores quemadmodum miſeria humana à miſericordia diuina abſorpta fuerit. At notandum tamen hoc loco fuerit, Seruatorem noſtrũ priuſquam mulieri peccata ſua ignoſceret ex ea ſciſcitatum fuiſſe, vtrum accuſata ab aliquo fuiſſet: Iudicens enim accuſatum abſoluere non debent, niſi aduerſæ parti ſit ſatisfactum. Curate proinde auditores vt in peccatis quæ committitis aduerſarios nõ habeatis, qui contra vos agere quiritarique poſſint. Si enim iſtiuſmodi aliquid eſt antè illi ſatisfaciatis oportet, quam abſolutionem peccatorum veſtrorum expectetis. Si pauperem abieciſtis, ſi quis vindictam contra te clamat, quomodo Deum rogare audebis, peccata vt tibi tua

Gen. 4. ignoſcat? Audite Deum ad Cain dicentem: *Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra*. Recordamini eundem Deũ Abimelech ignoſcere noluiſſe, tametſi ex ignorantia tantum peccaſſet, donec tandem cum aduerſario ſuo reconciliatus eſt, & pro iniuria ipſi ſatisfecit. Ideò enim ip-

Gen. 30 ſe Deus ad Regem ait: *Redde viro ſuo vxorem, & orabit pro te, quia Propheta eſt, & viues*. Et apud Iob nunquid ſimile quid reperitur? Legimus certè Deum huius Patriarchæ amicis veniam facere non voluiſſe, donec ipſi illi ſatisfeciſſent. *Conferte vos*, inquit ille, *ad ſeruum meum Iob, & offerte holocauſtum pro vobis. Iob autem ſeruus meus orabit pro vobis, & faciem eius ſuſcipiam*. Atq; hoc idem illud documen-

tum

tum eſt, quod nobis Deus in Euangelio tradit dicens: *ſi offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris quod frater tuus habeat aliquid aduerſum te, &c.* Quis hinc nō apertè intelligat Deum propter iniurias quæ proximo fiunt maximè commoueri ſolere? ſit ergo vobis infallibilis illa regula, eum qui peccatorum ſuorum veniam impetrare vult, ante videre oportere, vtrū aduerſarium aliquem habeat, an alicubi honorem ſuum abſtulerit, rem familiarem acciderit, &c. proximum ſuum damno aliquo affecerit; quorum ſi aliquid factum eſt, ſciat confeſtim cum accuſatore ſibi ſuo in gratiam eſſe redeundum, quod ſi fecerit, tum verò certò ſciat gratiam ſe impetraturum, & ad extremum gloriam promeriturum, *quam mihi, &c.* Matt. 5.

CONCIO VIGESIMASEXTA
PRO DOMINICA QVARTA QVADRAGESIMAE
Quæ lætare dicitur.

Abijt Ieſus trans mare Galileæ, &c. Ioan. 6.

INSTITVENS Euangelicus Propheta Iſaias de tempore legis gratiæ verba facere, Sermonem ſuum à verbis myſterijs plenis auſpicatur, in quorum multiplici ſenſu, ac expoſitione multi celebres, & magni nominis Doctores hactenus ſe torſerunt. *Et faciet Dominus exercituum,* inquit ille, *omnibus populis in monte hoc conuiniū pinguium, conuinium vindemiæ; pinguium medullatorum, vindemiæ defecatæ* Vbi Eccleſiam ſecundum Procopij expoſitionem appellat montem qui pede terram, iugo autem, & cliuo nubes ac cœlum attingat. Quin ſicuti etiam mons, etſi à circumſonante pelago, & incumbentium ventorum furijs ſuccutiatur, immobilis tamen & firmus manet; ita Eccleſia inter aduerſitates conſtans deficere non poteſt, quo videlicet Seruatoris noſtri dictum de ea verificetur: Iſa. 25.

Mat. 16. *Portæ inferi non præualebunt aduerſus eam.* In hoc autem monte ait Iſaias Dominum exercituum conuiuium facere conſtituiſſe, conuiuium inquam exquiſitiſſimis epulis, & ferculis quam delicatiſſimis inſtructum, Quæ verba etſi nonnulli Doctores poſt D. Cyprianum venerabili altaris Sacramento applicent, alij autem ad conuiuium illud, quod Deus electis ſuis in cœleſti gloria inſtruet traducant, mihi tamen verior illorum videtur eſſe ſententia, qui doctrinam Euangelicam verbis illis deſignari exiſtimant, neque enim inſolens hoc eſt conuiuium pingue illam appellari, ſiquidem Dauid ait verbum Dei palato animæ omni melle dulcius eſſe, & S. Chryſoſtomus verba illa exponens, quæ Dominus ad ſeruos ſuos, qui inuitatos accerſituri erant, dicebat, autor eſt prandium illud doctrinam Euangelicam & diſcurſus de cœleſtibus myſteris repræſentare: *quibus ſe homo reficiens vitam immortalem vereque beatam conſequetur*. Et Salomon in Prouerb. docet Sapientiam domum ſibi ædificauiſſe inquiens: *Sapientia ædificauit ſibi domum, exſcidit columnas ſeptem, miſcuit vinum, & poſuit menſam*. Vbi per hanc menſam omnes ferè Doctores Doctrinam Euangelicam intelligunt, quæ ſicut diuerſis ferculis inſtructa eſt, ita diuerſorum hominum, & auditorum palato poteſt ſatisfacere: Dum autem dicitur vinum illam nobis miſcere, Spiritus ſanctus docere nos vult Sapientiam diuinam, linguam & doctrinam ſuam capacitati ingeniorum humanorum accommodare, nam ſi verbum incarnatum ad nobis receptum loquendi modum non deſcendiſſet, nemo prorſus intelligere illud potuiſſet. Vnde eodem ſenſu Pſalmographi illud accipiendum eſt: *Fiat menſa eorum coram* Pſal 68. *ipſis in laqueum*; Vbi per menſam Origines Scripturam ſacram intelligit, quæ Iudæorum menſa appellatur, quoniam illis ſecundum D. Paulum, *credita ſunt eloquia Dei*. Quoniam ergo Scriptura ſacra menſa eſt, conſilia autem & monita quæ ſuggerit animæ quædam fercula ſunt, quid obſecro concio aliud erit, quam Regium quoddam conuiuium in quo animæ exquiſitiſſima fercula, & omnis generis delicias poterunt reperire? Ob eandem planè cauſam ego hodierna die officio meo ſatisfacturus non videbar, niſi ad imitationem ſupremi omnium concionatorũ ma-

magiſtri Audit meos inuitarem,& ſolemni conuiuio adhibitos, ſpirit. inebriarem. Et quoniam omnia fercula ex Euang.petere conſtituimns,dubium planè non eſt,omnibus animabus pleniſſimè ſatisfactum iri,modo ipſæ palatum non omninò corruptum deprauatumq; adferant. Sicuti itaq; eæ partes mihi demandatæ ſunt, fercula vt ipſa inter vos partiar atq; diſtribuam, ita vobis liberũ non futurum ante denuncio, quod cuilibet maximè arriſerit ad ſe trahere ſibiq; vindicare; vnicuiq; .n. quantum neceſſe fuerit,à me fideliter apponetur. Aſſidete itaq; cõuiuæ mei, & ꝙ ſcitis, quodque à pueris edocti eſtis benedictionem ante mecum pronunciare. *Nos & ea qua ſumpturi ſumus, benedicat Deus Trinus & vnus amen*. Vtrumque enim ad benedictionem requiritur,nimirum vt non tantum cibus, & eſca,ſed & ipſi etiam conuiuæ benedicantur,vt id quod ſumitur ſalutare proficuumque ſit.

Subijt ergo in montem Ieſus Seruator noſter Auditores cõmodius eum vt populum qui ſe inſequebatur ſpectare poſſet,montis iugum aſcendit,illicq; oculis in cœlum eleuatis,ac poſtea iterum deiectis populum ante ſe ſtantem intuitus eſt:cumq; eos feſſos & famelicos comperiret,compaſſione motus media illorum neceſſitati ſubueniendi extemplo circumſpicere incæpit.Atque vel ex hoc primum loco delicatiſſimum ferculum pro ſpectatis, & nobilioribus conuiuijs poſſumus elicere. Attollant proinde mihi illi præ reliquis oculos, rurſumq; illos in terram deijciant, intelligentes ex vtroque hoc modo aliorum ſe neceſſitati opitulari oportere. Tria enim in Vniuerſitatis hoc Theatro creaturarum genera ſunt quorum quodlibet exemplo ſuo hanc nobis doctrinam tradit atque commendat. Ac primum quidem illarum eſt, quæ merè ſpirituales ſunt, & Angeli appellantur. Alterum verò corporeas tantum creaturas continet, quales ſunt cœli, planetæ, & alia cœleſtia corpora. Tertium denique genus illæ conſtituunt quæ ex primis duobus participant, quales homines ſunt, qui ex corpore, ac anima rationali conſtant. Si itaque oculos in primas illas creaturas conijciamus, inueniemus Angelos ſuperiores, iuxta Doctrinam D. Dionyſij, in inferiorum illuminatione occupari: ipſam autem omninò infimam Hierarchiam quæ ſe humi-

Triplices creaturæ.

De Eccl. Hier.

 liorem

liorem non habet operam ſuam hominibus collocare. Sunt enim reuera illi adminiſtratorij ſpiritus, ſicut D.Paulus inquit, miſſi de cœlo ad eorum ſubſidium quos ſaluari oportet. Ideò vt quamuis hominibus ſuperiores excellentioreſque ſint, à Deo tamen ad noſtrum commodum deſtinati determinatique ſunt; etſi homines multis quam ipſi partibus inferiores ad illorum ſeruitium miniſteriũque deputari debuiſſe videantur. Quod ſi oculos ac mentem ad creaturas more corporeas conuertamus, quota, quiſquis ex ijs doctrinam hanc nobis traditura non eſt? Cœlum, Sol, Luna, & alij planetę quid aliud agunt, quam quod vim influentiamque ſuam inferioribus iſtis communicant? Terra plantas, arbores fructus, aqua pisces producens nunquid ſuum potiùs quam alterius commodum ſpectat? Ad creaturas verò illas quæ ex anima ac corpore mirabili, & tantum diuino artificio compoſitæ ſunt, quod attinet, an non illæ idem planè faciunt? Nam ſi iuxta doctrinam D.Bernardi, naturam hominis conſideremus, *Ipſa compoſitio animæ, & corporis charitatem nobis commendat: quia cum anima ſit nobilior corpore, nõ ipſum deſtruit ſed potiùs perficit & viuificat.* Hanc doctrinã, & lectionem, ſi quis alius, optimè reuera mihi Patriarcha Ioſeph didiciſſe calluiſſeque videtur, qui honorem, & exiſtimationem qua inter Aegyptios pollebat videns, ac fratres ſuos in extrema neceſſitate conſtitutos conſpiciens, ſubitò conſtituit ideò ſe à Deo ad hoc dignitatis faſtigium eſſe euectum, alijs vt ſubueniret ac opitularetur. Sciebat enim Deum poteſtatem dignitatiſque iſtiuſmodi nullo alio fine hominibus conferre, quam vt illi benè ijs vſi alijs quoque proſpicerent conſultumque irent. Idcirco namque dicebat. *Pro ſalute veſtra miſit me Deus ante vos in Aegyptum.* Intelligant proinde mihi omnes illi qui bona gratuita, naturalia, vel fortunæ habent, debere ſe ea non ſibi reſeruare, ſed ad aliorum ſubſidium adhibere. Cui prudentia obtigit, is ſana conſilia det; qui ſcientia pollet, alios erudiat; cui res ſuppetit, alijs opituletur. *Agite nunc diuites,* inquit S. Iacobus Apoſtolus diuites parcos, & auaros alloquens, *plorate vlulantes in miſerijs quæ euenient vobis.* Et ſequitur cauſa: *Diuitiæ veſtræ putrefactæ ſunt, & veſtimenta veſtra à tineis comeſta ſunt.*

Heb.1. *Cap.7.*

ſta ſunt. Aurum, & argentum veſtrum æruginauit, & ærugo eorum in teſtimonium vobis erit, & manducabit carnes veſtras ſicut ignis. Ac ſi dicat; Cauſa propter quam plorare eiulareque debetis hæc eſt. Media quæ vobis Deus ſuppeditarat in proximi veſtri ſuſidium non adhibuiſtis, tametſi nulla non vniuerſi huius creaturam ſuo vobis exemplo fieri id debere demonſtraret. Opes veſtræ quibus pauperes ditare debebatis, putruerunt, quia nimis eas cuſtodiuiſtis. Veſtimenta quibus nudos cooperiri decebat, tineis ceſſerunt. Aurum verò, & argentum quo alijs ſubuenire poteratis æruginauit. Atq; hæc pœna illa eſt qua Deus omnes diuites opulentosq; plectit, qui pauperibus, & egenis ſuccurrere noluerunt. Et meritò ſanè: Nam ſi Angeli, ſi cœli, ſi planetæ, ſi terra, ſi mare, & omnes creaturæ hanc ijs doctrinam tradiderunt, illamque ipſi ſecuti non ſunt, nunquid ſicut par eſt ſeuere ac rigide debent puniri?

Dixit ad Philippum, vnde ememus panes? Hæc verba ferculum nobis conſtituunt adoleſcentum ſtomacho, & niſi etiam fallor ſaliuæ apprime accommodatum. Poſtquam enim Seruator noſter ipſa æterni Patris ſapientia Apoſtolos ſuos conſulere non dubitauit, non vereamur deinceps, & nos in negotijs noſtris aliorum conſilium explorare. Etſi hæc Diaboli fraus ſit, vt iuuentutem perditurus, & corrupturus, conſilium illos alienum petere non debere doceat: oſtendens id inſcitiæ ſignum eſſe, & euidens manifeſtumq; ignorantiæ teſtimonium videri. O te egregiè ſtolidum ac inſipientem, qui vt neſcio cuius ignorantiæ leuiculam ſuſpicionem fugias, alienum conſilium explorare non audes? An non vtilius erat ſemel ſe ignorare fateri, quam nunquam diſcere? Vis ſcire quã longè à veritate Diaboli illi perſuaſio abſit? *Ego ſapientia in conſilio habito*, inquit verbum diuinum in Prouerbiorum libro. Ex quo intelligis conſilium alterius petere ac explorare, non ignorantiæ ſignum, ſed efficaciſſimum ad ſapiẽtiam perueniẽdi medium videri. *Fili mi*, inquit Eccleſiaſticus, *ſine conſilio nihil facias, & poſt factum non pœnitebit*. Nã ſi malè res ceſſerit vel hoc te conſolabitur, quod ſcias non erraſſe te proprij cerebri ductum ſequendo. Si autem è cõtra ante cum alijs conſilio non capto negotium infelici- Cap. 8. Cap. 32.

ter ſuccedat, continuo dolore quod id ſuſceperis conficieris. Noui ego inſignem, & deuotum admodum Dei famulum, qui indentidem dicebat: Etſi conſilium capere ad nihil aliud quam ad animæ pacem tranquillitatemque conciliandam conduceret, nemo tamen negotij aliquid nullo antè conſulto deberet ire ſuſceptum. Et Diuus Hieronymus inquit primam prudentiæ regulam eſſe interrogare quod neſcis. Dum enim qui neſcit, alios loquentes audit, ſapientior efficitur. Qui autem antè ſapiens eſt, hoc ipſo ſapientior quam antè euadet. Verum quid ego hoc loco dicam de firmitate, & conſtantia earum rerum quæ cum conſilio fiunt atque geruntur, *Sicut loramentum ligneum colligatum in fundamento ædificij non diſſoluetur*, inquit Spiritus ſanctus, *ſic, & cor confirmatum in cogitatione conſilij*. Qui autem conſilia aliorum aduerſatur is plenus in conſtantia leuitateque eſt, nouis indies ſucceſſibus quos ille non præuidit, faciendi agendique rationem immutantibus. Quoniam ergo eximij illi fructus Diabolo ignoti ſunt, hic eſt quod homines extimulat ſuo vt potiùs iudicio quam aliorum conſilio vti malint. Quæ ſuperbia, & faſtus vti omnibus planè hominibus pernicioſus eſt, ita præcipuè adoleſcentibus obeſt, qui ideò in ſua ignorantia perſtant, & experientiam nunquam conſequuntur. Habeant ergo illi ſibi hoc ferculum, & ſicut Seruator noſter in quo omnes diuinæ ſapientiæ theſauri erant abſconditi Apoſtolos conſulere non dubitauit, ita neq; ipſi alterius conſilium petere non vereantur: ſcientes hoc feliciùs negotia ſibi ſucceſſura eſſe quò accuratius, & curioſius ſuper eo alterius ſententiam explorarint.

Vnde ememus panes? Videns Seruator noſter ingentem populi antè ſe ſtantis multitudinem, ſimulque intelligens quod ipſius amore domos deſeruiſſent, iamque longo itinere emenſo feſſi, & fatigati eſſent, humanitatis ſe lege teneri exiſtimauit miſerorum vt hominum neceſſitati è veſtigio conſultum iret. Priuſquam verò ad edendum illos inuitaret, vnde alimenta habiturus eſſet ante voluit ſciſcitari. Atque hoc ferculum coniugatis patribuſque familias accommodatiſſimum eſt, qui redituum ſuorum rationem habere debent, vt ſecundum illos ſumptus expenſaſque facere ſciant. *Qui ex vobis*, dicebat

cebat idem Seruator noſter alibi ſequentẽ ſe populum alloquens. *volens turrim ædificare, non priùs computat ſumptus qui neceſſarij ſunt,&c. Aut quis Rex iturus committere bellum aduerſus alium regem non ſedens priùs cogitat*, &c. Extrema namque imprudentia eſt aliquid incipere quod perficere abſoluereque non poſſis. Sunt autem nonnulli homines qui cum multa faciant,& moliantur, alterius tamen potiùs quam ſui rationem habẽt,neque quid ipſi facere poſſint, ſed quid alij faciant cogitant. Videat iſtiuſmodi aliquis vicinum ſex ſatellitibus, duobus pediſſequis ſtipatum,imitari continuò volet. Videat aliam Serico ac holoſericu veſtiri,continuò indignabitur, & cur id ſuæ etiam vxori non liceat interrogabit. Quin iſti mihi potius cum aut propria curioſitate,aut vxorum leuitate, aut liberorũ petulantia ad alienum faſtum imitandum inuitañtur,primo ſemper in ore habeant: *Vnde ememus panes?* Vndé pecunia ad pediſſequorum agmen alendum, vbi reditus ad tãtum miniſtrorũ numerũ ſuſtentandũ? Quid eò aſpiras quo media aditum tibi præcludũt? Vide ne inſolentia iſthæc tua te fallat, metire mihi vires tuas priuſquam aliquid aggrediaris, Magnus enim animus & is viribus deſtitutus non optimos ſemper ſucceſſus inuenit. Noſti Icarum noſti Phaetonta? quis ambos de medio ſuſtulit, niſi puerilis curioſitas plura quam poterant præſtitura? Quid Luciferum cælo exturbauit; niſi animi inſolentia maiora viribus ſibi ſpondentis: *Dixiſti in cælum conſcendam, & ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum,&cat. Veruntamen in infernum detraheris.* Quis te iuſſit altius volare quam per pennas tibi licebat? Quantum obſecro hominum nunc eſt, qui quoniam ad inſtar Simonis Magi vſque ad cęlum euolare voluerunt, iam ne pedes quidem incedere, aut in terra deambulare poſſunt? Quantum eorum eſt qui peculij ſui anguſtias ſerico exhaurientes modo nec pãnum coemere poſſunt? Habuerunt videlicet plus animi quam auri, plus vanitatis quam redituum, & ideò miſerrimè ſeipſos pręcipitauerunt. De his congruè ac venuſtè Iſaiæ illud de Moabitis dici mihi poſſe videtur: *Audiuimus ſuperbiam Moab: ſuperbus eſt valde, ſuperbia eius & arrogantia eius plus quam fortitudo, id circo vlulabit Moab.* O quantum hac ætate talium Moabitarum eſt in veſtris Rebuſpub. vlulantium à

Luc. 14.

Iſai. 14.

Iſai. 1. 4.

quibus

quibus inſolentiæ multum,rei autem parum eſt,qui multa moliuntur & pauca honeſtè præſtant. Cui malo vt obuiam eatur,priuſquam ſumptus facias, ærarium peculiumque tuum conſule,& vtrum illius rationes quod agis ferant ſciſcitare. Quoniam ergo Seruator noſter diuitiarum aceruos poſſidens, vos prudentiam illam edocturus, non antè populo alimenta porrigere voluit, quam ſumptuum rationem iniuiſſet: æquum planè eſt vos quibus res anguſta ſæpè eſt nõ ante profundere,quam quid vobis liceat exploraueritis.Quod ſi non feceritis tẽpus aliquãdo adfuturum ſcitote, quo cum Moab vlulare cogemini.

Ducentorum denariorum panes. Videns Phillippus Seruatorem noſtrum vt populum cibaret alimenta coemere velle, ſimulóue peculij ſui anguſtias cogitans, & populi multitudinem expendens,adeò repentè animum deſpondit, vt prouidentiæ diuinæ oblitus ad inſtar hominis parum ſapientis reſpõderit. Ego factum hoc Auditores planè non admiror,imò dico videre ingentem multitudinem quam alere debes, & tamen vnde id facias non inuenire, rem ſatis ſuperque ſufficientem eſſe propter quam turbari poſſis:præſertim ſi infirmæ fidei ſis,& attentius oculos in media quibus deſtitueris conijcias. Atque hoc ferculum viduarum & pauperum palato inſeruiet,qui numeroſam prolem habentes medijs ad illam ſuſtentandam deſtituũtur. Facientes namque quod poſſunt & pro virili ſua laborantes,oculos non in ſuam infirmitatem, ſed potius in Dei bonitatem ac omnipotentiam debent conijcere:in eo ſpes ſuas collocantes, & omni puſillanimitate ſe abſtinẽ-

1. Pet.c. 5. tes. *Humiliamini ſub potenti manu Dei*, inquit Sanctus Petrus, *vt vos ex altet in tempore viſitationis omnem ſolicitudinẽ veſtram proijcientes in eum,quia ipſi eſt cura de vobis.* Cũ quo Propheta facit dicẽs: *Iacta ſuper Dominum curam tuam &*

Pſal.58. *ipſe te enutriet* Certè ſi ſpectatus aliquis & primarius vir nobis dicat,cõfide mihi,iacta in me curam tuam,amplius ſolicitus non eſto, ego enim rei toti prouidebo, an non illi fidem adhibemus an non acquieſcimus & cæterum in vtramq; aurem dormimus?itane verò? Cur non ſimiliter Dei verbo credimus & illius dictis fidem arrogamus? Quis tenerius nos diligit,quis melius nobis vult, quis facilius adiuuare nos poteſt quam Deus? Mihi credite Audito-

ditores ſi Deus neceſſitatibus veſtris dexteram porrecturus,egeſtatem & paupertatem ſibi ipſi accerſiret,dubitare forſitans poſſetis vtrum vobis opitulari conſtituiſſet; At quoniam conſtat nullo labore aut pretio, ſed ſimplici ac ſola voluntate omnia vobis illum præſtiturum quæ præſtat;cur de illius voluntate ambigitis, de facultate autem non dubitatis? Audiſtiſne aliquando hominem aliquem in Deo ſpes ſuas collocantem turpiter ab eo fuiſſe derelictum? *Quis preparat coruo eſcam ſuam*, inquit Deus ad Iob, *quando pulli clamant ad eum vagientes eo quod non habeant cibos?* Cui interrogationi Pſal. mihi reſpondiſſe videtur,cum ait: *Qui dat iumentis eſcam ipſorum & pullis coruorum inuocantibus eum*. Admirabile hoc reuera eſt, audit coruos in nidis alio commigrantes pullos relinquere, ipſum autem Deum illos alere, vermiculos & rorem cæli ſuppeditare, quibus vitam ſuam ſuſtentare valeant. Quod ſi Diuina maieſtas circa res adeò abiectas ſe occupare non dubitat: & coruos alere non dedignantur, quid cauſæ eſt quod homines illi confidere non didicerunt? Mihi credite Audit. dici non poteſt quãtum diffidentia illa Deo diſpliceat ac aduerſetur Hinc enim in totis ſacris litteris vix aliqua virtus æquè ac Fiducia commendatur. Et Spiritus S. ad eam nos exhortatur dicens: *Metuentes Dominum ſuſtinet miſericordia eius, & ne deflectatis ab illo ne cadatis*, & ſequitur: *Qui timetis Dominum credite illi, & non euacuabitur merces veſtra*. Sed neq; iſtis contentus alibi ait? *Qui timetis Dominum ſperate in illum, & oblectationem veniet vobis miſericordia*. Adeò vt de illius bonitate dubitare non poſſimus,dummodo fiducia noſtra cum Dei timore & diuinorum mandatorum obſeruatione copuletur. Nam legimus in eodem loco,*quis permanſit in mandatis eius, & derelictus eſt? aut quis inuocauit eum, & deſpexit illum?* Agite proinde Chriſtiani mei quotquot in neceſſitate aliqua conſtituti eſtis cum Deo paciſcamini, ſicut Relig. ille faciebat, qui quotidie ſupplici prece Deum conueniens dicebat: Fateor ſane ô Deus meus ignorare me quid mihi expediat;at noui iuxta obligatum me eſſe ad ſeruitiũ Maieſtati tuæ præſtandum. Paciſcamur inter nos, faciam ego quotidie in tui honorem quod poſſum,tuque quæ neceſſaria ſunt mihi liberalis ſuppedita. Obteſtor vos per Deum Auditores

Cap. 38.

Pſ. 146.

Eccl. 2.

idem vt faciatis, eoque ita facto ſolliciti amplius non ſitis. Et quamuis vires ac labor veſter exiguus ſit, nolite tamen idcirco animo contrahi, ſed auertentes oculos à priuato peculio eos in Dei omnipotentiam & amorem quo vos proſequitur conijcite. Simulac enim certò conſtitueritis illius bonitatem & potentiam quam veſtram miſeriam maiorem eſſe, ſcietis etiam quomodo ſoli Deo fidere ac in illo omnes ſpes veſtras collocare debeatis. Cogitate mihi Patriarcham, quem naturæ impoſſibilitas quæ ipſi in ſenecta filium dare non poterat, & mandatum Dei qui propriam prolem immolari ſibi iubebat, vtique perplexum facere poterant: cum nihilominus ille mentem oculosque ab impotẽtia humana auertens eoſdem in Dei
Rom. 4. omnipotentiam conijciens *contra ſpem in ſpem credidit*: credens & firma ſpe amplectens naturam ſibi ſatis facturam, quia certo ſciebat Deum promiſſa ſua ſeruaturum, tametſi filium datum immolari ſibi iuberet. Hunc vos mihi Auditores imitemini, neque cum Philippo peculium tantum ac ęrarium veſtrum ſpectare, qui ait: *Ducentorum denariorum, &c.* & nihilominus. *Accepit Ieſus panes, &cat.* Itane verò? Quinque panes, & duos piſces eo in populo qui Seruatorẽ noſtrũ ſecutus erat inuentos idem Chriſtus in manus ſumpſit, benedictosq́; diſtribuit, ita vt ambæ illius manus viui fontes ac ſcaturigines panũ & piſcium fuiſſe videantur. Cæterũ D. Lucas eandem Hiſtoriã deſcribens ait Seruatorem noſtrũ panes & piſces Apoſtolis ſuis dediſſe, vt ipſi populo deinde partirentur. Atque hoc ferculum Eccleſiaſtis apponimus rogantes eoſdem ne in malã partem accipiãt. vltimum quod ipſis locum attribuamus. Nã & Apoſtoli eo die quo illorum Magiſter populum cibauit non niſi vltimo loco ac populo iam dimiſſo refecti fuerunt. Sciant ergo omnes omninò Eccleſiaſtici, & ſciant ferculi ſui loco panem redituum quem Deus illi elargitur, non ideò datum illis eſſe vt inde theſauros accumulent, ſed vt illum inter pauperes egenosque diſtribuant. Recordamini opinor Auditores quemadmodum Scriptura ſacra peccatum filiorum Heli Sacerdotis exaggeret
1. Reg. 2. ac *nimis grande* appellet. Id autem quale fuerit audite. Qui tabernaculum ſacrificium oblaturi introibant, partem victimæ in aheno coquendam reponebant, hi vero

ro carnem iam ita refectam fuſcinulis ne coqueretur abripiebant. *Non enim à te accipiam*, inquit textus, *carnem coctam ſed crudam*. Ex quibus verbis manifeſtè colligitur partem ſacrificij Sacerdoti debitam coqui debuiſſe, alias ſacrificaturi nō adeò pertinaciter carnes ſuas coqui voluiſſent, & filij Heli è contra id ne fieret ſe oppoſuiſſent. Cur autem voluit Deus Sacerdotibus coctam non crudam carnem dari? Meo certè iudicio non aliam ob cauſam, quam ſicut caro cocta conſeruari non poteſt, ita vt illam in pauperes erogarent & lucrum ex illa facere non poſſent. Si enim crudam accepiſſent, vendere vel ſalire ijs illam licuiſſet; quia autem cocta erat ideò quodammodo alijs eam donare cogebantur. Verum recolligamus nunc ea omnia quæ hactenus in conuiuio vobis appoſuimus Meminerint ergo in primis diuites ac opulenti argentum & peculum ſe ſuum ad pauperum ſubſidia debere impendere. Meminerint adoleſcentes aliorum ſe conſilijs ſtare oportere. Meminerint patres familiæ antè ærarij & rationum vim quam de expenſis ſibi eſſe cogitandum. Meminerint viduæ & pauperes in ſola ſe diuina prouidentia confidere oportere. Meminerint Eccleſiaſtici non theſaurizandum ſibi eſſe, ſed panem more Apoſtolorum in manus traditum pauperibus eſſe impertiendum. Omnes nos meminerimus gratias Deo ante agendas eſſe quam de menſa ſurgamus. Faxit ad hæc Deus vt quod quilibet ſumpſit & manducauit, id ſancta & accurata conſideratione ſic digerat, vt auditum Dei verbum in ſuccum ſanguinemq; ſuum conuertat, & aliquando ab hoc conuiuio ad cœleſte illud ſempiternæ gloriæ transferri mereatur, *quam mihi & vobis præſtare dignetur.*

CON-

CONCIO VIGESIMA SEPTIMA PRO FERIA SECVNDA POST DOMIN. LÆTARE.

Prope erat Paſcha Iudæorum, &c. Ioan. 2.

SI Scribæ & Phariſæi admirabile illud Seruatoris noſtri opus non corporis tantum, ſed mentis etiam oculis contemplari potuiſſent, quando videlicet vendentes ac ementes è templo exturbauit, ſi inquam tunc ſpiritum omni paſſione liberum ad factum illud probè examinandum habuiſſent, abſque dubio non modo euidenter Seruatoris noſtri diuinitatem cognouiſſent, ſed illam inſuper ſicuti par erat humiliter reueriti fuiſſent. Nam prout præclarè D. Hieronymus & Chryſoſtomus animaduerterunt, inter omnia planè miracula à Filio Dei perpetrata nullam æquè illius diuinitatem oſtendit, quam illud quando nimirum ipſe ſecundum multorum opinionem nec Rex, nec Sacerdos, nec Iudex, ſed filius plebei fabri lignarij flagello ex funibus torto omnes eos è templo eiecit qui illud prophanabant, ac ſolus omnes ſuos inimicos inde exturbauit, nemine prorſus mutire contra audente.

Hier. in 21. Matth. Chryſoſ. Hom. 13 ſup. Matth.

Hoc miraculum maius illo erat, inquit Diuus Hieronymus, quo viſus cæco, & vita Lazaro reſtituta fuit; reddenti enim iſta illis, neminem habuit qui contradiceret, ſed ipſi illi in quibus miraculum faciebat libenter medico ſuo aſſenſerunt.

Hoc autem in miraculo inimicos inuenit, qui ſi potuiſſent citra controuerſiam in mille partes illum dilaceraſſent, qui liberas illaſque diuinæ planè aduerſas voluntates habebant, cum ecce tibi nihilominus nemo hiſcere mutireue contra audet, An ergo iſtud ſignum non erat ple-

nam

nam illum in homines ac voluntatem illorum poteſtatem, habere, quod non alterius quam ſolius Dei eſt? Sola enim hominum voluntas abſolute Dei potentiæ ſubiacet. Quid ergo cauſæ eſt quod cum miraculum illud adeò magnum fuerit, ipſi Scribæ ac Phariſæi id in ſemetipſis experientes cognoſcere tamen non potuerunt? Vtrum potentiam Dei ex facto adeò audaci metiri non valuerunt?

Ego ſanè Auditores rei iſtius aliam rationem aſſignare non poſſum quam illam quæ à Spiritu S. in Sapientiæ libro adfertur, vbi de maledictis quibuſdam loquens ait: *Excæcauit eos malitia eorum*. Faxit Deus vt ab omnibus iſtiuſmodi paſſionibus liberi ſitis, ijs enim ſi rationis oculi vobis præſtringantur, tum verò res vti ſunt cognoſcere nunquam poteritis. Qui amat, in re amata nihil mali eſſe credit; qui iratus eſt, omnia mala in hoſte putat reperiri. Atque hic liberalis ſenſus illorum verborum eſt *Odium ſciſcitat rixas, vniuerſa autem delicta operit charitas*: Odium inquit vbique inuenit quod capat & reprehendat, quia videlicet homini ei in quo illa in eſſe putat benè non vult: Amor autem & Charitas illius quem amant omnia in meliorem partem interpretando delicta vniuerſa operiunt. Qui alicui malè vult, benè de eo ſentire non poteſt: & qui alium amat, omnia potius quam aliud in amati præiudicium cedens: eſt permiſſurus. Huius rei duo exẽpla in hodierno Euangelio habemus. Vnum diſcipulorum quibus etſi Saluator noſter clariſſimis verbis indicauiſſet ſe cœſum, captum, & morti demum adiudicatum iri, *ipſi nihil horum intellexerunt*. Cuius planè rei alia cauſa non fuit quam amor, inquit talia de Domino ſuo ominari non permittebat. Cùm verò è contra Seruator noſter ſemel tantum apud inimicos ſuos de morte ac paſſione ſua verba faciens illum honorifico ſermone tegeret dicẽs; *Oportet exaltari filium hominis*. illi nihilominus optimè illũ intellexerunt atq; dixerunt: *Nos audiuimus quia Chriſtus manet in æternum, & quomodo tu dicis oportet exaltari filium hominis?* Cum enim malè illi vellent, nihilque aliud deſiderarent quam flagellatum & crucifixum illum videre et hinc omnia quæ ab illo dicebantur, cruces, ignominię, & mortes ijs eſſe videbantur. *Quemadmodum oculis turbidis*, inquit

Cap. 2.

Prou. 11.

Luc. 12.

Ioan. 3. & 12.

Super Pſ. 33. inquit S. Baſilius, *viſibilia exactè deprehendere non valemus? ſic corde turbato nemini conceditur incumbere veritatis cognitioni*. Atque ex loco potiſſimum loco Prophetæ illius verba intelligere poſſum, qui ſecundum literam de Phariſæis Iſa. 6. noſtris loquens ait; *Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua neforte videat oculis ſuis & auribus audiat.* Quamuis enim verba illa maledictionem aliquam continere videātur, ſunt tamen nihil aliud quam Prophetia vſitatis apud Prophetas terminis expreſſa, ſicut præclarè B. Auguſtinus Aug. ſup. Pſ. 68. animaduertit. Obſeruate autem quod dicatur *excæca cor* non oculos populi huius, vt videlicet intelligatur cæcitatem Scribarum ac Phariſæorum, ex corde paſſionum caligine obfuſcato proceſſuram. Vbi enim illæ ac præſertim odium regnat, nulli quantumuis acres & lyncei oculi aliquid boni in eo quod oderunt poſſunt deprehendere. Patet hoc manifeſtè in Phariſæis quorum tergoribus cum Seruator noſter omnipotentiam ſuam flagello inſcripſiſſet, illi tamen eam non cognoſcentes interrogauerunt: *In qua poteſtate hæc facis?* Vellē ex hoc loco diſceretis dilectiſſimi quam pernicioſum ſi animabus odium, ſiquidem ita intellectum, occæca, vt neque ante oculos poſita valeat intueri. Ex hac enim cognitione velis accurribus paſſionem illam fugeretis, euitantes quaslibet occaſiones cum proximo rixandi, quæ communiter odiorum initia ſunt.

Et inuenit in templo vēdentes. Inter cætera beneficia quibus Deus Redemptor humanum ſibi genus obſtrinxit, non vltimum ſibi locum illud ſcio vendicat, quod videlicet domum in hac terra elegerit, in eaque velut nobis par & ęqualis viuens, conciuis noſter factus fuerit, ac templa inſuper exſtrui voluerit, in quibus negotia noſtra curaret & neceſſitatibus noſtris mederetur. Quod ſi loca cæteroqui humilia & ignota, ſi rex in ijs reſidere illicq; aulam ſuam habere incipiat, repēté mirabiliter ditantur, commigrante ad ea ex omnibus partibus nobilitate, alimentorū copia, opulentia mercatorum, excellentia Doctorum, & flore Concionatorum: Si denique illic rerum omnium copia & abundantia eſt vbi rex eſt, ſicut ex Hiſpaniæ ciuitate *Madrid* conſtat, quæ a paucis annis quibus Rex eam inſedit, populoſiſſima opulentiſſimaque effecta eſt Quantis nos beneficijs Deum afficere exiſtimandus, quod inter

nos

nos viuit, degit, & agit: Propheta Aggæus dicit ſecundo anno Regis Darij Deum Duci Zorobabel apparuiſſe, & apud illum de nonnullis quæſtum fuiſſe qui docebant: *Nondum venit tempus domus Domini ædificandæ?* Et poſtea inter alia inquit: *Ponite corda veſtra ſuper vias veſtras, ſeminaſtis multum & intuliſtis parum; comediſtis & non eſtis ſatiati.* Et ſequitur cauſa: *Quamobrem dicit Dominus exercituum? Quia domus mea deſerta eſt, & vos feſtinaſtis vnuſquiſque in domum ſuam: propter hoc ſuper eos prohibiti ſunt cœli ne darent rorem, & terra prohibita eſt ne daret germen ſuum,* &c. Quibus ex verbis colligitur omnium malorum quibus populus iſte premebatur hanc cauſam fuiſſe, quod videlicet Deus in illo domum non habebat, quæ omninò neceſſaria erat bene ſi ſibi ſua cedere vellent. Vt autem clarè teſtificemur bona nos illa agnoſcere quibus Deus nobiſcum viuens nos afficit, domum ſuam coli vult ac honorari. Quæ enim in Regum aulis ac palatijs committuntur, ea omnium opinione capitalia ſunt, & crimina læſæ Maieſtatis. Volens Moyſes ad Deum in rubo ardenti ſibi apparentem accedere, vt à quo vocaretur cognoſceret, vocem è veſtigio ſibi dicentem audiuit: *Solue calceamenta de pedibus tuis; locus enim in quo ſtas terra ſancta eſt.* Hoc credo exemplum Mauri ſecuti, ſicut ex fide dignis ac locupletibus teſtibus accepi, templa falſum ſuum Prophetam adoraturi nonniſi nudis pedibus ingrediuntur. Pudeat ergo Chriſtianos quod adeò parum reuerentiæ templis adhibeant, in quibus pretioſum Seruatoris noſtri corpus aſſeruatur. Vt ergo dignè ac decenter templa adeatis, ſcitote animarum calceos exuendos vobis eſſe, hoc eſt abijciendum affectum rerum terrenarum ac mentem in diuina tantum immortaliaque defigendũ. Deſcribens Scriptura Sacra Tẽplum Salomonis duo præcipuè in eo obſeruat, primo quod ex lapidib. politis fuerit extructũ, ſecundo ꝙ in illius exedificatione nullũ fabrile inſtrumentũ fuerit exauditũ: *Malleus & ſecuris,* inquit, *& omne ferramentũ non ſunt audita in domo cum ædificaretur.* Vbi præ cæteris vox illa *cum ædificaretur* obſeruanda fuerit. Miraculi namq; inſtar eſt, eo tẽpore quo tẽplũ extruebatur, nec ex lapidũ politione, nec ex inſtrumẽtorũ illiſione ſonitum vllum fuiſſe exauditũ: docere videli-

Cap. 1. *Exod. 3.* *3. Reg. 6*

cet Deo volente tacẽdum in ipſius domo eſſe, ac omnem ferri ſtrepitum quam longiſſimè ab Eccleſijs eſſe arcendum: Vt enim peccata in Dei domo commiſſa nonniſi grauia enormiaq; eſſe poſſunt, ita ſollicitè cauendum eſt ne admittantur. Et quid in Eccleſia eſt quod te ad reuerentiam & ſingularem quampiam deuotionem non valeat excitare? In choro Dei laudes concinuntur, Angeli aſſiſtunt, ſicut B. Bernardus ſuper Pſalmiſtæ illud declarat.

Pſal. 67. *Præuenerunt Principes coniuncti pſallentibus* Id eſt, principes cæli qui Angeli ſunt, Dei laudes concinentes manibus apprehenderunt, & ijs ſe adiũxerunt. In ſuggeſtu verbũ Dei traditur quod ſingularẽ reuerentiã requirit. Ipſum pauimentũ ac eius ſepulchra & monumenta hominẽ finis ſui commonefaciunt. Muri imaginibus & ſanctorum iconibus tecti ſunt, in altari pretioſum Seruatoris noſtri corpus ac ſanguis offeruntur. In Ciborio Altiſſimum illud Sacramentum, diuinitatem & humanitatem Ieſu Chriſti, imò totam Sacrã Trinitatem continẽs, aſſeruatur. Quod ſi iſthæc omnia ſicut vos ipſi intelligere poteſtis, ſingularẽ reuerentiã merẽtur, quas nõ pęnas incurrere cenſendi sũt, nullũ qui ijs honorẽ exhibent? Poſtquam Heliodorus qui templum ſpoliãdi cauſa intrauerat, miſerrimè in eo vapu-

Mac. 3. lauit, ita vt mortuus & exanimis videretur, Deus mentis illi oculos ita aperuit, vt poſtea coram Rege ſuo à quo ablegatus in id erat, de re illa verba faciens dixerit: Quiſquis templum male acturus ingreſſurus erit, nonniſi male inde egredietur. *Eo quod in loco ſit vera quadam Dei virtus. Nam ipſe qui habet in cælis habitationem, viſitator & adiutor eſt loci illius, & venientes ad malefaciendum percutit ac deſtruit.* Quod ſi hæc homo Ethnicus & idololatra de Hebræorum templo dixit, quid de noſtris dicere potuiſſet, in quibus Deus verè ac realiter præſens eſt? Si Antiochus ra-

2. Ma. 9 bidus & phtiriaſi perijt; templũ quod profanaſſet: ſi Nicanor victoriam perdidit, & manum quam contra tem-

1. Ma. 7. plum miſerat amiſit, quanto cum rigore puniet Deus noſtræ ætatis nonnullos qui in templis ea exercere non dubitant, quæ propria conſcientia exhorreſcit? O miſeriam deplorandam! O tempus infortunatum! O ſæculum deteſtandum! Quomodo homines in Dei domo facere audent, quæ in ædibus priuatis moliri non deberent: Itane

nos

nos Dei beneficium agnoſcimus, quod domum internos habere non dedignatur? Bone Deus vbi hic eſt rigor tuæ iuſtitiæ, vbi zelus honoris ac domus tuæ? Vbi ſeueritas illa qua veteres templorum profanatores tractauiſti? Quomodo noſtra hac ætate parcere, quomodo tantis inſolentijs conniuere, quomodo tantas profanationes punire non vis? Legimus in ſecundo libro Machab. Deum Antiochu permiſiſſe, vt cum intolerabili faſtu templum ingrederetur, ac indigne profanis ſuis manibus templi ſuppellectilem contrectaret. Legimus autem & Heliodorum poſtquam templi theſaurum diripuiſſet, ſeueriſſimè fuiſſe punitum. Quod ſi quæras cur cæleſte iſtud Numen tantas Antiochi profanationes tolerarit, peruerſam autem Heliodori voluntatem adeo ſeuerè caſtigarit, reſpondeo ideò factum id fuiſſe quia temporibus Antiochi populus multò grauioribus peccatis obſitus erat. *Alioqui*, inquit Scriptura, *niſi contigiſſet eos multis peccatis eſſe inuolutos, ſicut Heliodorus qui miſſus eſt à Seleuco ad expoliandum Aerarium, etiam hic ſtatim aduenien s, flagellatus & repulſus vtique fuiſſet ab audacia*: Et poſtea concludit dicens: *Verum non propter locum gentem, ſed propter gentem locum Deus elegit, ideoq́ ipſe locus particeps factus eſt populi malorum*. Cap. 5. 2. Ma. 5.

Vnde colligere poteſtis Deum irreuerentijs in Eccleſijs ſuis commiſſis conniuentem, oſtendere velle enormia grauiaque in populo peccata deſignari. Vult enim is pœnæ ac punitionis partē quam ſubire debebant, ipſa in ſacra loca effundi, quæ ad vtilitatem illa profanantium erecta ſunt. Væ itaq; profanatoribus illis quorum pœnam Deus in alteram vitam ideò differt, vt perpetua ſempiternaq; ſit. Conſideremus quæſo rigorem cum quo hodierno die Seruator noſter templum ingreditur, videamus quomodo illius profanatores inde exturbet, nec minorem illum potentiam iam dum in gloria ſua exhibere cogitemus. Timeamus pœnæ dilationem quam grauitas recompenſat. Audiamus Iſaiam qui ait Deum quidem ad tempus tacere; poſtea verò inſtat parientis vocem ſuam exaltare.

Et cum feciſſet quaſi flagellum. In his verbis obſeruandum potiſſimum fuerit Auditores, quod Euangeliſta dicat Seruatorem noſtrum *quaſi flagellum*, non autem flagellum feciſſe: credo vt oſtendat mundi huius punitio- Cap. 42.

nes non pœnas eſſe, ſed verarum tantum punitionum ſimilitudines D. Ioannes Euangeliſta Redemptorem mundi ſicut ad extremum diem iudicij venturus eſt deſcribens, ait: *Ex ore eius procedebat gladius ab vtraque parte acutus*. In hodierno autem Euangelio dicit quaſi flagellum in manibus illum habuiſſe. Quanta verò vtriuſque differentia ſit, vel ex eo colligere licet, quod gladio occidimus, flagello caſtigamus. Et ita reuera eſt; Nã in extremo iudicij die Diuina Iuſtitia corpus & animã rigoris ſui gladio occidet, cũ iam tantũ flagellũ adhibeat delinquentes in rectum rationis gyrum compulſurus. Hinc enim Dauid ait:
Pſ. 44. *Virga directionis virga regni tui*. Atq; ex his S. Pauli de perſecutionibus Apoſtolorum loquentis ſtylum intelligo-
2. Cor. 9. mus, qui ait. *Quaſi morientes, & ecce viuimus, vt caſtigati, & non mortificati: ſicut egentes, multos autem locupletantes: tanquam nihil habentes, & omnia poſſidentes*. Vbi quatuor terminis ærumnas Apoſtolorum explicat, coniungens vnicuique aduerbium, quod diminuendi habet ſignificationem. Non enim dicit *morientes*, ſed *quaſi morientes*. Non ait *caſtigati*, ſed *vti caſtigati*: Non inquit abſolutè *egentes*, ſed *ſicut egentes*: Dicit denique *nihil habentes*, at premittit *tanquam*. Mori namque, caſtigari, ærumnas & paupertatem in hac vita tolerare, aliud nihil ſunt quam ſimilitudo mortis, punitionis ac veræ paupertatis, & c. in ſumma *quaſi flagellum*. Hinc cum etiam Seruator noſter miſeriarum, quibus homines circa extremum diem iudicij inuoluẽdi ſunt meminiſſet, etſi de bellis, ſeditionibus, annonę charitate, peſtilentia, & terræ motibus loqueretur, in fine tamẽ
Ma. 24. concludit: *Hæc autem omnia initia ſunt dolorum*: Quemadmodum enim illa fluxa ſunt atque prætereunt, & æternis viam ſternunt, ita non ineptè dici poteſt initia tantum dolorum eſſe. Faxit Deus vt omnes qui Chriſtiani audire volumus ita viuamus, quatenus pœnas quæ nunquam ter-
Pſa. 76. minantur, euadamus. *Etenim ſagitta tua tranſeunt, vox tonitrui tui in rota*. Omnis enim rectus motus qualis ſagittarum eſt, metam & ſcopum aliquem habere debet ad quẽ collimet. Hinc ergo mundi huius afflictiones tranſitoriæ tantum ſunt; vox autem tonitrui tui *in rota*, circumgiratur ad inſtar rotæ, quæ quia rotunda eſt, ideò illius motus finem non habet. Porrò quam ſimilitudinem inter

ſe ha-

ſe habent ea quæ finita ſunt & quæ finem non habent? Iob certè mundi huius miſerias cum alterius vitæ calamitatibus componens, noſtras illas ſcintillas tantum, illas autem Dei tonitrua appellat, cuius iuſta indignatio ab hominibus ſatis conſiderari non poteſt: *Et cum vix paruam ſcintillam audiuerimus*, inquit S. ille Patriarcha, *quis poterit tonitruum magnitudinis eius intueri?* Quibus verbis vt oſtendat mundi huius miſerias leues tantum & exiguas eſſe, non contentus eſt *paruam* illas *ſcintillam* appellare, ſed adiungit etiam aduerbium *vix*, & verbum *audierimus* vſurpat, ac ſi dicat: omnia quæ in hoc mundo perpatimur, vix talia ſunt, vt cum audimus paruulam ſcintillam præteruolaſſe. Elaboremus itaq; vt magnitudinis illius tonitrua effugiamus, qui irarum fulgerris coruſcantia non modo videntur ſed etiam ſentiuntur: *Quis poterit intueri?* Si autem homo illa intueri non poteſt; quomodo perferre poterit ac tolerare? Itaq; ſi etiam ad viuum intelligere volumus, quemadmodum omnia ea quæ in hoc mundo perpatamur, aliud nihil ſint quam *quaſi flagellum*, legamus ſecũdum Machab. librum, videamus crudelitatem Regis Antiochi, ſpectemus illi militem contrucidantem, domos ſpoliantem, & cuncta pedibus proterẽtem. *Iuſſit*, inquit ſcriptura, *militibus interficere, nec parcere occurſantibus, & per domos aſcendente, trucidare.* Hoc autem omne quemadmodũ iniunctum erat, ita è veſtigio adimpletum fuit, interfecti ſunt adoleſcentes, cæſi ſenes, decollatæ virgines, contrucidati infantes, vis aliquid immanius & magis barbarum? Muris & parietibus alliſi. Adeò vt intra trium dierum ſpatium octoginta millia in ſanguine ſuo natauerint, quadraginta millia in carceres abducta, & totidem ſub haſta vendita fuerint. Quid tamen omnibus Regis Antiochi immanitas cum necdum ſatiaretur, ipſe in templum inuolauit, locum ſanctũ contaminauit, ſuppellectilem ſacram prophanauit, Dei honorem ac reuerẽtiam, peſſum dedit, & erga homines hominem exuit. Quis ex vobis crudelitatẽ iſthanc audiens nõ toto corpore cõtremeſcit? Verum audite quẽadmodũ Spiritus S. omnia iſthæc concludat dicens: *Propter peccata habitantium ciuitatem, modicũ Deus fuerat iratus:* Adeò vt omnis illa militũ licentia & barbaries nihil aliud fuerit quã Dei cõmotio

Iob. 6.

2. Mach. 5.

tio *& quaſi flagellum*. Quid ergo putas in inferno fiet, vbi cæleſti illud Numē, omnem ſuam iram ac indignationem ex longo collectam effundet? D. Petrus Apoſt. ea

1.Pet.2. quæ in hoc mundo patimur *modicum* appellat. *Modicum paſſos*, & S. Paulus vitæ huius ęrumnas, *momentaneum & leue tribulationis noſtræ* vocat, adeò videlicet parum abeſt nihil vt illas appellet. Vbi ergo ſenſus humani ſunt ſi hæc conſiderare non poſſunt? vbi illorum iudicium eſt ſi hæc non capiunt? Dic mihi dilecte in Chriſto, ſi panxillum caloris te vexat, ſi dolor capitis te deijcit, ſi cordis dolor lecto affigit, ſi vnius diei fames te exhaurit, ſi minima recula te affligit, quę tamen nihil aliud ſunt quam *quaſi flagellum*, quomodo inferni tonitrua, quomodo Dei in illo detonātem ſcuticam, quomodo extremam illius iram ad ſempiternas te pœnas accerſentem poteris tolerare? Quod ſi confiteris tolerare te illas non poſſe, quæ malum audacia illa eſt DEVM continuò peccando offendere ac irritare?

De funiculis. Flagellum illud de quo hactenus locuti ſumus, ita ab Euangeliſta noſtro deſcribitur, vix vt aliquid fuiſſe videatur. Addit enim ex funiculis illud fuiſſe confectum, quos forſitan ipſi illi emptores ac venditores in terra reliquerant. Adeò vt ipſi illi templi profanatores flagellum Deo in manus porrexiſſe videantur, quibus ſe cæderet & caſtigaret. Volens aliquando Deus vti apparebat populum ſuum caſtigare, quia iuſtitia vindicatiua, abſque ira & indignatione aliqua exerceri non poteſt, inquit Eſaias, quod aliquem quæſiuerit, à quo nonnihil indignationis mutuaretur, & qui ſe ad vindictam ſumendam

Cap.27. inuitaret. *Indignatio non eſt mihi*, inquit Deus, *quis dabit mihi ſpinam & veprem in prelio?* Natura mea iram & indignationem non admittit? Quis mihi itaq; ſpinas porriget, quibus me ad indignationem excitandam pungam, vt ita iratus atque commotus bellum ingrediar? Cauete chariſſimi mei, ne Deo ſpinas quæ cum pungant in manus porrigatis, natura enim illius fellis expers eſt. *Natura Deorum* inquit Seneca, *placida eſt & mitis. Tam remoti enim sūt ab aliena iniuriam, quàm à propria*. Quis ergo Deum irritauit? Peccatum: Ita enim D. Thom. verba illa Iob explicat, vbi Deus de Diabolo loquēs inquit: Ipſe enim eſt principium

cipium

cipium viarum Domini. Deus autem duas tantum vias habet,iuxta Dauid. illud: *vniuerſa via Domini miſericordia & veritas*. Conſiderans ergo conſtitutionem ſuam naturalem, humano more loquendo, aliam viam incedere non poterat quam miſericordiæ, liberalitatem ſuam erga homines exercendo. Alteram autem viam quis ei apperuit niſi Diabolus peccator? *Ipſe eſt principium viarum Domini*. Dum ergo Deus per peccatum irritatur,ingreditur confeſtim viam iuſtitiæ vindicatiuæ,in qua pedem nunquā poſuiſſet ſi homo nunquam peccauiſſet Atque hæc D.Gregorij doctrina eſt, quam illi ex verbis, quæ Eliphas Themanites ad Iobum inquit, exſculpſit. *Recordare,obſecro te: quis vnquam innocens perijt? Quis potius vidi eos qui operantur iniquitatem & flante Deo periſſe, & ſpiritu oris eius eſſe conſumptos*. Cur exiſtimas,inquit S.Gregorius, ad repræſentandum malorum pœnas Eliphan dicere, quod Deus improbos afflet? nimirum quiſquis afflare aliquem vult antè ventum qui extra ſe eſt attrahere debet. Quamuis enim reſpirare poſſit abſque venti attractione, ſufflare tamen cū vix aliqua nō poteſt,niſi externo vento attracto. Significaturus itaque Deus ventū ſe indignationis ad improbos caſtigandum non habere, niſi aliunde illum mutuetur, accipiendo videlicet occaſionem ex illorum offenſis, dicit ſe illos afflando caſtigare. Idem nobis per Euangelium ſignificatur, in quo dicitur quod Seruator noſter templi profanatores exturbaturus flagellum ex funiculis,quos ipſi illi ſibi porrexerant confecerit. Ex quo nos diſcere intelligereque debemus noſmet Deo flagella & ſcuticam in manus dare vt nos puniat atque flagellet. Scitis namque ſcripturam S. peccata funus appellare; *Funes peccatorum circumplexi ſunt me*,inquit Dauid,& illius filius Salomon: *Iniquitates eius capiunt impium, & funibus peccatorum ſuorū conſtringetur*.Et Prpheta Eſaias inquit:*Va qui trahitis peccatum in funiculis vanitatis*. Vultis itaque Deum impedire ne vos puniat;Nolite illi funes porrigere ex quibus flagellum conficiens poſtea vos illo caſtiget. Nolitè peccare & Deus vos non puniet. Quod ſi etiam clarius intelligere vultis,quemadmodum Deus ex veſtris peccatis inſtrumēta punitionis eliciat, oculos mihi in voſmetipſos conijcite, & quod hactenus diximus luce meridiana adhuc clarius

Pſal.54. *Iob.4.* *Pſ.118.* *Prou.5.*

rius intelligeris: Morbus ille Venereus, quo Deus Luxuriem veſtram caſtigat, vnde quæſo procedit, niſi ex petulantijs diſolutionibuſque veſtris? Paupertas ac incitæ illæ quibus Deus luſores aleatoreſque punit, vnde quæſo proficiſcuntur, niſi ex ipſius luſus vanitate? Dolor capitis ac dentium oris fœtor, et ſtomachi putor, quibus mulieres ſæpè affliguntur, vnde quæſo niſi à ſtibio & lexiuia proueniunt, quibus illæ ſexcenties caput, faciem, & genas lauerunt, pinxerunt, ac defricuerunt? Adeò videlicet omnia peccata quibus Deus homines punit, ex peccatorum funiculis ſunt confecta.

Quiſquis proinde cædi & flagellari non vult, peccare caueat. Et videntur mihi etiam hoc loco concionatores commonefaciendi, vt videlicet Seruatorem noſtrum imitantes, flagella non ſecum portent, ſed ab illo ipſo accipiāt quē caſtigaturi sūt. Vultis clarius? Volo vt qui alios correpturi reprehenſuriq; ſunt, non agreſtes, non aſperi, nō turbulēti ſint, ſed faciles, ſed comes, ſed affabiles ſe oſtendāt. Si enim pro turbulentis habeantur, tum verò illorum monita & correctiones caſſæ ac nihili erunt: perſuadentibus videlicet ſibi illis qui corripiuntur, reprehenſiones illas non in peccatorum ſuorū merito fundatas eſſe, ſed à mala reprehendentis inclinatione proficiſci. Cum autem Concionator, populi Dux, & pater familiæ facilem ſed ac comem oſtendit, reprehenſionis occaſionem à peccatis ſumens, & ipſius delicti grauitatem probè examinans, tum verò peccator agnoſcit ſe flagellum ipſius manibus porrexiſſe, & reprehenſionem illam promeruiſſe.

Vnde non modo non indignatur, ſed etiam errаſſe ſe agnoſcit, & eum qui ſe reprehendit amplexatur. Hæc omnia Seruator noſter nos docuit, quando in Templo conſtitutus, ex funiculis quos ſuæ ædis profanatores illic reliquerant, flagellum præparauit.

Omnes eiecit de templo. Poterat Seruator noſter flagellum ſuum Apoſtolis porrigere, ſed quoniam eorum plerique qui cædendi erant, Sacerdotio fungebantur, facere id noluit. Neque verò dubitandum eſt eum & Sacerdotes è templo exturbauiſſe, quia videlicet loci ſacri profanationi conſentiebant, tametſi ex officio alios à peccato iſtiuſmodi tenerentur abſtinere. Erant namque illi veri canes quos tem-

templum ſeruare oportebat:ſed quoniam muti facti erãt, & vedentes ementesq; non repræhendebant, ideò templo eijci merebantur. Quoniam autem poteſtas ſacerdote puniendi penes Seruatorem tãtum noſtrum eſt, qui ſummus Pontifex, & omnium ſacerdotum caput nuncupatus, ideò flagellum ſuũ alteri dare non voluit, ſed ipſemet ſua manu culpabiles caſtigauit. Hinc cum etiam Seruator noſter iã in cælo reſidens Aſiæ quoſdã Epiſcopos eorundẽ negligẽtias puniturus eſſet, partes has alteri dare nõ voluit, ſed ipſemet litteras monitorias & increpatorias amanuenſi ſuo D. Ioanni voluit dictare. Vbi obſeruãdum eſt quod eo ſtatim temporis puncto quo ad ſcribẽdum fuit accerſitus, dictum illi eſt: *Hæc dicit qui tenet ſeptem ſtellas in dextra ſua, qui ambulat in medio ſeptem candelabrorum aureorum*. Ac ſi dicas: Volo vt vniuerſi mundo cõſtet litteras illas repræhenſorias à me ipſo cõceptas dictataſq; eſſe, illarumq; dirigendarum curã neq; Diuo Ioãni quantumuis meo intrinſeco ac familiari cõmittere voluiſſe. Dedecet. n. Sacerdotes ab alio repræhendi, quã ab eo qui ſeptẽ ſtellas in manib. tenet, & in medio ſeptem cãdelabrorum aureorũ incedit, qui eſt Filius Dei incarnatus. Hic ſolus emunctoria lãpadum illarũ habet & manus aureas. Vos autem qui manus carneas habetis, & homines carnales eſtis aurea illa emũctoria attrectare non debetis: quod videlicet ſoli IESV CHRISTO flagellum in manus ſumere & ſacerdotes punire licet; reliqui autem omnes obſeruare eos debent & honorare. Sunt namq; illi viua templa in quæ Deus quotidiè non aliter quam in tabernacula ſua ingreditur. Et eſt omninò admirabilis ille modus gratiam diuinam conſeruandi, quemadmodum D. Franciſcus Pater noſter Seraphicus dictitabat, quod videlicet in hoc mundo nihil ex Filio Dei habemus quam pretioſiſſimum illius corpus, ac ſanguinem, quem quotidiè Sacerdotes conſecrant, in alios partiuntur, ipſumque adeò Cœleſte Numen de cœlo euocantes inter homines degere faciunt. Hi nobis verbum Dei tradunt, ac mediatores inter Deum hominesque ſunt. Hi denique ſicut D. Paul. ait, ſunt diuinorum myſteriorum diſpenſatores: qui Sanct. Eccleſ. Sacram. adminiſtrantes, per eorundem miniſteria gratiam nobis conferunt, & ad gloriam nos diſponunt. *Quam mihi &c.* Cap. 2. Apoc.

CON-

CONCIO VIGESIMAOCTAVA PRO FERIA TERTIA POST DOMIN. LÆTARE.

Iam die feſto mediante, aſcendit Ieſus in templum. Ioan. 7.

IDem ille Dominus, ac Redemptor noſter Ieſus Chriſtus qui heri cum flagello templum Hieroſolymitanum intrans, ac profanatores illius inde eijciens, honorem locis ſacris debitum docuit; idem inquam hodierna die Paſcha celebraturus templumque iam dictum introiens clare nobis ob oculos ponit quemadmodum dies feſtos debeamus obſeruare. Præterquam quod Diuina Maieſtas excellentiſſima quæque opera in diebus feſtis patrauit: nam & triginta octo annorum paralytico ſanitatem reſtituit, & quinque millia hominum cibauit, & templi profanatores flagellauit, & denique morte ſua humanum genus liberauit, atque id non alijs quam feſtis diebus: docturus nos vniuerſos quemadmodum dies i-
Ioã.5 6. ſtiuſmodi celebrare debeamus. Vt autem totam hanc de
Matt.1. feſtorum dierum cultu materiam melius pertractemus, præſupponendum eſt, quod heri dicebamus, Deum videlicet quantum nos amaret monſtraturum, inter nos agere & habitare voluiſſe, non quia ipſe opus habebat, ſed quia
Cap.14. noſtra neceſſitas requirebat. *Tu Domine vniuerſorum*, dicebant Sacerdotes illi libro ſecundo Machabæorum, *qui nullius indiges, voluiſti templum habitationis fieri in nobis*. Etſi autem Deus omnia in ſe illa habeat, quæ ad felicitatem ſuam requiruntur, & quamuis nec nobis, nec bonis noſtris
Pſal. 15. indigeat, ſicut Dauid inquit, attamen ipſemet profitetur
Prou.8. ſummoperè ſe conuerſatione noſtra delectari, quippe qui

eam

eam ſolum ob cauſam templo,& Baſilicas in terra ſibi vo luit exædificari. Nam quis ex vobis locum aliquem inhabitat, & cum vicinis ſuis nunquam conuerſatur? Quoniã ergo hæc Dei noſtri intentio fuit, quando domicilium ſuũ inter nos delegit, dico eum finem ſuum conſequi non potuiſſe, abſque feſtorum inſtitutione fuiſſet, in quibus nimirum homines à reliquis occupationibus expediti familiarius, cum diuina ſua Maieſtate poſſent conuerſari. Atq; hic præcipuus finis eſt, propter quem dies feſti videntur fuiſſe inſtituti. Et videtur hoc mihi Spiritus Sanctus ſigni ficare voluiſſe, cum per Ezechielem diceret: *Sabbata mea dedi eis, vt eſſent ſignum inter me & eos.* Ad quem locum illud etiam nobis obſeruandum fuerit eodem illo die quẽ Deus pro noſtra primum ſalute elegit, mundi huius Architectum, opere ſuo iam perfecto requieuiſſe. Vnde & homines eodem die feriari vult: plane ac ſi illius requies abſque illorum perfecta eſſe non poſſet. Eſt ergo hic præcepti illius finis, vt videlicet diebus feſtis in Dei domum nos conferamus, ibi Deo pro beneficijs præſtitis gratias perſoluamus, ac alia inſuper bona poſtulemus. Hinc feſtorum dierum celebrationem inſtituens eos non ſeruari ſed ſanctificari præcepit dicens: *Memento vt diem Sabbati ſanctifices.* Sabbatum autem ſanctificare nihil aliud eſt quam rebus quæ ad Dei ſeruitium ſunt illum trãſigere. Et reſpicit huc illud: *Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua, ſeptimo autem die Sabbatum Domini Dei tui eſt.* Poteſtne iuſtior, & æquior aliqua partitio inſtitui.

Dies Feſti quare inſtituti.

Cap. 20.

Exod. 20

Compoſuit Deus ſeptimanam ex ſeptem admodũ diebus, atque ex ijs ipſis ſex hominum labori conſecrauit: quicquid enim ijſdem ſex diebus potenti dextera cõdidit, puta cœlum, Solem, Lunam, elementa, planetas, piſces, cæteraque animantia vniuerſa, id totum hominis vtilitatem ſpectat atque concernit. Vult enim præterea potentiſſimus illi mundi architectus hominem ſex diebus operari: Atque adeò ne ipſe fortaſſis homo exiſtimaret Deum laborem illum ſibi vendicare, ſubiungitur: *& facies omnia opera tua:* Præſeferens hoc ipſo eximiam erga homines liberalitatem, dum videlicet vult ſuos, ipſorumque etiam hominum labores vnum ad ſcopum metamque collimare. De Sabbato autem quid quæris? *Sabbatum Domini*

Dei tui eſt. Et quoniam omnes omninò dies Dei tui ſunt, & verò etiam, quia is ex mera ſua liberalitate vnicum ſaltem ſibi ex ſeptimana retinens integros ſex tibi deuouit, putaſne legibus te iuſtitiæ, ac ciuilitatis etiam ſatisfacere, ſi ſeptimum qui Deo proprius eſt, ad te violenter rapias, laboribuſque tuis impertias? In quo amabò vos Auditores Adami peccatum conſiſtere arbitramini. Nunquid in eo quod cum Deus vniuerſas arbores, & earum fructus homini conceſſiſſet, vnumq; vitæ lignum ſibi reſeruauiſſet, protoplaſtus nihilominus legis Diuinæ, ac ciuilitatis

Gen. 2. ipſius pariter oblitus vetitum fructum contrectauit? *De omni ligno quod eſt in paradiſo comede; de ligno autem ſcientiæ boni, & mali ne comedas.* Poteſtne maior inciuilitas excogitari? Vnicum mihi fructum reſeruaueram, inquit Deus, & quomodo me illo etiã priuare vis ò Adame? Feceris ſane hoc, at ego in facti pœnam & ſupplicium, omnibus te ſpoliabo, paradyſo terreſtri eijciam, & ſolum vertere, ac alio tranſmigrare iubebo. Idem planè Auditores mei in feſtorum obſeruatione fit atq; committitur. Certè ſi Deus ex ſeptem illis ſeptimanæ diebus ſex, aut quinque ſibi, reliquos autem hominibus adiudicauiſſet, occupationibus ignoſcere poſſemus, quod pleroſq; etiam diebus feſtis laborare videamus. Nunc autem ſex homini, ac vno tantũ Deo conceſſis, intolerabilis illorum mihi videtur eſſe inſolentia, qui ne ſeptimum quidem ac illum vnicum. Conditori ſuo attribuere poſſunt. At pulchrè iſtiuſmodi punit Deus, permittens vel nec labor quem ſumunt, nec fructus quem colligunt in bonum ijs cedat. Vti enim Deum ſuo ipſi priuare audent, ita quoque illos Deus ſuo quod ſperabunt emolumento fruſtratur.

Annon recordamini quemadmodum is qui Sacramenta quædam collegerat in Sabbato, abſque vlla gratia fuerit lapidatus? Audiſtiſne aliquando quomodo Rex Olaus de ſeipſo pœnas ſumpſerit? Reſecarat hic ramos baculi in Sabbato, cum ecce facti grauitate trutinata, ligna illa collegit & in manu propria concremauit. O deuotionem regio corde digniſſimam! O confuſionem tepidorum Chriſtianorum, qui vſque deque faciunt feſtiuis diebus laborare! Verum ad Sabbati ſanctificationem nunquid ſufficit operibus ſeruilibus abſtinere? Sufficit ſanè ſi de violatione

tione quæras, ad ſanctificationem autem amplius adhuc aliquid requiritur.

Vultis itaq; ſcire quemadmodum Sabbatum ſanctificare debeatis, Deo vt placeatis, ac quidlibet ab illo obtinea ris? Audite Eſaiam. *Si auerteris à Sabbato pedem tuum facere voluntatem tuam in die ſancto meo, & vocaueris Sabbatum delicatum, & ſanctum Domini glorioſum & glorificaueris eum, dum non facis vias tuas.* Quæ verba iuxta SS. Cyrilli, & Hieronimi opinionem de feſtorum Chriſtianorum ſpirituali celebratione intelligenda ſunt, quippe cum ibi Propheta de Ieſu Chriſto loquatur. Si pedem tuũ in die Sabbathi, longius iter quam per legem licet facere nõ permittas, & voluntatẽ tuam non facias, tum verò rectè Sabbathum celebraueris, quippe cum id non ſecundum tuam, ſed meam voluntatem ſit ſanctificandũ. Si diem Sabbathi delicatũ, hoc eſt, ſi Græcũ ſpectes, diem ſpiritualium voluptatũ appellaris: ſi illum glorioſum, propter gloriam qua tali die, & virtute, & religione ſancti alicuius exercitij hauritur vocitaris: ſi deniq; illum glorificaris, non tuas, ſed meas vias ſequendo, tum verò Sabbathum te ſanctificaſſe ſcito. Sed audi recompenſationem: *Delectaberis ſuper Domino, & ſuſtollam te ſuper altitudinem terræ, & cibabo te hæreditate Iacob.* Si exultabis in Deo tuo, qui eſt pulcherrimus fructus eorum planè omnium qui ex ſanctificatione feſtorum peti poſſunt. Leuabo te ſuper alitudinem terræ, faciamque vt omnia ea contemnas, quæ caduca, & tenera ſunt: Nutriens te ſucceſſione Iacob & reficiens cęleſtibus alimentis. Quibus omnibus Propheta quinque nobis ad Sabbathi ſanctificationem requiri inſinuat: Primò vt à rebus vetitis abſtineamus, hoc enim verba illa ſignificant: *Si auerteris à Sabbatho pedem tuum.* Secundo vt non noſtram, ſed Dei voluntatem faciamus. Tertiò vt exercitia illorum dierum delitias exiſtimemus. Quartò vt actus religionis, quales ſunt audire Miſſam, precari, operaque miſericordiæ exercere non dubitemus. Quintò vt proprias inclinationes, luſus, conuerſationes inutiles, & alias vanitates deteſtemur. In his enim Sabbathi feſtorumque dierum ſanctificatio conſiſtit, quorum omnium exemplum Seruator noſter in templum aſcendens nobis relinquit; vt videlicet cautè ac diligenter illa obſeruemus non modo pro-

Cap. 58.

Cyrillus de Spiritu, et Litera c. 7.

propter pœnam quam præuaricatores incurrũt, ſed etiam propter præmium morigeris deſtinatum, ſuper omnia autem vt ſupremo illi noſtri Magiſtro ac Domino obediamus ac placeamus, qui vt homines conſeruaret feſtos ſibi dies inſtituendos exiſtimauit.

Aſcendit Ieſus in templum, &c. Vt feſtum tabernaculorum, & ſolẽnitatem ipſos octo dies durantem celebraret Aſcendit autem Deus in medio huius feſti, hoc eſt die quarto. Ac primo quidem non ſtatim ſub initium, quia tunc ob incredibilem concurſum magna turbatio oriebatur. Deinde non circa finem quia tunc qui aderant rurſus diffluebãt. Elegit ergo medium, quippe quando plus quietis pro doctrinæ ſuæ publicatione ſe inuenturum arbitrabatur. Vt enim benè, & fructuoſe Dei Verbum audias attentum eſſe oportet, quippe cum plerumque fructus illius propter minus commodum tempus occaſionemque perdatur. Et quamuis Concionatores piſcatoribus comparentur, prout Tertulianus ſuper Ieremiæ illa verba obſeruat: *Mittam piſcatores multos, & piſcabuntur eos, &c.* In hac tamen ſpirituali piſcatione vulgari illi prouerbio locus non eſt, quod ait, feliciſſimam tunc piſcationem eſſe cum aqua turbida ſit. Ideò enim Propheta Oſeas dicit animam ſe cui loqui cogitabat in ſolitudinem abducturum: *Ducã eam in ſolitudinem, & loquar cor eius.* Et ſponſa ſiue Eccleſia in Canticis, de doctrina ſpõſi mentionem inijciens inquit: *Apprehendam, & ducam in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ: ibi me docebis.* In cubiculo inquit, vbi abſque arbitris ſumus, vbi pax, & tranquillitas; & vbi ſilentium eſt. Certum enim mihi eſt te animas ſalutem illarũ

Cap. 14. concernentia edocturum loca ſolitaria, & ſecreta cõſectari. Quod reuera mirandum non eſt: ſiquidem falſi ac fictitij etiam illi Dij promptius vt reſponſa dare exaudirique

Cap. 8. poſſent, tempus quietum, & tranquillum requirebant. Authorem eſt enim Plutarchus Flamines ſpecum Delphicam ſummo cum ſilentio intrauiſſe, præferendo manu lumen, tantamq; tranquillitatem adhibendo vt ne flatus quidem, & anhelitus quanti ad candelam extinguendam ſat eſſet mitteretur, ſicq; qui reſponſa accepturi erant diſtinctius oraculi vocem exaudirent. Et quid mirandum eſt quod Ieſus Chriſtus æterni Patris Sapientia, & verus ſolusque

Deus

Deus tempus ob occaſionem homines docendi commodam ſortiatur? Quin potius duo nos in hoc loco diligenter obſeruemus, alterum pro ijs qui Verbum Dei audiũt, alterum pro illis qui id docent ac tradunt. Ac primo quidem qui verbum Dei audituri ſunt omnia ea à ſe amoliri reijcereque debent, quæ animam interturbare poſſunt. Hæc enim verbum Dei excipere ac per tenuiſſimos auriũ corporearum meatus tranſmiſſam in ſe conuertere debet. Cum autem verbi diuini vox adeò nonnunquam ſubtilis ſit, vix vt exaudiri poſſit, hinc ſummo ſilentio ac tranquillitate opus eſt. Narrat Eliphas Themanites ex numero neceſſariorum D. Iob Deum ſe aliquando ſibi loquentem ac neſcio. *Porro ad me dictum eſt verbum abſconditum inquit ille, & quaſi furtiue ſuſcepit auris mea venas ſuſurri eius.* Vbi obſerua Dei vocem venas inæſtimabiles non minus quam aurifodinas habere. Quamuis autem vox illa vix dum efformata videbatur, ille nihilominus auditam ſibi illam eſſe dicit. At quamnam ob cauſſam? ipſemet declarat, cum ait, *Quando ſolet ſopor occupare homines.* Id eſt, nocte concubia, cum altum omnia tenent ſilentium, ipſaque quodammodo natura defatigata ſuauiſſimè conquieſcit. Nam quomodo alias poſſibile erat vocem adeò tenuem, & ſubtilem exaudiri? Curabunt proinde mihi verbi diuini Auditores omnes vt aliorum negotiorum curas ad templi valuas relinquant, ſicut de D. Bernardo accepimus, qui chorum ingreſſurus ad illius portum omnes diſtractiones ſeponebat. Ad ipſos autem concionatores quod attinet omneſque adeò illos quibus alios corrigendi inſtruendique partes demandatæ ſunt, ſciant tempus doctrinę ſuæ oportunum deligere ſe oportere, quippe cum ipſi Auditores non ſemper illæ recipiendæ apti idoneique ſint. *Mala aurea in lectis argenteis*, inquit Salomon, *qui loquitur verbum in tempore ſuo.* E contra verò quando ſermo non in tẽpore, & verò importune ſit, tum nec vtilis nec ſalutaris eſſe poteſt, offendens animos audientum, ijſque malum quam bonum potius creans. Antè omnia autem impenſe prouidendum eſt, vt Verbum diuinum proficuum ſalutareque ſit, & vt auditor minimè turbatus inueniatur. Turbatus enim animus ad ea quæ ſibi dicuntur non erigitur, quæ conſuluntur reſpuit, monita aduerſatur, rationes con- Prou. 25

tem-

temnit, & charitatem in qua docetur non agnoſcit. Manea tergo Seruatorem noſtrum in medio feſto templum aſcendiſſe, quod videlicet tempus illud ad docendum ſibi maximè oportunum arbitraretur.

Et mirabantur Iudæi dicentes. Simulac Seruator noſter templum introiuit, more ſuo verba ad populum facere incepit. Erat autem doctrina illius adeò admiranda, ſubtilis, & exaggerata, ipſos vt Iudæos in ſtuporem dederit, fructum autem exiguum attulerit. Etſi enim vniuerſi admiratione percellerentur, non tamen omnes conuertebantur, iuxta D. Auguſt. illud: *Omnes quidem quantum arbitror mirabantur, ſed non omnes conuertebantur.* Hoc autem nunquid admirationem apud nos concitare non debet? Nequaquam ſanè: Fit enim, & inter nos ſæpenumerò, vt qui cōcionatoris dicta ac verba præ reliquis ſuſpiciunt, paruū & exiguum planè fructum inde reportent. Atq; hoc malum non nouum aut recens eſt: Regnat à multis iam annis, & quaqua verſum in toto terrarum orbe dominatur. Huius vos rei nunquid viuam idæam ſpectare concupiſcitis? Audite mihi Deum apud Ezechielem dicentem: *Fili hominis, filij populi tui loquuntur de te iuxta muros, & in oſtijs domorum loquuntur alter ad alterum, vir ad proximum ſuum; venite, & audiamus qui ſit ſermo egrediens à Domino.* Adeò videlicet omnia hæc Euangelico noſtro *Mirabantur omnes* æquipollent. Verum videamus quonam admiratio illa collimarit, *Veniunt ad te*, inquit Deus itidem, *quaſi ingrediatur populus, & ſedent coram te populus meus, & audiunt ſermones tuos, & non faciunt eos, quia in canticum oris ſui vertunt illos: & eſt ei quaſi carmen muſicum, quod ſuaui dulciq; ſono canitur.* Poteſtne aliquis magis ad viuum noſtrorum temporum miſeriam deſcribere? egredimini in vicos, adite publica fora, deambulate in plateis, & audietis quam honorificè omnes de concionatore ſuo ſentiant. Adeſte maturè ad portas, & valuas Eccleſiarum, & videbitis quemadmodum populus vndequaq; ad illum confluat, & quilibet pro commodo loco decertet. O inſignem diligentiam! Quis concionator iſthæc videns, audiens, atque intelligens, non admirabilem planè ſibi fructum de populo illo polliceatur? At poſſumus omninò cum Iſaia dicere: *Multiplicaſti gentem, ſed non magnificaſti lætitiam.*

Quia

Digitized by Google

Quia videlicet, *audiunt ſermones, ſed non faciunt eos*, audiũt eos inquam vt cantiunculas, & vt muſicorum inſtrumentorum concentum. Vt.n.in fidium certaminibus alij chelin, decacordon alij, hi cytharam, illi lyram, nonnulli deniquе muſicorum flexanimas voces admirantur: Ita in concionibus nonnulli grauitatem verborum, pondera rerum, vim, & fulmina ſententiarum ſuſpiciunt, fructum autem nullum conſequuntur. Recordamini hoc loco credo quẽadmodum D. Ioann. in ſua Apocal. aures, & quis ſibi loqueretur intelligeret, arrigens, vocem cœli audiuiſſe ſe dicat: *Tanquam vocem aquarum multarum, & tanquam vocem tonitrui magni: & vocem quam audiui, ſicut cythariorum cytharizantium in cytharis ſuis*: quæ omnia quibuslibet concionatoribus neceſſaria ſunt. Habebunt ergo illi vocem ad inſtar aquæ limpidam qua auditorum peccata eluant, habebunt vocem tonitrui ſimilem qua terreant, habebũt vocem quæ mulceat, ac velut inſtrumenta muſica delectet. Auditores verò non in artificio commendando eſſe debẽt, ſed quilibet quod ſe concernit ad ſe rapere ſibiq; vindicare. At quoties Deus bone contrarium fit, confluente inutili hominum multitudine ad ſermonem tanquam ad concentum muſicum audiendum, quo videlicet deinde dicere poſſint: O egregios diſcurſus! O plauſibiles rationes! O vocem flexaminam! Ecce tibi Euangelium illud, *mirabantur omnes*. Itane verò? nunquid quæ è ſuggeſtu ad vos dicuntur, repræſentatio, an concio, nunquid noſtra an Dei verba ſunt? Si Dei, cur ea cordi non inſculpitis? *Tace mihi*, inquit Deus ad Prophetam Ezechielem, *nam cum venerit quod prædictum eſt, ecce enim venit, tunc ſcient quia prophetes fuerit inter eos*. Deo compertum eſt quantum nunc in inferno animarum exclamet: Nunquid benè concionatores veritatem nobis tradebant? Nunquid eorum dicta prophetiæ potius quam minæ erant? Nunquid præſtabat eorum ſermonibus non vt vanis diſcurſibus, ſed vt vero Dei verbo fidem accommodare? Conſiderate mihi hæc vos Auditores, & nolite promittere noſtræ vt conciones admirationem excitent, fructum non ferant: nolite mihi ex Iudeorum illorum numero eſſe, *qui mirabantur, ſed non conuertebantur*. Cap.14.

Mea doctrina non eſt mea. Ecce reſponſionem quam Seruator noſter Iudæis in admirationem raptis dedit: ſtupebant enim hominem qui abſq; magiſtro, abſq; doctrina, & abſq; libris hactenus fuiſſet, adeò doctè, & peritè differentem audientes. Et ideò dicit Euangeliſta quod alter alterum interrogauit dicens: *Vnde hic litteras ſcit cum non didicerit?* Cui quæſtioni Seruator noſter breuiter ſatisfecit dicens: *Mea doctrina non eſt mea:* Id eſt, Doctrina illa quam vobis trado, quia in mea poteſtate eſt, mea quoque dici poteſt, ſi autem illius originem ac fontem ſpectes, non mea, ſed Patris mei eſt, qui me de cœlo homines docturum ablegauit. Quæ verba quia variè, & non vno modo à diuerſis doctoribus explicantur, obſeruandum in primis fuerit, quod quemadmodum duæ in Seruatore noſtro naturæ erant, ita quoq; duo ſcientiarum genera in illo extiterint. Harum vnam diuinam dico, extra vllam controuerſiam Deus Pater ſibi vendicat: Nam quemadmodum in æterna generatione eſſentiam illi communicauit, per quam Deus eſt, ita eidem ſapientiam, & alias proprietates Diuinas indidiſſe exiſtimandus. Quãtum autem ad ſcientiam humanam Seruatoris noſtri attinet, eam à partu ſicut Diuinam non habet: loquor autem hic non de ſcientia, vſu ac experientia acquiſita, ſed de infuſa, & beatis propria, quam ſimiliter à Deo Patre acceperat, qui in inſtanti ſuæ conceptionis in illius animam omnium rerum perfectiſſimam ſcientiam infuderat. Eodem autem inſtãti anima Seruatoris noſtri videns verbum æternum, cum quò vnita erat, & alias duas perſonas diuinas, clariſſimam cognitionem omnium eorum accepit, quæ in Diuina eſſentia vidit, quæ eſt ſcientia Beatorum. Habuit autem neq; hãc neq; illam Seruator noſter quatenus homo, & ideò dicit illam nõ eſſe. Idcirco autẽ patri ſuo illas attribuit, quia omnia ea quæ in ſanctiſſ. Trinitate ſunt, origenem ſuam à Patre tãquam ab omnium principio ducunt. Atque hæc ſumma totius Theologiæ eſt, quæ in verbis illis continetur. Verum conueniens non eſt, ſolum intellectum materia iſthac imbui, ac voluntate ea ſimiliter non tingi, ſi quidem iuxta D. Gregoriũ, *Omnis Chriſti actio noſtra eſt inſtructio* Vnde par eſt æquè volũtatem ac intellectum quo expleatur hoc loco aliquid inuenire. Docet itaq; hic in primis nos Seruator noſter

noſter pro omnibus bonis quæ aut habebimus aut facie-
mus, Deo gloriam perſolui oportere, ſiquidem iuxta D. Ia- Cap. 1.
cobum Apoſt. omnia bona ab infinito ac ſummo illo bo-
no promanant. Vbi obſerua malos angelos propter huius
præcepti præuaricationem è cœlo fuiſſe exturbatos: ſi e-
nim ſicuti debebant recognouiſſent omnia bona quæ ha-
bebant à Deo procedere, ipſos autem ex ſe nihil eſſe, nun- Gen. 3.
quam ſcio tanto ſuperbię typho inflati fuiſſent. Eadem ra- Pſal. 48
tione protoplaſti noſtri periērũt, reddentes ſe iuxta Dauid
ſimiles beſtijs: Eorum.n.ruina ex nulla alia re profecta eſt,
quam quod bona à Deo accepta non recognoſcebant, que-
madmodum Rupertus animaduertit. Simili ratione Rex Lib. 2. in
Babyloniorum euerſus fuit, qui iuxta Eſaiam in viribus, Geneſ.
& fortitudine ſua confidebat, non aliter quam ſi illas ex cap. 39.
ſeipſo haberet, dicens: *In cœlum conſcendam, & ſuper aſtra* Cap. 14.
Dei exaltabo ſolium meum. Eandem dum viam Rex Tyri in-
cedit, miſerrimè perditur: quia videlicet eius ſuperbia eo Cap. 48.
euaſerat, vt diceret: *Deus ego ſum, & in cathedra Dei ſedi in*
corde maris. Pari modo Rex Aegyptiorum extirpatus eſt;
qui quemadmodum refert Propheta, dicebat, *Meus eſt flu-* Cap. 49.
uius, & ego feci meipſum. Eundem exitum, & exitus cauſam
Phariſæus ille Euangelicus habuit: qui etſi ore Deo pro
acceptis virtutibus gratias perſolueret, eas tamen in ani- Luc. 18.
mo ſibi ipſi aſcribebat, & non Deo, vnde non imme-
rito arrogans, & ſuperbus exiſtimatus eſt. Petijt eodem
peccato Apocalypticus ille Epiſcopus, qui dicebat: *Di-* Cap. 8.
ues ſum, & nullius egeo In hoc denique itinere ac via om-
nes illi impingunt, ac hallucinantur, imò impingent, &
hallucinabuntur, quotquot præfatos iſtos ſecuti fuerint,
cum præſertim Deus pati non poſſit alius vt gloria ſua Cap. 42.
abutatur, quemadmodum Iſaias refert, & D. Paulus Apo-
ſtolus præclarè aſſentitur inquiens: *Quid habes quod non* 1. Cor. 4
accepiſti? ſi autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis.
Quotquot autē ijs rebus quas aliunde acceperunt inflan-
tur hi vtriq; in præſentia totius mundi priuari illis debent,
quo nimirum vniuerſi intelligant quam omninò parum,
imò quam nihil ex ſeipſis habuerint. Docturus nos proin-
de Seruator noſter quemadmodum velis, & curribus pe-
riculoſum iſtud arrogantiæ iter fugere debeamus, voluit
doctrinæ ſuæ gloriam Patri à quo illam acceperat adſcri-

bere,dicens: *Mea doctrina non eſt mea.* In ſchola namque Ieſu Chriſti ſufficit ab alio aliquid accepiſſe, modo qui id poſſidet non glorificetur,ſed laus,& gloria, ei à quo accepit tribuatur. O felicem itaque animam illam,quæ iſthoc modo Seruatorem noſtrum imitatur, ſciens nihil æquè Diuinæ maieſtatis oculis ad placere *Quam pulchra es amica mea,quam pulchra es*,inquit ſponſus ad ſponſam,*oculi tui columbarum, abſque eo quod intrinſecus latet*. Vbi vides bis illam pulchram appellari, quia videlicet charitas ex qua animæ pulchritudo dependet, oculos non ſolum in Deũ, ſed in proximum etiam debet conijcere. Amor autem Dei inſtar auri eſt, quod per ſe delectat ac pretium habet: Amor autem proximi artificium refert quo aurum ipſum illuditur. Quibus ductus amoribus ita inter ſe coniunctis, anima dupliciter pulchra efficitur,& tunc meritò bis pulchra appellatur. Verum quid cauſæ eſt quod cum anima adeò pulchra ſit, ſponſus primo oculos in illa commendet,atq; eos non aquilinos,& aerem videntes,ſed columbinos appellet? Quia videlicet inter omnes aues ſola columba hordei aut alterius frumenti grano manducato, ſtatim caput attollit, & velut rationis particeps cœlum intuens, vnde ſibi alimentum ac bonum illud proueniat, agnoſcit. Vt autem conſtet gratitudinis hanc virtutem, & bonorum acceptorum memoriam ſolã nunquam eſſe, extemplo ſubiungitur. *Abſque hoc quod intrinſecus latet*: id eſt, etſi in ſponſa mea præter oculos manifeſtè nihil comendem,intelligi tamen conſtareq; volo ſexcentas adhuc alias gratias illi ineſſe. Quotquot n. bonorum ſibi præſtitorum autorem agnoſcunt, hi continuò alijs atq; alijs beneficijs ſecreto illabentibus augentur, tametſi ea ipſa anima non aduertat, & quoniam iam nũc ſatis ſuperq; conſtat bonorum exhibitorum memoriã innumeras gratias conſequendi modum eſſe, decet ſanè Diuinæ maieſtatis liberalẽ dexteram nos agnoſcere,illi pro omnibus gratias perſoluere, ac nihil non acceptum ferre. Pro hoc honore,& gloria ita illi impenſa gratiam nobis confert,& poſtea gloriam ſempiternam, *quam mihi,& vobis, &c.*

CON-

CONCIO VIGESIMANONA PRO FERIA QVARTA POST DOMINICAM LÆTARE.

Præteriens Ieſu vidit hominem cæcum. Ioan. 9.

POſtquam Autor libri Eccleſiaſtici quorundam ſiniſtrum in rebus gerẽdis fatum, nonnullorum autem proſperos et felices ſucceſſus in ijs quæ aggrediuntur trutinauiſſet, ad extremum conſtituit omnem noſtram felicitatem in eo conſiſtere, vt Deus laborib. noſtris benedicat, & ſuſcepta ſemel negotia miſericordiæ oculis intueatur. Ad id autem ſignificãdum ea verba adhibet, quibus vix melius & magis ad viuum cæci hodierna die in hoc noſtro Euangelio ſanati, felicitas videtur poſſe repræſentari, Dicit namq; ille: *Eſt homo marcidus egens recuperatione, plus deficiens virtute, & abundans paupertate*; vis plura? Totus & vndequaq; miſerabilis. *Et Oculos Domini reſpexit illũ bonũ, & erexit eũ ab humilitate & exaltauit caput eius, & mirati ſunt in illo multi, & honorauerũt Deũ.* Quæ verba quiſquis paulò attentius cõſiderarit, mẽtior, niſi è viſtigio cõſtituet verbis aptioribus & periphraſi luculentiore cęci noſtri miſeriã, priuſquã Seruator noſter illũ intueretur, ac eiuſdẽ poſtea felicitatẽ, poſtquã ei Diuina virtus lumẽ deperditũ reſtituit, non potuiſſe deſcribi. Etenim ſi hominẽ vndequaq; miſerũ, qualẽ quidẽ hoc loco Eccleſiaſticus nobis adũbrat, quæras, quæ amabò te maior miſeria poteſt inueniri, quã oculorũ ſenſu & vſu deſtitui? Certè canus et Senex ille Tobias tanti eam fecit, nihil vt in vniuerſo mũdo ſe recreaturum exiſtimaret, quamdiu communis lucis expers ætatem degeret. Hinc cum Angelus eum ſalutauiſſet, ſimulq; omnia fauſta ac felicia illi fuiſſet imprecatus, reſpondit: *Quale gaudium mihi erit qui in tenebris ſedeo, & lumen cœli non video?* Maneat ergo inter omnes ærumnas

Cap. 11.

Tob. 5.

nas, & miſerias quæ corpori accidere poſſunt, maximam eſſe illam quæ hominem oculis, & videndi facultate priuat. Cui ſi etiam malo paupertatem adiunxeris, duplicem, & extremam miſeriam inde effeceris. Vt enim vitam à neceſſarijs deſtitutam ſtipem conquirendo ſuſtentes, varij vici & diuerſa oſtia obeunda ſunt, quod reuera facturus is non eſt, qui oculorum ſenſu caruerit. Ex quibus in eam quoque digredimur cognitionem, quantam Euangelici huius cæci miſeriam eſſe oportuerit, cui non modo viſum natura, ſed ipſa etiam fortuna omnia vitæ ſuſtentandæ media abſtulerat. Vnde aptiſſimè Eccleſiaſtici illud de eo dixeris: *Eſt homo marcidus, egens recuperatione, & abundans paupertate:* Quæ verba accuratius & liquidius vt intelligantur, per partes & ſeorſim ſingula nobis examinanda ſunt. Vt ergo eum egenum & pauperem fuiſſe ſignificet, ait: *Egens recuperatione*, oſtenſurus diuitibus quod quãdo mendici ſtipem ab ijs aliquam exigunt, id iure ſuo faciant, & rem ſibi debitam repoſcant. Exigentes æs ſuum alienum, quod quiſquis ſoluerit, is verò apocham in cœleſti vita expectabit. Habet.n.diues amplius quam pauper, inquit S. Baſilius, non vt id ciſtis & arcis includat, ſed vt id pauperibus ſuppeditet: Similis per omnia diſpenſatori, ac œconomo alicui, quem ideò Deus in hac terra conſtituit, vt bona ad ipſum delata æqualiter inter egentes diſtribueret. Quotquot ergo tibi domi tuæ induſia, quot veſtimenta à tineis deuorantur, quia pauperum ſunt, tot aliquãdo tu coram ſeueriſſimo Dei iudicio reſtituere teneberis. Dedit enim hæc tibi Deus nõ vt ſitu, & vetuſtate apud te corrumperentur, ſed vt ijs pauperum & egenorum neceſſitati ſubueniretur. *Num qui veſtem diripuerit*, inquit præfatus S *ſpoliator nominabitur? Qui autem nudum non texerit* (modo poſſit) *alterius nominis appellatione dignus erit.* Obſeruent mihi hanc lectionem omnes diuites & opulenti; iuxtaq; obſeruent cæci huius miſeriam duplicem fuiſſe, cum videlicet propter rerum omnium penuriam ſtipẽ emendicare cogeretur. Cũ ecce nihilominus dicitur *abundans paupertate*, vt videlicet conſtet, miſeriæ eum multum, hominum autem qui ſibi ſuccurrerent, parum omninò inueniſſe. Quid faciat iſtiuſmodi pauperculus? Nunquid actum deploratumq; eſt, niſi *oculus Domini reſpiciat illum*

in

in bonum? hoc autem ſi neceſſe, & remedij iuſtar eſt dubitandi amplius locus non relinquitur, ſanatum illũ continuò fuiſſe. Refert enim Euangelium noſtrum, mundi huius Redemptorem, Iudaici populi lapidare ſe volentis furorem declinantem,& templo egredientem, vidiſſe *hominem cæcum à natiuitate:* Vbi obſerua duobus modis Deũ homines videre, ac intueri conſueuiſſe, prior malum, ſecundus bonum ſignificat. Vtrumque autem Pſalmiſta his verbis tradit: *Oculi Domini ſuper iuſtos, & aures eius in preces eorum. Vultus autem Domini ſuper facientes mala vt perdat de terra memoriam eorum.* Pſal 33. Intuetur ergo ille iuſtos in bonum: Quia ſimulac oculos ſuos in illos conijcit, aures etiam ad preces eorum patefacit, quidlibet, quod efflagitarint è veſtigio ijs indulturus. Improbos autem ac ſceleratos in malum aſpicit, hoc enim verba illa inſinuant, *Vultus autem Domini ſuper facientes mala.* Et eleuat ille aſpectu ſuo humiles ex terræ puluere, iuxta illud *Humilia reſpicit in cœlo & in terra: ſuſcitans à terra inopem, & de ſtercore erigens pauperem.* Atteſtatur etiam intuitu ſuo, iram & indignationem erga ſceleratos conceptam: *Vidit Dominus & ad iracundiam concitatus eſt.* Plurimum ergo refert, quo te modo celeſte illud Numen intueatur. Idcirco enim Eccleſiaſticus non contentus dixiſſe *reſpexit illum*, addit exẽplo *in bonum*: ſed neque dixit duobus Deum oculis ſe aſpexiſſe; *& oculus Domini reſpexit illum in bonum*, vt videlicet nos intelligamus duos Deum oculos habere quibus hominem intuetur,& eorum alter iuſtitię, alter miſericordię eſt: Iuſtitiæ oculum tunc in nos conijcit, quando peccata noſtra caſtigat, & miſericordiæ alterum, quando naturæ, ac miſericordiæ noſtræ conditionem ſpectaturus, ad com paſſionem ſe excitare conatur. Vultis ſcire quanam Deus ratione beneficijs nos ſuis augeat? Claudit nimirum ille iuſtitiæ oculum, ne peccata noſtra videat,& aperit è contra miſericordiæ alterum, vt naturæ noſtræ miſerias conſideret. Quod dum facit Eccleſiaſtici illud adimplet: *Oculus Domini reſpexit illum in bonum.* Atque hic D. Chryſologi ſermone 3. de S. Matthæo diſcurſus eſt, qui dicit Seruatorem noſtrum oculos in Matth. conijcientem, hominem vidiſſe,& quod *peccata hominis non videns, vidit opus ſuum, vt diſpiceret opera peccatorum.* Planè ac ſi dicat: In S. Mat-

thæo duo erant, puta, natura humana, & peccatoris malitia Natura Dei opus erat, peccatorum autem malitia opus S. Matth. Quid ergo Deus ei compaſſurus fecit? Clauſit oculum iuſtitiæ, quo peccati malitiam intueri debebat, & aperuit oculum miſericordiæ quo miſerias noſtræ naturæ contemplans, ad cōpaſſionem continuò motus fuit. Idem planè in Euangelico noſtro cæco obuenit, qui cum peccator eſſet, quemadmodum reliqui homines vniuerſi, ideò Seruator noſter eum intuiturus, iuſtitiæ oculum clauſit, ne illius peccata intueretur, & contra miſericordiæ alterum aperuit, naturæ vt ſuæ miſeriam ſpectaret. Vnde Euangelij illa: *Vidit hominem cæcum à natiuitate*, iſtis æquiualent, vidit eum hominem eſſe, cęcum mundum introiuiſſe, vnde ad compaſſionem motus Eccleſiaſticum illud adimpleuit: *Oculus Domini reſpexit illum in bonum*. Faxit idē Deus, vt oculos ſuos non in peccata noſtra, ſed in fragilitatem humanæ noſtræ naturæ conijciat: Hac.n. conſiderata facilius miſerijs noſtris condolebit. Videntur mihi & ethnici ſimile quid in fictíciorum ſuorum Deorum aſpectibus obſeruaviſſe. Nam Virgilius oſtenſurus Ioue Troianis benè voluiſſe dicere contentus fuit, *Iupiter at Libia defixit lumina terris.* Econtra autem oſtenſurus Palladem ab ijs fuiſſe abalienatam, inquit eam illos intueri ac aſpicere fuiſſe dedignatam. *Diua ſolo fixos oculos auerſa tenebat.*

Sed & Daniel magnus ille ſomniorũ interpres, miſericordiam à Deo petens alijs verbis vſus non fuit, ſed Deũ rogauit, quatenus illi oculos ſuos aperire, & tribulationē ſuam aſpicere placeret. *Aperi oculos & vide tribulationem noſtram:* Exiſtimabat enim Deum oculos in ſuam tribulationē cōijcere non poſſe, niſi ſimul miſericordiam, erga ſe ſuā exerceret. Prætereo hic inumera alia ſcripturæ ſacræ teſtimonia, quibus non minus quam hactenus allatis doctrinam hanc confirmare poſſem, contentus Euangelio noſtro & Eccleſiaſtici dicto: Qui cum Deum pauperem in bonum reſpexiſſe aſſeruiſſet, è veſtigio ſubiunxit. *Et erexit eum ab humilitate.* Hoc eſt, Ieſus Chriſtus cæcum aſpexit, & limo oculos inunctũ de terræ puluere ſubleuauit. Admirabile planè iſtud eſt Auditores, limo tantum oculorum ſenſum homini à natiuitate cæco reſtitui, & quoniam id nihilominus factum fuiſſe in Euangelio noſtro

Dan. 9.

ſtro comperimus, quid aliud ſtatuere poſſumus, quam limum in manibus Seruatoris, æquiualere oculis in capite hominis? ſiquidem verò cæleſtis ille medicus cæcum ſanaturus, modum iſtum voluit adhibere, illud etiam relinquitur, ipſam hominis illius cęcitatem ad maiorem Dei gloriam fuiſſe excitatam: Atteſtante præſertim Euangeliſta cum ait. *Vt manifeſtentur opera Dei in illo.* Quo quidem fine præſuppoſito modus ad Diuinam gloriam manifeſtandam, diuinamq; etiam potentiam declarandam, aptior conuenientiorq; non erat, quam cæco huic viſum limo reſtituere, qui tamen, vel acerrimos oculos cæteroqui ſolet occęcare. Id autem vt luculentius adhuc intelligatur, præſupponendum eſt cæcum illum ſtatuam quandam Dei manu factam fuiſſe, at necdum perfectam & probè exaſciatam. Et quoniam homo Dei imago eſt ex luto & argilla confiCta, Seruator noſter cæco viſum ac oculorum ſenſum redditurus, euidenter ſignificauit Deum ſe eſſe, qui proprijs manibus id quod in corpore illo humano deerat de limo perfeciſſet. Quare cum Chriſtus Apoſtolis ſuis diceret cæcitate illa hominem ad ſe delatum plexum fuiſſe, vt manifeſtarentur Dei opera in illo, ſignificare voluit, Deum dedita opera opus iſtud imperfectum reliquiſſe, vt videlicet ab eius filio perficeretur, & quod in eo adhuc deſiderabatur conſequeretur. Hęc doctrina plurimorum Sanctorum Patrum eſt, vtpote S. Irenæ, S. Amb. & S. Ioan. Chryſ. quam nonnulli etiam Apellis illo facto illuſtrare conantur. Pinxerat hic celebris pictor geminas Veneres, vnam à capite vſque ad pectus, alteram vmbiculo tenus vſque ad calcem, omnem interim ſpem pictoribus atque ſculptoribus nobiliſſimas illas ſtatuas perficiendi adimẽs: donec tandem ipſe Appelles manum ijs admouens, clarè euidenterque comprobauit ſe autorem illarum fuiſſe, & non ab alio quam à ſe reſiduum illarum perfici potuiſſe.

Vt manifeſtentur opera Dei in illo. Ducite mihi ſanè cæcũ iſtum ad medicos, ducite ad chyrurgos & periculum facite tantũ ne aliquis de ſua ſibi arte poſſit polliceri, vt in cæptã inchoatãq; figurã felici penicillo abſoluat. *A ſæculo non eſt auditũ,* inquit idẽ cæcus, *quia quis aperuit oculos cæci nati.* Et verũ omninò loquebatur, ſiquidẽ opus iſtud adeò admirandum

randum Seruatori tantum noſtro fuit reſeruatum, *vt manifeſtentur opera Dei in illo*. Voluit autem idcirco oculos miſero huic deeſſe, quia videlicet hi delicatiſſimam artificioſiſſimamq; corpori humani partem conſtituunt, vnde Galenus ait, Diuinitatem quandam in hominum oculis elucere. Quid enim mirabilius eſt quam in paruo iſtiuſmodi oculo tam diuerſas tunicellas, tantum trāſparentiū humorum, tantum ſubtiliū venatū reperiri? Quid æquè obſtupeſcendum, quam ab oculo aliquo tam diuerſos colores & figuras, aereas turres, immenſos montes, ſpacioſiſſimos campos, ſuperbiſſima ædificia, & tantam creaturarū varietatē, quas aer nutrit, mare producit, & terra alit, quid inquam æquè obſtupeſcendum eſt, quam ab vno aliquo oculo omnia iſthæc capi & cōprehendi? Poteſtne D. Sapientia melius ex re quapiam colligi ac deprehendi? quod autem Seruator noſter ex pauxillo limi partem adeò nobilem præſtantemque efficiat, id verò rarum ac inſolens planè eſt, atq; omninò tale propter quod non immeritò Seruator noſter dicere potuiſſe videatur: *Vt manifeſtentur opera Dei in illo* & quoniam hactenus quæ à nobis dicta ſunt, miraculum tantum concernunt, agite & de myſterio aliquid in medium proferamus, ac poſtea obiter & curſim de exemplo paucula adiungamus. Tria enim admodū iſta Deus in miraculo ſuo iſto opere coniunxit, vt poté cæci vtilitatem, Ieſu Chriſti gloriam, mundi myſteriū, & hominum vniuerſorum exemplum: vt videlicet Eccleſiaſtici illud adimpleretur, qui opera Dei conſiderans exclamat: *mirati ſunt multi, &c.*

Tract. 44. in Ioan. *Expuit in terram & fecit lutum ex ſputo.* In hoc ſi D. Auguſt. credimus, totum myſterium quo quærimus continetur: quod videlicet Seruator noſter expuit, & ſaliuam cum puluere confundens, limum inde effecit, cœco oculorum vſum per illum redditurus. Præſuppoſito autem quod genus humanum per cæcū illum fuerit præfiguratum, quia videlicet Propheta inquit, *Ambulabunt & cæci quia Domino peccauerunt*: illud etiam conſequitur; omnes nos, quia iuxta D. Paulum, in Adamo peccauimus, à natiuitate cæcos poſſe exiſtimari, iam quemadmodum etiam ſaliua ex cerebro defluit, ac per narium meatus promanat, ita per ſaliuam Seruatoris noſtri, ſecundum opinionem D. Au-

D. Auguſt. ſignificata fuit ſecunda perſona in Sacroſancta Trinitate, quæ Sapientia Patris eſt, & apud Eccleſiaſticum dicit: *Ego ex ore altiſſimi prodij, primogenita ante omnem creaturam*. Ruſus præſupponendum fuerit per puluerem, quatenus eſt materia, ex qua corpus humanum fuit efformatum, naturam nobis humanam repræſentari: Omnes enim nos aliud nihil ſumus quam puluis, in eundem mox puluerem redituri, quemadmodum Deus ad protoplaſtum noſtrum dicebat. Commiſcuit itaq; Seruator noſter ſaliuam pulueri, cæco viſum, & oculorum lumen redditurus, vt videlicet nobis oſtenderet, ad viſum humano generi per peccatum deperditum reſtituendum, neceſſariam fuiſſe, Dei ſapientiam per ſaliuam ſignificatam cum noſtra natura miſceri debuiſſe. Hoc autem totum in incarnatione contigit, non quod natura Diuina & humana ad inſtar pulueris & ſaliuæ confuſæ fuerint, ſed quod perſonaliter vnitæ, vnaquaque ab altera diſtincta permanente, prout Eccleſia cãtat; *Deus homo factus eſt, id quod fuit permanſit, & quod non erat aſſumpſit, non cõmixtionem paſſus, neq; diuiſionem*. Quod myſterium per præſens miraculũ ſignificatum, quoniam alio tẽpore ab Eccleſia nobis proponitur, idcirco diutius illi immorari non volens, obiter & velut per tranſennam dico, ſæpè ac indiſinenter Deo gratias agendas eſſe quod cum noſtra opera non indigeret, naturæ tamen noſtræ conuiri voluerit, vitam & viſum pariter nobis reparaturus. Pro quo illi beneficio laus, honor & gloria in ſempiterna ſæcula ſæculorum Amen.

Eccl. 24.

Gen. 3.

Et liniuit lutum ſuper oculos eius. Poſtquam limum illum ex ſaliua & puluere conflatum efformauiſſet, oculorum illi loculos & ſedes eo perunxit. Cũ enim cæcus eſſet oculos ſanè non habuit, qui vbi potentia viſiua exulat, reperiri etiã nõ poſſunt. Atque ex hoc loco exemplum elicimus, ſecuti videlicet doctrinam D. Ambroſij, qui ait Seruatorẽ noſtrum miraculo iſthoc ſuo demonſtrare nobis voluiſſe, quemadmodum ad ſpiritualem viſum recipiendum limo oculos intellectus noſtri perlinire debeamus, reuocantes nobis in memoriam, miſeriã fragilitatem & conditionem noſtram: Nam perfectionis Chriſtianæ initiũ eſt ſui ipſius proba cognitio. Quamuis autem heſterna me die nõnulla etiam ad hanc materiã congeſiſſe recorder, quia tamen

iſtiuſmodi facilè obliterantur, operę pretium fuerit fuſius & luculentius aliquando idem ſubiectum per tractare. Medicorum axioma eſt, malum cõtrarium contrario medio debere ſanari. Videamus itaque quibus modis mũdus nos excęcet, ex quo deinde intelligemus quibus pharmacis, ac medicinis deperditum ſemel oculorum lumen poſſimus recuperare. Mundus ergo hominẽ occæcaturus, aurum ob oculos illi cõſtituit, puluerem autẽ pedibus ſupponit, quemadmodum ex Nabuchodonoſoris illa ſtatua elucet, cuius oculi aurei, pedes verò argilacei erant.

Quod cũ primitiuæ Eccleſiæ Chriſtiani ac fideles intelligerent, quemadmodum D. Lucas commemorat, aurum & argentum ex bonis ſuis collectũ ad Apoſtolorũ pedes
Act. 4. deferebant: *Afferebant pretia eorum quæ vendebant, et ponebãt ante pedes Apoſtolorum*. Ad pedes enim aurum & argentũ, non autẽ ob oculos debet deponi. Præſtabit autẽ oculis cõſiderationis veſtræ puluerẽ vos ſuperimponere, quemadmodum ſolitariũ illum feciſſe apud Ieremiã legimus, qui ait: *ſedebit ſolitarius & tacebit, quia leuabit ſe ſupra ſe: ponet in*
Thren. 3. *puluere os ſuum.* Hunc quiſquis immutatus fuerit, hic ſe ſupr̃a ſe eleuabit, imò ſe ipsũ nõ aliter, quã terræ puluerẽ pedibus proculcabit: qui autẽ monito iſthoc ſpreto ſeipſos ſupra ſe attollere obliuiſcũtur, hi toti in eo ſunt alios vt ſibi ſubmittãt, ac in aliorum ventribus gradiantur. Omnia autẽ iſta Ieremias noſter cõplexus eſt, qui etiã alibi de ci-
Thren. 1. uitate per ſuperbiã ſubuerſa loquẽs inquit: *Sordes eius in pedibus eius, nec recordata eſt finis ſui*: vnde factũ eſt, vt arrogãter & ſuperbè de ſe sẽtire inciperet. Audite mihi Dauidẽ, cuius hæc maxima eſt, Deũ ſuper humiles oculos ſuos conijcere, vt videlicet illos ſubleuet atque extollat; quod ſi etiã quæritis vnde eos ſuſtullat; ac ſuſcitet, idẽ vobis Pſal-
Pſ. 112. miſta reſpõdebit; *Suſcitans de puluere egenũ, et de ſtercore erigẽs pauperẽ.* Quod ſi Deus ex puluere illũ ſuſcitat, quid aliud ſequitur, quam aliquamdiu in eò fuiſſe illum volutatum? Humilis certè aſſiduè in conſideratione pulueris ſui ex quo effictus, aut putredinis in quam per peccatum delapſus eſt, verſatur. Per hanc autem conſiderationem Deus illum illuminat, oſtendendo & demonſtrando illi ad oculum quiſnam ſit, atque vt vno verbo dicam per puluerem ex puluere illum ſuſtollendo. Nunc quoniam

Digitized by Google

atis ſuperque de exemplo quod Diuus Ambroſius ex mi raculo iſto elici poſſe oſtendit, dixiſſe videmur, videamus iam nunc etiam, quid cæcus noſter luminum & oculorum vſu recepto ab Euangeliſtis feciſſe prohibeatur.

Vade & laua in natatoria Siloe. Quamuis Seruator noſter infirmo huic ſuo iam ante remedium applicuiſset, viſum tamen illi reſtituere noluit, antè niſi virtutem obedientiæ exercuiſſet, quæ, ſicut alias à me dictum fuiſſe cōmemini cæca eſſe debet, & ideò conueniens erat ante eam à cæco illo exerceri, quam oculorum illi lumen reſtitui. Obſeruanda autem in primis etiam hoc loco fuerit promptitudo illa cum qua cæcus iſte Seruatori noſtro obediuit, tametſi multæ ſibi difficultates ſuccurerre poterant, propter quas minus expedite ei morigeraretur. Perſenſerat ille oculos limo ſibi oblitos fuiſſe, vnde exiſtimare poterat ludibrio ſe haberi, ſiquidem limus ad occæcandum, quam ad vllum reſtituendum aptior eſt. Cum autem deinde ita limo oblitus à Seruatore noſtro per vrbem ad piſcinam Siloe abire iuberetur, quid aliud perſuadere ſibi poterat, quam omnium riſui & cachinnis ſe iri expoſitum? Erat adhæc via non parum longa ex templo vſque ad piſcinam Siloe cuius locus poſt montem Sion à noſtris aſſignatur.

Cum ecce tibi nihil horum conſiderato cæcus noſter promptè & expeditè quo à Seruatore noſtro iuſſus erat diſcedit, & ſubitò ſanus ac videns reuertitur. Hanc promptitudinem vt notabilem & memoratu dignam, graphicè planè Euangeliſta noſter deſcribit, inquiens; *Abijt ergo & lauit, & venit videns*, poſtea autem idem cæcus quid factum fuiſſet, enarrans, dicit ſe à Ieſu Chriſto ad ſtagnum Siloe fuiſſe ablegatum, abiuiſſe, lauiſſe, & iam videre. Quę ego cum attentius conſidero in Iulij Cęſaris memoriam digredior, qui cum admirabili celeritate bello confecto victoriam retuliſſet, eandem promptitudinem ac velocitatem inſinuaturus tria tantum verba ad ſuos perſcripſit, *Veni, vidi, vici*: nolens idcirco copulas & coniunctiones adhibere, ne diutius illos ſuſpenderet, quibus extremam promptitudinem ac velocitatem volebat indicare. At videtur mihi Sanctus Euangeliſta noſter Ioannes maiore cum iudicio dixiſſe. *Abijt, & lauit, & venit videns*, & poſtea

in

in perſona cæci: *Abij, & laui, & video:* Adhibendo coniunctiones, vt nimirum nobis oſtendat, quomodo huius cæci obedientia ex præcepto Dominico dependebat, & quomodo ſanitas quam deſiderabat, obediētiam illius fuerit ſubſecuta. Mihi credite auditores ſexcenta, imò infinita miracula in priuatis veſtris domibus contingerent, ſi promptè & expeditè quod à Deo vobis iniungitur exequeremini, quaſlibet difficultates deuoraretis, omniaq; alia ſurſ;deq; ferendo vni voci Dominicæ morē gerere ſatageretis. Con-

Prou. 21. ſideraui ego aliquoties Spiritus S. illam ſententiam: *Vir obediens loquetur victorias:* dubitans, vtrum ea abſolutè intelligi deberent, cum præſertim fallibile videretur obedientem victorias reportare, & illas poſſe enumerare. At deprehendi ſub finem immotam illam, & infallibilē veritatem eſſe: dum enim obediens voluntatem ſuam voluntati ſuperioris ſui ſubmittit, victoriam de ſeipſo, & de ſexcentis alijs appetitibus refert. Volo aūt per victorias illas non ſanguinarias, & bellicas illas intelligi, ſed eaſdem planè de quibus Spiritus S. alibi loquitur dicens: *Melior eſt vir*

Prou. 16 *patiens viro forti, & qui dominatur animo ſuo expugnatore vrbium.* Quoniam autem certum & indubitatum eſt, neminem æquè animæ ſuæ imperitare, atq; eum qui voluntatem ſuam alterius voluntati ſubmittit: hinc abeſſe non poteſt, quin obediens continuas victoriarum materias nanciſci habereque poſſit. Quam ad rem vt antiquorum Patrum exempla & Hiſtorias quæ congeri poterant omittamus, quæro ex vobis Auditores, potuerit ne cæcus iſte de cæcitate triumphare, viſum recipere, more aliorum hominum tueri, abſque obedientia? Extra controuerſiam ſane eſt ſemper eū in cæcitate ſua permanſurum fuiſſe, niſi obedientiæ hanc virtutem exercuiſſet. Et erit omninò aliquis qui obediturus difficultatem facere audeat videns tā nobilem & præſtantem mercedem, obedientiam manere? Quid quod ea omnia quæ Seruator noſter ab inſtanti ſuæ concepionis vſq; ad animæ exhalationem tolerauit eo collimabāt, vt videlicet obedientiæ virtutem doceremur? Hoc

De gradibus humilitatis. namq; ſenſu D. Bernardus Paulinū illud interpretatur: *Et quidē cū eſſet Filius Dei, didicit ex his quæ paſſus eſt obediētiā* Obſeruate mihi, inquit D. Bernardus vocē illā didicit, quę nequaquā Seruatoris noſtri perſonę pōt attribui, qui ſicuti

æterna

æterna ſapientia erat, ita quod diſceret nō inueniebat. Referatur itaque vocula illa *didicit* ad corpus Dominicū quod eſt Eccleſia, ita vt hic ſenſus remaneat: Ieſus Chriſtus in membris ſuis quæ ſunt fideles obedientiæ virtutem per dolores quos inſtar capitis, pertulit, didicit. *Nam illa mors,* inquit Sanctus præfatus, *illa crux, opprobria, ſputa, flagella, quæ omnia caput noſtrum Chriſtus pertranſit, quid aliud corpori eius, id eſt nobis, quam præclara obedientiæ documenta fuerūt?* Idem nobis D. Petrus etiam ſignificare voluiſſe videtur 1.*Cap.* 2. cum diceret; *Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exēplum, vt ſequamini veſtigia eius.* Si enim is cum Deus eſſet, Patri vt ſuo obediret, mille pericula adire non dubitauit, imò ipſam mortem paſſus eſt, inclinans ad extremum caput, vt nobis ſignificaret ſe ex obedientia mori, qui terræ vermiculus facturus eſt, vt Deo morem gerat? Tale autem tu exemplum, ô homo Chriſtiane, talemq; etiam recompenſationem audiens bene monenti ac iubenti obedire non voles? O Felicem cæcum, qui cum tanta promptitudine obtemperauit! O Fortunatam obedientiā, quæ mercedis ac præmij loco oculos fuit promerita quibus ipsū Filium Dei intueretur! O beatos etiam illos, qui cæcum hunc promptè obediendo imitabuntur, ſcientes ſe certo Ieſum Chriſtum ſequi, quem ad extremum in cælo videbunt non iam mortalem, ſicut cæcus iſte, ſed impaſſibilem, ſed glorioſum, ſed immortalem.

Nonne eſt hic qui ſedebat mendicans? Cæcus iſte à piſcina Siloe reuertens in tantus fuit immutatus, ipſi vt illi, paulò qui ante eum viderant, iam videntem agnoſcere vix poſſent. Quod reuera mirandum non eſt: Viderant namque ante illum luminibus orbum, iam autem videntem comperiebant: Viderant ante limo oblitum, iam autem lotum & mundatum: Viderant ante ſcipione gradientem, & velut in tenebris ambularet quaqua verſum palpantem, iam autem expeditè incedentem conſpiciebant. Quis putaſſet hunc eundem illum eſſe qui ante erat? Mihi credite, melius & perfectius ſignum non eſt vt intelligatur integrè & perfectè ſanatos vos eſſe, quando à lauacro pœnitētiæ reuertimini, quam ſi vos mundus agnoſcere amplius non poſſit. Quod ſi vos agnoſcat, eoſdem illos eſſe videat ante qui fueratis, certum eſt plane vos ſanatos non eſſe:

Per-

Perfecta enim pœnitentia hominem in aliam creaturam debet transformare.

Pſ.67. Atque hoc ſenſu nonnulli Doctores Pſalmographi illud interpretantur. *Si dormiatis inter medios cleros, penna columbæ deargentata, poſteriora dorſi eius in pallore auri.* Quæ verba ita Fœlix Portuenſis traducit: *Si dormiatis inter medios cithropodes, vel inter ollas & cacabos, penna columbæ &c.* Id eſt, ſi inter ollas & cacabos dormiueritis, atque ex hinc nigredinem, ſordes, immunditiemque collegeritis, cum per medium prædicationis penitentiam facitis, candidi efficiemini, & oculis allubeſcetis non aliter quam columba plumis argenteis & dorſo aureo inſignita.

Hæc enim pœnitentiæ vis, hæc energia, hæc poteſtas eſt. Si itaque peccator qui ante loturam totus niger, ſqualidus, & ſordidus erat veluti aliquis, qui inter inferni cacabos, & ollas dormiuit, iam pœnitentiæ vnda ablutus, albus & niue candidior prodeat, quid mirum eſt ſi mundus eum agnoſcere non poteſt? An non recordamini, quemamodum doctor ille gentium ex æquo deiectus, ex Saulo Paulus, ex peſcatore prædicator, ex blaſphematore Apoſtolus effectus, cum Eccleſiam & Synagogam concionaturus ingrederetur, vniuerſa multitudo attonita fuerit? *Stupebant autem omnes*, inquit hiſtoria, *qui audiebant, & dicebant, nonne hic eſt qui expugnabat omnes in Hieruſalem, qui inuocabant nomen iſtud?* An non idem vobis planè id eſſe videtur cum eo quod Euangelium noſtrum de cęco dicit: *nonne hic eſt qui ſedebat mendicans?* Tales vos eſſe debetis auditores mei, ſi verè pœnituiſtis, ſi Dei manus vos percuſſit, ſi ex vſurarijs eleemoſynarij, ſi ex luxurioſis caſti, ſi ex iracundis faciles, ſi denique alium in hominem trāsformati eſtis, ita vt agnoſci amplius non valeatis. Quod ſi rurſus iracundi vt ante, iterum luxurioſi vt prius, denuò fęneratores vt primum, eſtis, certo ſcitote, integre vos ſanatos non eſſe, & bonam pœnitentiam nō feciſſe. Vultis ſcire qualem vera pœnitentia hominē efficiat? Audite quid

Act.9.

Lib.2.de pœn.ca.7 Diuus Ambroſius commemoret. Adoleſcens quiſpiam cum aliquandiu ſordidè ac venereè cum muliere quapiam conſueuiſſet, loco mutato & ſolo verſo concupiſcentiæ malum pœnitentia ſanare aggreditur: cum ecce iam ſanus, ad eandem è qua diſceſſerat vrbem reuertitur,

titur,quem vbi mulier cognouiſſet, pallio appræhenſum alloquitur: *Heus adoleſcens ego ſum*,cui ille. *Sed ego non ſum ego*. Tu eadem ſemper es,quia eadem carnalia deſideria habes,ego autem qui fui iam non ſum,quia in alium hominem me transformaui,vnde liquet pœnitentem contritionis aqua ablutum, ita nitidum fieri ac immutari verè vt cum adoleſcente illo dicere poſſit: *Ego non ſum ego*, aut cũ S. Paulo, *viuo ego iam non ego*. O te felicem quiſquis hoc dicere poteris! Certo ſcito verè te ſanatum eſſe,& cum te mundus non agnoſcat,filius Dei agnoſcet:cumq; te mundus auerſetur ac velut excommunicatum deteſtetur, Ieſus Chriſtus in ſuorum te amicorum numerum, cooptabit,& in hac vita gratia ſua, in ſequenti autem gloria ſua beabit, *Quam mihi & vobis,&c.*

CONCIO TRIGESIMA
PRO FERIA QVINTA
POST DOMINICAM LÆTARE.

Ibat Ieſus in ciuitatem quæ uocabatur Naim. Luc.7.

COgnoſcens Spiritus S. mirabiles ſane fructus & vtilitates quas ſeriò & ſtudioſè mors expenſa hominib. ſolet adferre, introducit apud Eccleſiaſticũ defunctorum aliquem,qui verba orationemq; ſuam ad viuentes conuertens, inter alia dicit: *Memento iudicij mei ſic enim erit & tuum. Mihi heri & tibi hodie.* Quæ verba conſideratione digniſſima,quoties cæmiterium aut ſepulchrum aliquod tranſimus, à nobis repeti & animo cogitationeq; reuolui deberẽt. *Memento*,inquit, *iudicij mei*:intelligens per iudicium mortem, tum quia illa diuini iudicij effectum eſt per quod Deus protoplaſtos condemnauit: tum quia in morte ſuper vnoquoque iudicium exercetur non multum ab eo diuerſum, de quo

in tertio libro Regum legimus. Vbi cum duæ mulieres pro filio acerrima contentione decertarent, & vtraque ſuum illum eſſe pertinaciſſimè aſſereret, Rex Solomon ad quem cauſa delata erat gladium adferri & puerum medium diſſecari præcepit. Hoc iudicium vti tunc tempo ris nequaquam adimpletum fuit, ita in cuiuſlibet hominis morte ac obitu multo quã certiſſimo exercetur; quippe cum homo filius duarum matrum ſit, quarum altera corpus, altera anima appellatur. Similiter cum ex hoc corporis ergaſtulo cuilibet noſtrum decedendum eſt, cogitare debemus, terram quæ mater corporis noſtri eſt, pro vt illam Iob appellat nos velle apud ſe habere: Ab alia autem parte cœlum quod viuentium terra eſt, & quod Apoſtolus cæleſtem Hieruſalem matrem noſtram vocat, iure quodam ſuo nos ſibi vindicare, quia nimirum animæ cæleſtes ſunt. Quo diſcrimine & concertatione præſuppoſita, cogitare debemus cæleſtem illum Salomonem Ieſum Chriſtum, vtriq; parti ſatisfacturum in mortis itaq; articulo hominem diuidi debere, ita vt Spiritus in cælum, corpus autem in terram reuertatur, iuxta Eccle-

Cap. 12. ſiaſtici illud. *Reuertitur puluis in terram ſuam vnde erat, & Spiritus redeat ad Deum qui dedit illum.* Atque de hoc iudicio defunctus ille noſter locutus fuiſſe exiſtimandus eſt, cum diceret: *Memento iudicij mei, ſic enim erit & tuum*: Quemadmodum enim corpus meum ab anima fuit ſeparatum, ita & tuum ſeparabitur, abſq; vlla exceptione ſpe aut diſpenſatione. Scitum enim ſancitumq; ſemel eſt, quod Apoſt. inquit:

Heb. 9. *ſtatutum eſt omnibus hominibus ſemel mori, & poſt hoc iudicium*. Eſt illud decretum in concilio & conſiſtorio ſacroſanctę Trinitatis, non contra beſtias aut bruta, ſed contra homines vniuerſos, in pœnam peccati protoplaſtorum, vt vidi ſemel mori neceſſe habeant, ac deinde ad iudicium abripiãtur vbi omnia illorum opera ſeueriſſimè examinabuntur, & pro ratione meritorum, merces vel ſupplicium illis conſtituetur: O Tremendum iudicium! O formidandum tribunal omnibus nobis conſtitutum eſt ſemel mori, & ab hac ſententia appellari non poteſt, prout Apoſt docet, & ante illum Eccleſiaſt. tradit:

Cap. 9. *Nemo eſt qui ſemper viuat, neque qui huius rei habeat fiduciã.* Quod tamen ipſum adeò formidandum non eſt, niſi iuxta con-

conſtaret *ſemel* nos tantum mori oportere, & poſt hanc mortem rigidiſſimum iudicium ſubire. Quis non perhorreſcat de diuino iudicio loqui audiens? Poteſtne aliquod opificium in mundo reperiri, quod antequam calleas, non aliquando imò multoties erres? Nullum mihi credite eſt, quod non vel vnius anni tyrocinium præcedat, quo tamen ipſo tempore qui artem diſcit, etſi vnã eamdéq; rem millies faciat, atq; frequentet, vix tamen ac ne vix quidem finem ſuũ conſequitur. Quis hoc negat, quis de veritate iſta infallibili ambigit? Nemo plane ſapiens ignorat, rerũ quæ in mundo ſunt difficillima eſſe, bene mori, addo neminem reperies, qui non confiteatur, ab hac vna cũ diſceſſeris nihil grauius poſſe reperiri: ſiquidem in illa æternitas pœnę aut gloriæ vertitur. Et quis tamen ſtupor eſt, nũquam huc animũ conuertere, & cogitationes ſuas defigere? ſemel tantum id fieri notorium eſt, & nũquid ſi in hoc ſemel erres, perditus ac deploratus es? Inſiſtamus ſane huic loco Auditores, & veritatẽ illam triſtitia plenam, & conſideratu terribilem examinatius aliquanto examinemus. Quis in ſartoria tyro thoracẽ confecturus nõ ante quid calleat aut in papyri particula, aut in lineo aliquo ſub tegmine, priuſquã ad opus ipſũ, quod perdere poterat, non experitur? At nunquid animam humanam quam duas fuſtagni vlnas minoris exiſtimatis? Et quoniam nõniſi ſemel mori poſſumus, quis non magnoperè expedire cenſeat, vt rectè id præſtes, mature te accingi, vitáq; tuam ad alicuius ſancti normã te comparare? Quis nõ intelligit, bonũ eſſe qualibet ſeptimana ſemel per conſiderationem mori, ſiquidem reipſa vno vnius aliquando ſeptimanæ die ſpiritum debemus exhalare? Quis non præclarum, & ſalutare exiſtimet, quotidie conſcientiam ſuam examinare, vt in quo ſtatu illa verſetur intelligas, & quamnam aliquando rationem de factis tuis in iudicio mortem immediatè ſequenti reddere valeas? Porrò adhæc vniuerſa Eccleſiaſt. ille ex mortuorũ numero concionator inuitat, dum ait, *Memento iudicij mei, ſic enim erit, & tuum*, atq; ne quis exiſtimare poſſit, poſt multũ temporis id futurum eſſe, ex templo ſubiungitur: *Mihi heri, tibi hodie*; ſubaudi moriendum, & ſub ſtrictiſſimo iudice periclitandum. Obſeruate mihi, per Deum vos obteſtor Auditores, loquendi illum modum: Non enim dicit *hodie*

Conſideratio de morte.

Eccl. 38.

mihi,cras tibi, ſed, *mihi heri, tibi hodie*. Hæc enim maxima
pigrorum peſtis eſt, quod nunquam ſe hodie morituros
eſſe cogitant, ſed id aut cras aut perendiè futurum ſuſpi-
cantur. Et ſunt omninò illi ex eadem categoria, ex qua
illi erant,de quibus Eſaias loquitur: *iugulare arietes,occide-
re vitulos &c. comedamus & bibamus, cras enim moriemur*.
Cap.22. Contra hanc noxiam & peſtiferam præſumptionem vni-
cum remedium eſt;illius quod defunctus noſter dicit, re-
cordatio: *Mihi heri & tibi hodie* Tale erat Senecæ conſiliũ,
quod Lucilio ſuo ſuggeſſit: *Quandoquidem neſcis vbi mors te
expectet, expecta tu illam in omni loco & tempore*: cui moni-
to iſtius,ille paruit,de quo in ſapientiæ libro legitur: *Iuſtus
ſi morte praeoccupatus fuerit, in refrigerio erit*. Recordamini
mihi hoc loco conſilij illius quod philoſophus quidam
alteri dediſſe perhibetur: *Vt moriens viuas, viue vt moritu-*
Cap.4. *rus!* Si æternum viuere deſideras,poſtquam in hoc mundo
vixeris,viue vt homo qui ſingulis momentis mori poteſt,
ſicque mors nunquam te imparatũ adorietur: *ſtultum enim
eſt homini, viuere in ſtatu,in quo nollet mori*,inquit D.Hiero.
Maneat inde vnicum contra hoc malum remedium eſſe,
mortem continuò præſtolari, quemadmodum Iob facie-
bat,cuius dictum,hoc eſt: *Cunctis diebus quibus nunc milito,*
Cap.4. *expecto donec veniat immutatio mea*. Vbi inter reliqua vocu-
lam illam nũc obſerua,quæ ſignificat omnes dies momẽ-
tum tantum eſſe, quippe cum ex omnibus nonniſi vnum
inſtans habeamus. Nam quomodo tu præteritum habes
quod præterfluit,quomodo futurum quod necdum adue-
nit, quomodo autem præſens quod inſtans tantum, imò
nunc aliquod eſt? Annotate deinde B. Iob vitam ſuam mi-
litiam appellare, vt videlicet oſtendat quamnam ob cau-
ſam in momenta ſingula mortem præſtolabatur. Vide-
bat ille vitam noſtram præter aſſiduam militiam nihil eſ-
ſe,quam nunquam non hoſtes impetant, & inimici ado-
riantur,à quibus vt te defendas, eorumq; te viribus ſub-
trahas,vigilandum excubandumq; eſt; tunc autem maxi-
mè quãdo in eorũ territorio ac limitibus verſaris. Homi-
nes nos vniuerſi ex quatuor elementis contrarijs compo-
nimur,quæ vitæ noſtræ dies minuunt & atterunt, adeò
vt ignem quendam in noſtris corporibus circumferre
videamur, omnem qui illius materiam depaſcitur, atque
con-

Digitized by Google

conſumit. Quæ malum ergo hæc dementia eſt, annos, imò ſæcula ſibi polliceri? Quis ſtupor eſt mortem non metuere? quæ ſtultitia non momentis ſingulis illam expectare? Quæ mentis occæcatio Eccleſiaſtici illi oraculo fidem nō arrogare; *Mihi heri tibi hodie:* Quod ſi tamen iſthæc omnia ſatis non ſunt, conijciamus ſaltem oculos in hodierni Euangelij ſcænam, videamuſq; quemadmodum mors hominem in flore ætatis conſtitutum, forma liberali præditum, facultatibus inſtructum, & viribus pollentem ſibi ſubiecerit.

Cum autem appropinquaret portæ ciuitatis. Ingrediens Seruator noſter ciuitatem, mortuum efferri, iamq; portæ appropinquare conſpicit, cū ecce tibi ille pedem figit, mortem adoritur, & prædam illi ſuam è manibus rapit, D. Ioann. Euang. in Apocalypſi ſua mortem equo inſidentem & venationi incumbentem, ita deſcribit: *Et ecce equus pallidus, & qui ſedebat deſuper, nomen illi mors, & infernus ſequebatur eum.* Cui cum etiam curriculum admodum ſpacioſum & amplum fuiſſet aſſignatum, neceſſe erat, equo illam inuehi, arma habere, gladio, fame, morbis & dentibus beſtiarum virulentarum eſſe inſtructum: *& data eſt illi poteſtas ſuper quatuor partes terræ, interficere gladio, fame, & morte, & beſtijs terræ.* Quis hæc audiens ſtatuere poſſit aliquem ſe illi ſubtracturum ac ſuffuraturum? Ecce tibi aliquem ex Hiſpania in Galliam peſtis metu perſequente fugientem: at ecce etiam mortem equo concitato inuectam, in loco ſalubri illum adorientem: vt videlicet oſtendat, nullum in toto terrarum orbe angulum reperiri, in quo illa iuriſdictionem ſuam exercere non poſſit. Non moratur illa nobiles, non curat iuuenes, non timet robuſtos, locupletes nō metuit, ſed omni ratione ſepoſita, quẽlibet inuolat, atq; aggreditur. Patet hoc ex hodierni Euangelij adoleſcente, cui nihil profuit vnicum eſſe, matrem viduā habere, & inter primores ac optimates, quod ex multitudine mortuum comitante colligitur, cenſeri. At ecce cū nihilominus mors trophęū illud manibus præſeferret, neminem exiſtimans prædam ſibi ſemel captam erepturum, adeſt confeſtim Ieſus Chriſtus, qui ſicut in mundum hunc vt mortē ſubiret, vitamq; nobis conferret aduenerat, ita nonnunquā demonſtrare voluit, ſe mortis Dominum eſſe, vt Cap. 6.

cum ipſe etiam paſſurus eſſet, voluntariam illam fuiſſe
Apoc. 1. conſtaret. *Ego ſum primus & nouiſſimus*, inquit in Apocalypſi, *& viuus, & mortuus, & ecce ſum viuens in ſæcula ſæculorum & habeo claues mortis, & inferni*. Hæc verba Seruatoris noſtri ſunt ex ſepulchro, & à morte reſurgentis quibus demonſtrat ſe verum Deum eſſe, cuius proprium ſit, principium omniumq; rerum finem eſſe. Quamuis autem mors vita illi eripuerit, poteſtatem tamen plenam & ab-
Rom 6. ſolutam in eum non habuit: *mors illi vltra non dominabitur: & ecce ſum viuens in ſæcula ſæculorum, & habeo claues mortis, et inferni*. Vtriſq; enim indigebat mortuos vt reſuſcitare poſſet: clauib. nimirũ inferni, quo illi animas reddere, & clauibus mortis quo illi corpora reſtituere imperaret; Vnde ſicut ſolus Redemptor noſter mortuos reſuſcitãdi poteſtatem habuit, ita ſolus ipſe dicere potuit. *Habeo claues mortis & inferni*. Quibus omnib. hactenus allatis eum deſcripſimus, qui ciuitatem ingrediens mortuum ad portas iam iam efferendum, offendit. Videamus etiam quis mortuus ille inpheretro ſit, quo manifeſtius intelligamus, quid Seruatorem noſtrum ad miraculum iſtud patrandum impulerit. *Ecce defunctus efferebatur, filius vnicus matris ſuæ*.

Mortui extra ciuitatem ſepeliũtur.

Ex hoc & alijs ſcripturæ ſacræ locis intelligimus hebræis in more poſitum fuiſſe, mortuos extra ciuitates, & in locis abſtruſis ſepelire. Vnde nonnulli ſuſpicantur Diaboli hãc inuentionem fuiſſe, qui memoriam mortis ciuitatum inquilinis tollere volens, mortuorum plane neminem in ijs ſepeliri, tumulariq; permiſit. Ideò enim ſepulchra monimenta appellantur, quod videlicet ipſa muta ac tacentia, finis nos noſtri commonefaciant, ſimulque nobis ſignificent causã nos eſſe, quare Diuina Maieſtas nec corpora bonorum immediatè poſt mortem remunerari, nec malorum ſupplicijs affici voluerit: Hinc ſepulchra duorũ nobis refricant memoriam. Primo, in quantum Deus peccatum deteſtetur, ad quod plectendũ & puniendum mortem in mundũ introduxit. Sepulchra enim ad inſtar rotarũ & patibulorum ſunt, quę quiſquis tranſit, is tacito quodam ſenſu monetur, niſi eandem ſortem ſubire velit, ſimilibus ſibi facinoribus abſtinendum eſſe. Secundo, vt corpora inter nos & ſub nobis ſepulta mortalis noſtrę conditionis vnumquemque commonerent. Atq; ex hoc Pau-

linum

ſinum illud ad Hebræos intelligimus: *& hi omnes teſtimonio fidei probati, non acceperunt repromiſſionem, Deo pro nobis melius aliquid prouidente.* Vbi D. Anſelmus & D. Thomas ad verba illa *non acceperunt repromiſſionem,* obſeruant, corpora ſanctorũ, ideò inter nos ſupereſſe ac ſepeliri, vt mortalis noſtræ conditionis nos commonefaciant, & in quãtum Deus peccatum, in cuius pœnam etiam ſanctos mori voluit, auerſetur, oſtendant. Ob eaſdem plane rationes Sancta noſtra mater Eccleſia, corpora defunctorum non in locis deſertis & abditis tumulari, ſicut apud Hæbreos neque pyræ imponi aut cremari voluit, ſicut apud Romanos moris erat, ac multo etiam minus à cognatis comedi, quod Maſſagetis aſcribitur, neque canibus deuoranda obijci, quod barbaris nonnullis attribuitur, ſed iuxta baſilicas & templa ſepeliri, vt ipſa populi ad illa confluentes frequentia, nunquam non moriendum ſibi eſſe recordaretur, animasq; illas quæ aliquando cum corporibus viuificandæ ſunt, Deo commendaret, & quod à carne dependet, auerſaretur. Legimus in vitis Patrum religioſum quendam muliercülæ amore exæſtuãtem in eiuſdem ſepulchrũ conceſſiſſe, ibiq; ſtrophiolum ſuum cadaueris putoribus admotum & appreſſum naribus cum hoc epiphonemate admouiſſe: Ecce odorem illius quam amas, huc omnis mundi pulchritudo peruenit. Quo dicto ac etiam facto omnis illa tentatio, qua hactenus affligebatur confeſtim euanuit. Ad eũdem mihi modum vos auditores mei perditionis veſtræ cauſas examinate. Corrumpit te, neſcio cuius mulierculę pulchritudo? Ingredere mihi Eccleſiam, adi ſepulchrum, aſſide tumulo formoſiſſimæ, tuoq; adhuc tẽpore viuentis mulieris, & pauliſper conſidera, quo omnis illius pulchritudo & elegantia diſceſſerit. An exiſtimatis vos venuſtiorem ac ſpecioſiorem mulierem quam Iezabel potuiſſe reperiri, quæ pictis oculis, coloratis capillis, ceruſſata fronte, ſtibiatis genis, & miniato ore Regẽ Iehum illicere, corrumpereque conabatur? Itane verò? vidit & conſpexit illam Rex, vnoq; intuitu mulierculæ maieſtatem admirãs, de feneſtra illam pręcipitari iuſſit, vnde mox pedibus equorum proculcata, & a canibus deuorata fuit, ſolo capite, pedibus & manibus integris remanentibus, vt ex eorum indicijs cuius cadauer eſſe, intelligeretur.

Cap. 11.

4. Reg. 9.

tur. Quam terribilem immutationem qui eam ſepelituri erant ſerui conſpexiſſent, admiratione perculſi, dicebant: *Haeccine eſt illa Iezabel*. Hæccine inquam illa quæ mundo dominabatur? Vbi illius forma, vbi elegantia, vbi pictæ genæ, cincinnati capilli, fucata facies, & vultus vniuerſi decor, & maieſtas? O præclaram conſiderationem, & ad mũdi huius mundum contemnendum, omnemq; prorſus ſuperbiam deijciendum apprimè vtilem & ſalutarem; Cõtemplamini mihi parũper ſepulchra illa Chriſtiani, quæ quotidiè oculis & pedibus obitis, intuemini paulisper illa cum aperiuntur, & videte quis pulcherrimus, aut quæ formoſiſſima fuerit. Videbitis calamiſtratam cæſariem in puluerem conuerſam, calua capita, arroſas nares, vermes ex oculorum peluibus proreptantes, ipſumque adeò corpus ſanie & tabe diffluens, vt vos ipſos odiſſe incipiatis, tale quod aliquando cadauer amaueritis. Porro ad has tam excellentes & ſalutares cogitationes in nobis excitandas Eccleſia nobis hodie adoleſcentem defunctum ob oculos conſtituit, dicens: *Ecce defunctus efferebatur, filius vnicus matris ſuæ*. Vbi ex duobus poſtremis verbis duo ſuſpicari poſſumus: Primò quod vnigenitus fuerit, & quod præter illum mater ſua alium non habuerit. Secundo, quod impenſiſſimè ab illa fuerit amatus; ita namque
Prou. 4. non raro ſcriptura ſacra dicit: *Ego filius fui Patris, mei tenellus & vnigenitus coram matre mea*. Vbi vox, *vnigenitus*, ſi-
1. Parat. 3. gnificat, *vnice dilectus* nam Salomon non fuit vnigenitus Berſabeæ, quæ alios quoque liberos habuit, ſicut ex libro primo Paralipomenon liquet. Quare cum Euangelij noſtri hiſtoria docet filium hunc vnicum matris ſuæ fuiſſe, ſignificare vult, eum non vnigenitum, ſed vnicè à matre fuiſſe dilectum. Vnde nihil dicere vereor inter reliquas etiam cauſas, propter quas Deus illum matri ſuæ eripuit, etiam hanc fuiſſe, quod videlicet nimium temerè ac perditè diligebatur. Recordari vos credo Auditores, quemadmodum Deus in ſcriptura ſacra Zelotem ſe ap-
Exod. 20.24. pellet: *Ego ſum Dominus Deus tuus fortis Zelotes*. Planè ac ſi dicat: Prohibeo tibi Deos alienos adorare, quia videlicet ergo Deus fortis & zelotes ſum. Quatenus ergo zelotes, competitorem non feram, quatenus fortis, iniurias mihi illatas vindicare potero Sunt nonnulli mariti, quos
tu

tu quidem fortes nō autem zelotes poſſis appellare, quod videlicet non indignantur, cum mulieres ſuas alieno marito arridere conſpicantur. Sunt,& alij,quos tu bene zelotes,minimè autem fortes,& magnanimos appellabis,qui etſi minima recula offendantur, ipſiq; etiam Soli vxores ſuas irradianti indignentur, hiſcere tamen contra non audent, quia animo ad vindictam ſumendam deſtituuntur. Ad me autem quod attinet,inquit Deus, *Fortis ſum,& zelotes*,quia competitorem,qualemcunque demum perferre non poſſum. Deus nos auditores ab iſtiuſmodi zelote,qui ſe vindicare poteſt,conſeruet. *Fortis eſt vt mors dilectio*, inquit ſponſa in Canticis,& confeſtim ſubiungit. *Dura ſicut infernus æmulatio*. Vbi enim amor ad inſtar mortis fortis eſt,illic dubium non relinquitur,quin zelotipia,& æmulatio, nemini parcens atq; ignoſcens, vt infernus crudelis ſit futura. Vnde fit,quod ſicut amor, quo Deus erga nos fertur,qualibet morte fortior eſt,ita quoque illius æmulatio, & zelotipia inflexibilis ac inſtar inferni implacabilis ſit. Amans proinde hominem aliquem, pati non poteſt, vt is impenſius, & perdite alium amet: vult enim ſolus corda noſtra, vult illa integra, & quamuis illi optimam eorum partem aſſignemus, ſi tamen etiam idolum admittimus,grauiter excandeſcit, & indignatur. Huius rei manifeſtam confirmationem, nunquid expectatis? An non recordamini,quemadmodum in templo Phyliſtinorum idolum Dagon, iuxta arcam ſuam collocatum euerterit, pedibus,& manibus priuauerit?Quis zelotipus tale aliquid attentauiſſet? Quis corriuali ſuo, ne amplius limen Helenæ ſuæ olfacere poſſet,nares reſecare voluiſſet?at ecce tibi Deus non modo nares illi amputauit,ſed manus et præſcidit,ne ſe aliquando defendere, aut amatoriam aliquā fœdam exarare poſſet. Atq; hoc ipſum Samuel nobis indicare voluit, quando ad populū ſuum dixit: *Si in toto corde veſtro reuertimini ad Dominum,auferte Deos alienos de medio veſtri, Baalim,& Aſtaroth,& præparate corda veſtra Domino,& ſeruite illi ſoli,& eruet vos de manu Philiſthym.* Vultis vos Audit. opes,& fortunas veſtras cōſeruare?nimis impenſè eas amare nolite. Vultis filios veſtros vobis ſupereſſe?non nimis tenerè,ſed in Deo,& propter Deū illos diligite: Certò ſcientes, Deum, ſi impenſius illo,ametis, eos vobis erep-

Cap. 8.

1. Reg. 5.

1. Reg. 7

tum

turum eſſe. Requirit hoc illius miſericordia, vt omnem veſtrum amorem, & affectum colligentes, eum ad ſolam Diuinam maieſtatem conuertatis Intelligebat præclare hanc Dei mentem eſſe deuota illa matrona Melania, de qua S. Hieronymus ſcribit, quod poſt mariti, atque adeò etiam ipſius ſui vnigeniti mortem, oculis ad cælum ſubla-

Epiſt. 25 ad Paulam. tis, ita Deum fuerit affata: Intelligo mentem tuam Deus meus, totam me tuam eſſe vis ecce contenta ſum, & tua ſolummodo eſſe volo. Conemur, & nos iſthoc modo Diuinam ſententiam intelligere, vt voluntate Dei perſpecta, nihil deinceps plus æquo deperiamus: Cogitantes continuò in quam nos rem oculos mentemque noſtram coniecerimus, in eam illum manus confeſtim immiſſurum eſſe, quemadmodum viduę huic fecit, quam vnigenito ſuo, quē vnicè diligebat priuauit.

Et hæc vidua erat. Inter omnia exercitia quibus viduæ incumbere poſſunt, nullum Deo proinde gratum eſt, ac mortuos comitari, & ſæpenumero illachrymari Hinc nō-

Cap. 1. nulli canticorum illa verba: *Pulchræ ſunt genæ tuæ ſicut turturis*, ad viduas accommodant, quippe cum luce meridiana

Viduitatis ſymbolum. clarius ſit, turturem viduitatis ſymbolum eſſe, ſiquidem ſocio ſuo amiſſo, limpidam amplius non bibit, viridi ramo non inſidet, ſed continuo gemit, & ploratum imitatur. Ita viduæ cum corde aſſiduo gemunt, & ſuſpirant, ipſiſq; oculis lachrymarum riuos deducunt, Deo gratiſſimæ acceptiſſimæq; ſunt. Auctor eſt Plutarchus, viduarum lachrimas plurimum fidei, & virium apud Deum habere, vnde quotquot cauſam ad illas profundendas præbent, cauere ſibi debent, & iratum numen formidare *Non deſpicias viduam*,

Cap. 35. inquit Spiritus S. apud Eccleſiaſticum, *ſi effundat loquelam gemitus.* Vbi mirabilem illam loquendi rationem aduerte, quod videlicet gemitus viduarum verba vocantur, vt cōſtet, eam in tantum ſilentium ſeruare oportere, vt etiam cum Deo loquens, alia verba quam gemitus, & ſuſpiria non adhibeat: cauens ſolicite, ne ex earum numero ſit, de quibus S. Paulus loquitur, dicens: *Diſcunt circuire domos,*

Tim. 5. *non ſolum otioſæ, ſed & verboſæ, & curioſæ.* Poteſtne maius monſtrum excogitari, quam viduam aliquam loquacem, & garrulam reperiri?

1. Cor. 11 Quis ignorat mulieris caput virum appellari, iuxta ip-

ſius

ſius D. Pauli opinionem? Mulier ergo quæ maritum perdidit, trũcum corpus, & acephalon eſt, in cuius rei ſignum viduitatis peplum circumfert. Porrò truncum aliquem mirabiliter garrire quis nõ monſtri loco duxerit? Cincinnos, calamiſtrum, omnemque reliquum mundum muliebrem, in corpore circumferre, ac caput tamen non habere, nunquid portento ſimile eſt? Quid ego hoc loco de vicinorum viſitationibus, & aſſiduis circumcurſationibus dicam? Refert idem qui ſupra Plutarchus ſui temporis viduas lunæ inſtar fuiſſe, quæ ſole apparente latet, ac eodem delitente apparet. Quantum tu nũc viduarum reperiri putas, inquit ille, quæ maritis viuentibus, & inſtar ſolis domus ſuæ hœmiſpherium obeuntibus, in angulo intraque parietes delitebant, non diſſimiles illis de quibus Pſalmiſta inquit: *Vxor tua ſicut vitis abundans in lateribus domus tuæ*. Quæ tamen poſt obitum maritorum *diſtunt circuire domos*, & nunquam intra priuatum ſe limen cõtinere. Iſtiuſmodi ſanè Lunæ quam ſimillimi ſunt, atq; vtinam vel eo modo eſſent, quo iam nunc dicturus ſum. Vti luna ſolis luce deſtituta mœret, triſtatur, & obſcuratur, ita vxor marito defuncto, & capite ſuo perdito inſtar turturis gemere debet ac ſuſpirare. Atque de his mihi viduis Spiritus S. locutus fuiſſe videtur, quarum ſuſpiria ne cõtemnamus monet, ac præcipit, confeſtimque dicti ſui cauſam adiungens, ait: *Nonne lachrymæ viduæ ad maxillam deſcendunt, & exclamatio eius ſuper deducentem eas? A maxilla enim aſcendunt vſque ad cœlum, & Dominus exauditor non delectabitur in illis*: ſequens illud quod in Exodo legitur, & ſufficiens ad eradicandum omnes illos, qui viduas moleſtare non verentur *Viduæ, & pupillo non nocebitis*, inquit Deus, *ſi læſeritis eos, vociferabuntur ad me, & ego audiam clamorem eorum, & indignabitur furor meus, percutiamq́ vos gladio, & erunt vxores veſtræ viduæ, & filij veſtri pupilli*. Obteſtor vos per viſcera miſericordiæ Dei Auditores, vt verba iſthæc non tantum audiatis, ſed etiam obſeruetis. Quantum vos hic in Rebuſpublicis veſtris viduarum eſſe exiſtimatis, quæ ideò tãtum viduæ ſunt, quia illarum mariti alias aliquando viduas malè tractauerunt? nolite mihi quæſo viduarum vllam moleſtare, Deus enim eſt *Pater Orphanorum, & Iudex viduarum*. Nihil in totis Sacris litteris toties nobis commenda-

Pſ. 127.

Eccl. 35

Cap. 22.

Pſal. 67.

mendatur, quam vt viduas conſolemur: Cauete proinde ad lachrymas illas prouocetis: conſiderantes, plurimum illas apud Deum poſſe, & quod propter illas, Seruator noſter in hodierno Euangelio vrbem ingrediens ſubſtitit, viduam conſolatus eſt, & filium reſuſcitauit.

Nō prohibemur flere. *Miſericordia motus ſuper eam dixit illi, noli flere.* Quib. verbis Seruator illi noſter non flere, ſed flendi voluntatē prohibuit. Illacrymabatur enim illa propter ius, quod natura habet, vt mortuos ac defunctos illi deflere liceat. Vult ergo tantum voluntatem à ratione gubernari, & nimium dolorem moderatione quadam inhiberi: Ita vt verborum ſenſus ſit, abijce voluntatem, muliebriter, & immoderatè nimis plorandi. Adhunc namque etiam modum D. Paulus faciendum eſſe conſuluit dicens: *Nolo vos ignorare de dormientibus, vt non contriſtemini ſic vt, & cæteri*

1.*Theſ*.4 *qui ſpem non habent*. Et Spiritus S. apud Eccleſiaſt. *Super mortuum tuum plora, & ſuper fatuum plora*, verum cum hæc

Cap.22. cautela, *Modicum plora ſuper mortuum, quoniam requieuit*, plurimum verò ſuper mortem fatui. Vbi fatui nomine peccatorem deſignat, prout ex ſequentibus liquet: *Nequiſſimi enim nequiſſima vita*. Confiteamur proinde Auditores, nimium nos ſæpenumerò mortem corpoream, & defunctos proximos deplorare; ac non multo magis mortis ſpiritualis meminiſſe, quam ſi fratres noſtros animas non habuiſſe crederemus: *Non ſunt in te viſcera charitatis*, inquit S. Auguſt. *Si defles corpus à quo receſſit anima, & non defles animam à qua receſſit Deus*. Hoc mihi itaque lachrymæ plorent, hoc omnes ſerui ac ſeruæ Dei ſuſpirēt. Narrat D. Ioannes cap.7. ſuæ Apocalypſeos, quattuor ſe Angelos vidiſſe, qui quattuor plagis mundum plectere decreuerant, quintum autem ijs præeuntem exclamauiſſe: *Nolite nocere terra, & mari, neque arboribus, quo ad vſque ſignemus ſeruos Dei noſtri in frontibus eorum*. Verum quinam

Ezech.9 illi ſerui Dei ſint quos ſignari oportet? Huic quæſtioni Propheta Ezechiel reſpondere videtur, dicens ſe hominē candidis veſtitum, ac in cingulo atramentarium portantē conſpexiſſe, vnaque vocem ſibi dicentem audiuiſſe. *Tranſi per mediam ciuitatem, & ſigna Thau ſuper frontes virorum gementium, & dolentium ſuper cunctis abominationibus, quæ fiunt in medio eius.* Vnde colligimus eos Dei ſeruos appellari, & cœli-

cœlitus ſignari, qui lachrymas propter peccata effundũt, non autem propter tranſitoria,& caduca iſta,quæ vti nullius momenti ſunt,ita ploratu,nec perdita recuperantur, nec perdenda retinentur. Iam vtrum tales lachrymas,& talem ob finem vidua hodierni Euangelij effuderit, dicere non poſſum: illud autem certò ſcio, Seruatorem noſtrum ijs ad compaſſionem motum, vnigenitum illius reſuſcitaſſe. Quod quam facilè præſtitu illi fuerit, vel ex eo, quod ante diximus liquet, quia videlicet eum mortis, & inferni claues habere demonſtratum eſt. Harum alterum tunc adhibuit,quando animam ex loco ſubterraneo reuocauit, alteram tunc vſurpauit, quando mortis carcere eſfracto, defuncti corpus protraxit, & quatuor his verbis, *Adoleſcens tibi dico ſurge*, rurſus animauit. Supereſt nunc hoc loco Audit. quilibet vt noſtrum in mortuum hunc oculos conijciens, cogitet,quod heri alijs contigit,ſibi hodie euenturum: quo ita hac recordatione ad rem omnium difficillimam,puta benè mori, maturè & ſapienter præparati, hic gratiam, illic verò gloriam inueniamus, *Quam mihi & vobis*,&c.

CONCIO TRIGESIMAPRIMA
PRO FERIA SEXTA
POST DOMINICAM LÆTARE.

Erat quidam languens Lazarus à Bethania. Ioa. 11.

QVOTIES Audit. vnionem, ac concordiã illam, qua non aliter quam arctiſſimo vinculo fratres, & ſorores in hodierno noſtro Euang. cõpræhenſæ colligabantur, conſidero toties mirari non poſsũ, Seruatorem noſtrum pacis autorem,& amatorẽ, adeo familiariter cum ijs cõuerſatũ,ac quibuslibet etiã benedictionib. eas augere voluiſſe. Memini.n.Regem Dauidem nomine Dei fratribus Pſ. 132.
concorditer viuentib. ita acclamare; *Ecce quã bonũ,& quã*

iucundum

Ser.2. ad fratr. in Eremo. *iucundum habitare fratres in vnum*. Huius Pſalmi ſonus inquit D. Auguſt. æquè ſuauis eſt atque ipſa charitas, de qua tractat. & quãuis celeri motu voluatur, ſcatet nihilominus myſterijs, & pauciſſimis verbis elegantiſſimas metaphoras, & admirabiles ſententias comprehendit. Ideò à voce *ecce*, illum inchoat, quæ in ſcriptura S. rerum planè memorabilium, quæ à nobis dicendæ ſunt, nota eſt. Porrò præter D. Auguſt. Euthymius etiam eximius huius loci interpres, duo rerum genera in hoc mundo reperiri obſeruauit, quorum alterum eas continet, quæ quidē bonæ, ſed non gratæ; alterum eas gratæ, & acceptæ, non autem æquè bonæ ac ſalutares ſunt. Ita martyrium vigiliæ, ieiunia, & alia pœnitentiæ, ac mortificationis opera bona, ſed ingrata ſunt, quia videlicet carnali appetitui aduerſantur. Econtra autem etſi conuiuia, luſus, & aliæ voluptates ac recreationes per ſe iucundæ ſint, nihil tamen in ſe habent, bonas cur eas poſſis appellare.

Vt autem intelligas, quantum bonum vnio, & concordia fraterna ſit, tum quantam etiam ſuauitatem complectatur, græcum mihi textum introſpice, & ita lege: *Quid bonum & iucundum, niſi habitare fratres in vnum?* Planè, ac ſi nihil in vniuerſo terrarum orbe reperire ſit, quod bonum, & iucundum videatur, niſi id in vnione & concordia fraterna quæratur. Ac vide quam pulchrè idipſum duabus ſimilitudinibus declaretur.

Sicut vnguentum in capite, quod deſcendit in barbam Aarō, quod deſcendit in orum veſtimenti eius. Planè ac ſi dicat: Concordia vnguento ſimilis eſt, quo ſummus Sacerdos Aaron inungebatur, quod ex capite illius defluens, ac in barbam deſtillans, extimas etiam veſtimenti oras attingebat. Quēadmodum ergo vnguentum illud bonum dicebatur, quia gratum, & ſalutare, propter optimum quem exhalabat odorem erat: Ita concordia inter fratres optima, iucundiſſimaque eſt. Quod ſi etiam per bonum illum odorem, bonam famā intelligere volumus ſecuti metaphoræ vim, q̄
2. Cor. 2. D. Paulus vſurpat, & D. Auguſt. non reſpuit, dicere poſſumus Dauidem per hæc verba, inſinuare voluiſſe fratrum concorditer, ac vnanimiter inter ſe viuentium famam per totam Rempublicam diffundi, nullaque adeò re facilius bonum nomen quam concordia, & vnione comparari.

Porrò

Porrò vt etiam conſtet, eandem fraternam concordiam non bonam tantum, ſed vtilem etiam ac ſalutarem eſſe, hinc Dauid rori montium Hermon, & Syon illam comparat, Planè ac ſi dicat, ſicut Ros cœlitus deſcendens, campos agroſque fœcundat, ita fraterna vnio, quæ cœleſte donum eſt, facultates omniaque bona quibus homines egent, amplificat atque augmentat. Et quid miramur ſi fraternè, & vnanimiter viuentibus omnia feliciter cedũt? *Quoniam illic mandauit Dominus benedictionem, & vitam vſque in ſæculum*. Atque ob has ego cauſas in fronteſpicio concionis meæ non mirari me dicebam, Lazarum, Martham, & Magdalenam, adeò familiarem ſibi Seruatorem noſtrum habuiſſe: Ego enim arctiorem vnionem, & copulam ſtrictiorem, quam inter illos erat, vix reperiri potuiſſe exiſtimo. Conſiderate proinde tres iſtas perſonas, Lazarum dico, Martham, & Magdalenam, opibus, & diuitijs vndequaque inſtructas, neque tamen aliter repræſentatas, quam ſi omnes tres vna in domo habitauiſſent: ſiue cum inuicem epularentur, quemadmodum de liberis Iob legimus: ſiue cum vna degerent, quod probabilius eſt, & maximè poſt conuerſionem Magdalenæ; ſiue cum ſimul ægrotãti Lazaro aſſiderent. Quicquid autem fecerint, egerintque, illud certò conſtat, concorditer ac vnanimiter ſemper illas vixiſſe, non ſolum corde, & affectione, ſed etiam conuerſatione, & bonorum communicatione, quæ mihi credite, omnis veræ fraternitatis lydius lapis eſt. Inuenias tu enim noſtra hac ætate permultos fratres, qui canum quandam concordiam inter ſe fouentes tam diu pacem & concordiam alunt, donec ad oſſa & comedendum perueniatur: Tunc enim repente capitali odio à ſe inuicem diſſident, dentes alter alteri infringunt, ipſo illo etiam, cui os relinquitur, proprios ſibi dentes excutiente. Refricate mihi pauliſper memoriam, ac videte, quantum veſtra memoria illorum fratrũ vixerit, qui cum ꝙ partirẽtur non habebant, in pace & vnione, quod fraterna charitas requirebat, vixerunt, ſimulac autem ſucceſſio, ac hæreditas aliqua adeunda fuit, tum verò certatim boni temporalis os arrodentes, tribunalia & iudicum ſubſellia percurſarunt, mutuò ſe diffamarunt, alter alterum occiderunt, illo ipſo cui melior portio obtigerat luculentiſſimo damno

Iob. 1.

no affecto. Ad horum & ſimilium confuſionem Scriptura
Gen.13. ſacra admirabile illud de Patriarcha Abraham, & illius cognato Loth exemplum nobis proponit. Cum enim horum paſtores de paſcuis inter ſe iurgarentur, Abraham in medium proceſſit, & ita illos compellauit; Conijcite mihi oculos in hanc terrã, & quocunque vultis eligite vobis paſcua quæ cõmodiſſima videbuntur: *Et ne quæſo ſit iurgiũ inter me, & te, inter paſtores meos, & paſtores tuos, fratres enim ſumus.* Vnde grauiſſima infamia nos ſequeretur, ſi conſtaret propter rem terrenam, & momentaneam diſſidium, ac diſcordiam inter fratres fuiſſe exortam. At quanta bone Deus confuſio, & ignominia eos conſequetur pluris qui bonum priuatum quam fraternitatem facient? Mihi cre-
Cap.9. dite Auditores, loquitur de iſtiuſmodi perſonis Propheta Ieremias cum ait; *Vir fratri ſuo non parcet. Vnuſquiſque car-*
Cap.5. *nem brachij ſui vorabit, Manaſſes Ephraim: & Ephraim Manaſſem, & ipſi ſimul contra Iudam. Quod ſi inuicem mordetis, & comedetis*, inquit S. Paulus ad Galatas, *videte ne ab inuicem conſumamini*: quotquot autem diſſenſionis, ac diſcordiæ illo vitio laborant, ij mihi mentem oculoſque in Abraham & Loth conijciant, aut ſi malint tres illas in hodierno Euangelio perſonas conſiderent, quæ cum omnes diuites opulentæque eſſent, nulla tamen ibi diſcordia, nulla diſſenſio, nulla animorum violenta diuulſio locũ habuit.

Cuius frater Lazarus infirmabatur. Interrogabit forſitan non nemo ex vobis Auditores, quidnam illud Iudicum 9. ſit, vbi cum Gedeon Angelus ſalutauiſſet, dicens: *Dominus tecum virorum fortiſſime*, ille reſpondit, ac iuxta interrogauit: *Obſecro mi Domine, ſi Dominus nobiſcum eſt, quomodo nos apprehenderunt hæc mala?* Ac eſt omninò hoc ſecretum quod caro intelligere nõ poteſt, quomodo videlicet Deus & miſeriæ, infirmitateſque ſimul poſſint reperiri, vel quomodo Lazaro Ieſus Chriſtus familiaris ſit, ac optimè velit, & nihilominus non modo illum infirmari, ſed mori etiam patiatur. Caro hoc inq̃ intelligere non poteſt, dicen-
1.Cor.3. te S. Paulo: *Animalis homo nõ percipit ea, quæ Dei ſunt.* Hinc
Exo.3. namque Moyſi imperatum fuit, vt Deum in rubo & igne ſibi apparentem viſurus, calceamenta ante exueret, quia videlicet homo mortalis ſecretum illud penetrare non
Pſal.72. poteſt. *Exiſtimabam, vt cognoſcerem hoc*, inquit Dauid, lo-
quens

quens de hominibus Sanctis, & amicis Dei, qui plerumque præ cæteris affliguntur, & confeſtim ſubiungit: *Labor eſt antè me, donec intrem in Sanctuarium Dei, & intelligam in nouiſſimis eorum*. Impoſſibile enim eſt, hominem ſecretum iſtud intellectu ſuo penetrare, priuſquam ſanctuarium Dei ingrediatur, & in lucidiſſimo diuinæ eſſentiæ ſpeculo, quid Deus intenderit, & quid quemlibet noſtrum facere voluerit, adamuſſim intelligat. Illud tamen nobis indubitatum eſſe debet eos qui Deo amici familiareſque ſunt, nunquam afflictionibus, miſerijs, & ærumnis carere.

Et quamuis plena ac perfecta materiæ huius cognitio in illud tempus reſeruata ſit, quando videlicet Deum in Gloria ſua ſumus ſpectaturi, attamen cum omni humilitate cauſam,& rationem rei huius inueſtigauiſſe,non modo licitum, ſed vtile etiam ſalutareque eſt. Noſtis credo vos Auditores vetus illud prouerbium: *Amicorum omnia ſunt communia*. Cuius rationem Plato reddens, inquit, Amicos,poſtquam corda,& animos communicauerunt, fidem veræ amicitiæ permittere non debere,vt id quod minus eſt ſibi mutuo denegent, puta facultates, honorem, ſanitatem, & vitam. Quod ſi lex iſta inter homines obtinet, citra controuerſiam eſt, accuratiùs eam inter Deum ac illius amicos obſeruari, quippe qui hac conſideratione inducti, omnia quæ ipſi habent, Diuinæ diſpoſitioni permittunt, facileque patiuntur Diuina vt maieſtas ijs ad ſuam gloriam, & pro ſuo libitu vtatur, & reſpexit huc S. Paulus cum diceret: *Magnificabitur Chriſtus in corde meo,ſiue per vitam.ſiue per mortem*. Quin,& Iob intimus Dei amicus,& familiaris,eleganter admodum,& accuratò doctrinam illā declarauit dicens: *Anima eius quodcumque voluit, hoc fecit.Cumq; expleuerit in me voluntatem ſuam, &c. praſto ſum*. O quantum in duobus iſtis verbulis,*praſto ſum*. continetur! Deus dicit,Age Iob ad confuſionem Diaboli,domo tua,& armentis tuis indigeo:cum ecce Iob ſucclamat, *praſto ſum*, Da mihi liberos,da filios, da filias, reſpondet Iob,quod tibi libuerit facito, ego enim *praſto ſum*. Iam ſi etiam oculos in Abrahamum conijcias,nunquid idē planè in eo inueniens? Egredere de terra tua,inquit Deus. Quid hic Abraham? *Preſto ſum*. Vitam filio tuo eripit neceſ-

Phil.

ſe eſt; quid iſte? Fac quod tibi collibitum eſt Deus meus, nam ego *praſto ſum*. Denique quotquot Deum amicos habuiſſe videbitis, omnes illos hac illi parendi promptitudine excelluiſſe conſpicietis: quod videlicet exiſtimarent, maiori ſe honore affici non poſſe, quam cum Diuinæ gloriæ inſtrumenta efficerentur. Vt ergo in aulis Regum nobiles proceres ac optimates certatim pro Dominorum ſalute aliquid pati, & ſuſtinere ambiunt, gaudentes, ſi à periculoſo negotio mutili, ac debiles reuertantur, & è contra etiam ſtomachantes, ſi ad pericula iſtiuſmodi non deligantur; ita nos honori nobis ducere debemus, ſi pro Dei Gloria pericula adire poſſimus, & è contra nobiſmetipſis iraſci, ſi non ſimiliter nobis quemadmodum alijs, bona valetudo, ac vita etiam ad maiorem Dei gloriam eripiatur: Ideò enim Deus, amicos ſuos varijs miſerijs exerceri, illorumque bona ac vitam gloriæ ſuæ impendi vult, eoſdem vt aliquando honorandi cauſam, & occaſionem conſequatur. Id planè in Lazaro noſtro apparet, qui cum agnoſceret, Deum ſua valetudine ad maiorem ipſius gloriam indigere, ad inſtar prompti ac ſinceri amici protinus illam obtulit, & ſimulatam ſe amicitiam non iniuiſſe comprobauit. Atq; ex his hactenus allatis ſatis ſuperq; intelligitur, miſerijs ſubiacere, ac Dei amicum eſſe, nihil admodum ſibi aduerſari.

Domine ecce quem amas infirmatur. Videntes ſorores fratrem ſuum infirmari, extemplo ad Seruatorem noſtrum cucurrerunt, & quid circa Lazarum gereretur ipſi indicauerunt: Oſtendentes hoc ipſo Dei amicorum proprium eſſe, ad illum in neceſſitatibus confugere, & tanquam ad certiſſimum aſylum, & aram ſeſe recipere. Olim quibuſdam coram celebri Philoſopho oratorem non neminem verbis honorificis proſequentibus, quod ex minimis rebus dicendo maximas facere poſſet, Philoſophus ſubridens reſpondit: Ego verò neque ſutorem illum commendauero, qui calceum, quantumuis eleganter conſutum pede maiorem fecerit. Volens oſtendere, eloquentiam ac ſermonem calcei inſtar eſſe oportere, qui tunc optimus exiſtimatur, quando neque propter anguſtias pedem vrit, neque propter nimiam laxitatem impingit: Huic dicto alius mihi Philoſophus aſſenſiſſe videtur, qui ſermonem

Sermo ſubiecto debet accommodari.

Digitized by Google

monem monetæ comparabat, quæ tunc optima eſt, quando in minimo pondere maximum valorem pretiumque habet Ita ſermo non nimis breuis eſſe debet, vt intelligatur, neque nimis longus, & prolixus, vt inani verborum ſtrepitu, & copia auditorum aures obruat atque perfundat. Quo ita præſuppoſito laconici huius, ſiue dicti, ſiue epiſtolij vim ac neruos examinemus: *Domine ecce quem amas infirmatur*. Hic ſi aliquid dempſeris, ſententiam mutilaris: Et ſi aliud quidpiam adiunxeris, ſuperfluam effeceris.

Ac primo quidem loco, morem illum in Eccleſia Dei peruetuſtum, ac etiam in Regno Caſtiliæ vſitatum obſeruant, vt ſicut apud Hiſpanos, nemo præter Regem Dominus appellatur, ita quoque tuæ illæ ſorores nomen illud nuncio ſuo præmittendum eſſe arbitrentur, ſolus enim Deus eſt cui Domini nomen conuenit, & quadrat. Ad quod nobis imprimis Sancta mater Eccleſia præit, quæ in officio miſſæ inquit, *Tu ſolus Sanctus, Tu ſolus Dominus, Tu ſolus altiſſimus.* Nam tui reſpectu, etiam quantum vis potentes monarchæ ac principes ſerui, & mancipia ſunt. Atque ex hoc loco intelligetis, quare in officio Diuino, qui benedictionem lectionem dicturi petunt non dicant. *Iube Domine benedicere*, ſed *iube Dmne benedicere*, tollendo per ſyncopen litteram in ea voce quæ Dominum ſignificat, quia ſolus Deus abſolute Dominus eſt, & cui Dauidicum illud conuenit: *Domini eſt terra, & plenitudo eius, orbis terrarum, & vniuerſi qui habitant in eo.* Vnde meritò Domini nomen illi attribui, ac pleno ore, & abſq; ſyncope *Domine* illi dici poteſt. Reliqui autem Principes, Reges, ac Imperatores, nonniſi ſyncopata Dominorum nomina, poteſtatesq; ipſas habent.

Cur in diuino officio Dmine dicatur.

Et ſequitur *ecce*, quæ particula iuxta Caſſiodorū aptior eſt ad aliquid indigitandum, quam verbis, & ſermone declarandum. Dum ergo ſorores illæ ab aduerbio iſto nuncium ſuum inchoant, attentionem apud Seruatorem noſtrum captant, ſimulque eum rogant, quatenus aurem ſuam petitioni illorum patefacere non dedignetur. Hoc enim ijs ſufficit, & idcircò dicunt: *quem amas infirmatur*. Vbi principio notate eas Ieſu Chriſti conſtitutionem obſeruauiſſe, qui diſcipulos ſuos orare docens, inquit,

orantes nolite multum loqui, ſicut Ethnici faciunt. Cuius ſi cauſam ſciſcitemini, & cur Deus breuiloquium in oratione adeò diligenter nobis inculcet interrogetis, cum S. Petro Chryſologo reſpondeo: *Breuiter orare docuit, quia ſcito vult præſtolata præſtare.* Habes hinc cauſam, propter quã ſorores illæ duæ adeò paucis ſupplicationem ſuam expediuerunt, cognoſcentes probè Seruatoris noſtri affectum, totamque cæterùm rem, & negotium Diuinæ illius voluntati relinquentes. In quo mihi Dauidico illi monito, &
Pſal.36. conſilio obtemperauiſſe videntur, quod ait: *Reuela Domino viam tuam, & ſpera in eo, & ipſe faciet*. Vbi non præcipitur, vt rem aliquam ſigillatim petamus, ſed vt tantummodo illi neceſſitatem noſtram repræsẽtemus, quemadmodum duas has ſorores feciſſe legimus. Atque ex hoc loco Laconico ad Seruatorem noſtrum nuncio eum in diſcurſum ingredimur, quo cæterum exponemus duo ferè requiri, alterius vt neceſſitati ſubueniamus, puta voluntatem, & facultatem. Ad facultatem quod attinet, eam in Seruatore noſtro non deſiderabant, quemadmodum oſtenderunt, quando eum abſolutè Domini nomine affecerunt. Sed neque voluntate illum deſtitui ſciuerunt, quippe cum intelligerent Lazarum ab illo amari, & ideò dicunt, *ecce quem amas*. Ecce vobis Auditores duo fundamenta, in quibus ſpes ac fiducia noſtra debet collocari, quam quiſquis habet, is ampliùs ſolicitus non ſit, Dominus enim *ipſe faciet*, inquit Dauid. Ideò autem in ſpecie, & ſigillatum quid nobis facere Deus debeat, non indicatur, vt pateat, non ea quæ nos deſideramus peti oportere, ſed quæ ipſe nobis vtilia eſſe cenſuerit. Etenim cum imprimis ſciamus ab illo nos amari, & adiuuari etiam poſſe, certò concludemus, ſi nobis non ſubuenerit, id quod petebamus vtile ac ſalutare nobis non fuiſſe. Atque hæc de duarum ſororum nuncio ad Seruatorem noſtrum dicta ſunto, ſupereſt vt enucleatius aliquanto reſponſionem ſimiliter exponamus. *Infirmitas hæc non eſt mortem*, reſpondit Seruator Ieſus imò ad gloriam Dei, & vt illius filius, per illam honorificetur. Ego ſanè ſexagenario iuramento affirmare auſim, omnes amicorum Dei morbos ac infirmitates, alium ſibi finem præfixum non habere, quam vt per illas Deus glori-

glorificetur. *Non contriſtabit iuſtum*, inquit Spiritus Sanctus *quicquid ei acciderit.* Vti enim is præter Dei gloriam nihil deſiderat, ſciens miſerias ærumnaſque ſuas ad eandem collimare, ita ijs modeſtiſſimè acquieſcit. *Nulla ei nocebit aduerſitas*, inquit Eccleſia in quadam collecta, *ſi nulla ei dominetur iniquitas*. Et Sanctus Paulus non contentus dicere mundi huius miſerias bonis non obeſſe, affirmat, experientia doctus, omnia quæ amicis Dei eueniunt, bonum ac meritum illorum ſpectare. *Diligentibus Deum*, inquit ille, *omnia cooperantur in bonum:* nam tempore neceſſitatis gratias Deo agunt pro conſolationibus, quibus ab illo afficiuntur. In afflictionibus autem conſtituti, patientiam quæ maximum bonum eſt, exercent, iuxta D. Iacobum Apoſtolum: *Omne gaudium exiſtimate fratres cum in tentationes varias incideritis, ſcientes quoniam tribulatio patientiam operatur:* Iuſti ergo in perſecutionibus patientiam exercent, in contradictionibus ſapientiam, in aduerſitatibus prudentiam excolunt: ipſa peccata in bonum ſibi cõmutantes, dum videlicet ſemet humiliant, ſapientiores facti reſurgunt, & prudentiores feruentioreſque euadunt, iuxta confeſſionem Dauidis qui ait: *Bonum mihi quia humiliaſti me, vt diſcam iuſtificationes tuas*, & alibi: *Priuſquã humiliarer ego deliqui, propterea eloquium tuum cuſtodiui. Quis eſt qui vobis noceat, ſi boni æmulatores fuerimus?* inquit D. Petrus Apoſtolus: adeò videlicet iuſtis euenire videtur, quod populo Dei aliquando euenit, cum videlicet Deus Balaã maledictiones in benedictiones conuertit, omneſq; illos acerrimè caſtigauit, per quos maledictus fuerat, quemadmodum lib. 2. Eſdræ legimus: *Non debent introire Ammonita & Moabita Eccleſiã Dei vſq; in æternum, eo quod conduxerunt aduerſus eos Balaam ad maledicendum eis, & conuertit Deus noſter maledictionem in benedictionem.* Et erat ſanè admirabile eum Prophetam, qui ideò peregrè profectus erat vt populo Dei malediceret, cũ in campum perueniſſet vt populo malediceret, cum os aperturus eſſet, in hæc ſtatim verba prorupiſſe? *Quõ maledicã, cui nõ maledixit Deus, qua ratione deteſter, quem Dominus non deteſtatur?* At ecce cum ẽt ſecunda vice eidẽ genti maledicturus eſſet in locum editũ conſcendit, vt ex eo illũ contẽplaretur, & confeſtim dicere incæpit: *Non eſt idolum in Iacob, nec videtur ſimulachrũ in*

Pro. 12. Rom. 8. Cap. 1. Pſ. 118. Cap. 3. Cap. 13. Nu. 22.

Iſrael, Dominus Deus eius cum eo eſt, & clangor victoriæ cum illo Sed necdum hic finis: cum enim tertio maledictiones ſuas ſuper populum illum ſuum eſſet effuſurus, mille benedictionibus eundem auxit, prouenientibus omnibus ab ea tantum cauſa, quia idolum in Iſrael non erat, & quia Deus cum populo ſuo exiſtebat. Vnde etiam colligebat victoriam illum reportaturum, ſciens impoſſibile eſſe, ei populo maledici cui Deus amicus foret. Cauete vobis Auditor. ne quantumuis paruum & exiguum idolum in cordibus veſtris habeatis, ſed illius potius ſatagite, vt Deo familiares efficiamini: Vbicunq, enim peccatum exulat, illic maledictioni locus non patet, & qui in gratia Dei conſtitutus eſt, huic omnia feliciſſimè cedunt. Non inficior ego poſſe Diabolum vobis maledicere, concitando videlicet contra vos perſecutiones, affligendo vos morbis, ac alijs quibuslibet miſerijs vos ſubijciendo: At illud etiam dico, Deum omnes iſtas maledictiones in benedictiones conuerſurum, ſiquidem illæ finis loco diuinam gloriam habent, ad quam omnes ſeruorũ Dei calamitates collimant. Quoniam ergo conſtat Lazarum Deo amiciſſimum fuiſſe totamque adeò ipſius domum addictiſſimam ſemper illi extitiſſe, hinc conſequebatur infirmitatem illam non ad mortem, ſed ad maiorem Dei gloriam eſſe. Atque ex hoc loco intelligimus, quam nullo labori parcere debeamus, optimè vt ſemper nobis cum Deo conueniat, ſiquidem illius amicis omnia cooperantur in bonum. Et quoniam ij qui Deum recipiunt, velut quidem noui Midæ, poteſtatem habent omnia in aurum meritorum conuertendi. per quæ gloriam perennem, ac nunquam deſinentem ſunt ſoluturi: quis non magnoperè amicitiam adeò vtilem, & fructuoſam expetat? Quæ inſulæ fortunatæ, qui theſauri vna hac committi poſſunt, & comparari?

Lazarus amicus noſter dormit. Poſtquam Redemptor noſter Ieſus Chriſtus nuncio à duabus ſororibus ad ſe ablegato reſpondiſſet, mox ad Apoſtolos ſuos conuerſus Lazari infirmitatem illis indicauit, permittens nihilominus eum ipſos quatuor dies à morte frigere, tanto vt poſtea miraculum euidentius manifeſtiusque eſſet. Tunc enim Apoſtolis in Galilæam redire perſuaſit, ijs nequicquã diſcrimina, & pericula multa obijcientibus. Amor enim ad

inſtar

inſtar ignis omnia perrumpit,cum impedire eum vis,quo minus ad centrum ſuum euolet, quod qui iem in hac materia amici bonum, & ſalus eſt. Porrò cum euidenter ijs dicat Lazarum mortuum eſſe, addit nihilominus eum ſe reſuſcitandi gratia abire velle. Mors enim amicorum Ieſu Chriſti à dulci, & ſuaui ſomno non differt. Peruenit itaque cæleſtis ille medicus ad arcem in qua duæ ſorores cum maximo amicorum numero,qui illas in luctu illo allocuturi aduenerant, Ieſum Chriſtum præſtolabantur: Quod non abſque ſingulari Dei prouidentia factum fuiſſe exiſtimare oportet,qui omnia iſthæc ideò fieri permiſit, vt celeberrimum miraculum, nonniſi multis arbitris, & coram ingenti hominum multitudine deſignaretur. Cum ecce Martha magiſtrum ſuum adeſſe intelligens, è veſtigio ſororem, ac neceſſarios omnes relinquit, & in occurſum Redemptoris ſui prouolat, ſi non cum eximia lætitia,certè cum incredibili deuotione qua ſolebat. Et dicite mihi vos hoc loco Auditores, quemadmodũ in domo, ac familia aliqua bene conſtituta, ſimul & Deo ſeruire,& mundo ſatisfacere valeamus. Magdalena,cum ijs domi manet,qui ad ſe viſitandum acceſſerant,mundo ita ſatisfactura: Martha autem venienti noſtro Seruatori occurrit. Nihil enim vrbanitas & ciuilitas Chriſtianiſmo vnquam aduerſantur. Cæterùm poſtquam Seruator noſter aliquamdiu cum Martha verba commutauiſſet, illa vnicè ſororem ſuam Magdalenam diligens, ſimulque ægrè ferens, quod non & ipſa ſanctiſſimo hoc diſcurſu frueretur, ſecretò ſibi illam vocandam eſſe exiſtimauit, in hoc enim verus fraternus amor conſiſtit vt ſatagamus,quemadmodum fratres noſtri etiam conuerſatione Redemptoris noſtri frui poſſint. Porrò Magdalena audiens amorem cordis ſui adeò propè eſſe, & ab illo ſe accerſiri,confeſtim eos, qui viſitandi cauſa ſe conuenerant reliquit, & Seruatori noſtro occurſura in viam ſe dedit. Vnde intelligimus vrbanitates, & ciuilitates eatenus bonas eſſe, quatenus nos in Dei ſeruitio non impediunt; hic enim ſimulatque nos vocat, tum verò omnia ſeponenda ſunt, & ſiquidem Deo vel mundo vacandum eſt, mundo potius valedicendum.

Videntes autem Magdalenæ ſocij eam adeò promptè,

& expeditè procurrere, exiſtimabant nouum doloris ſtimulum eſſe, illamque forſitan ad tumulum fratris ſui lachrymaturam prouolare. At errabant illi non parum, ſiquidem amor Dei illam exſtimulabat, & autor vitæ à quo expectabatur illam impellebat. Omnibus ergo eam inſequentibus, ſola ipſa ad Ieſu Chriſti pedes ſe proſtrauit, apud eoſdem fratris ſui vitam recuperatura, apud quos non ita pridem animam ſuam cum lachrymis receperat. Huius ergo cum gemitum, preces, & ploratum Seruator noſter conſpexiſſet, oculis in aſtantes coniectis, *infremuit ſpiritu, & turbauit ſe ipſum, &c. vſque & lachrymatus eſt*, adeò vt lachrymæ quæ ex oculis Magdalenæ defluebant, Seruatori noſtro lachrymas quoq; excuſſerint. Ad quem locũ amabò vos auditores, duo mihi, pro maiore Iudęorum confuſione, & noſtræ fidei confirmatione mihi aduertite. Ab vna parte Seruator noſter turbatur, infremit, plorat, quæ omnia fragilitatis humanæ effecta ſunt. Ab altera verò parte vocem habet tantæ virtutis atq; potentiæ, ea vt mortuum iam quatriduo reſuſcitet. Quib. duabus inuicem ſibi aduerſantibus rebus ad oculum Diuinitatem humanitatemque ſuam cõfirmat. Si enim actiones, & operationes naturam rerum conſequuntur, quemadmodum bene & rectè Ariſtoteles animaduertit, ipſæ profectò res non melius, quam ex earundem actionibus, & operationibus poſſunt ſpectari. Hinc Seruator noſter, modò opera humana, modò diuina faciebat: Flebat in præſepio, quatenus homo & Angeli gloriam illi accinebant quatenus Deo. Eſuriebat vt homo, & quadraginta ipſos dies ieiunabat vt Deus. Atque hæc eſt illa rerum tam differentium coniunctio, quam ſponſa in canticis ſignificare voluit, quando de elegantiſſimis ſponſi ſui partib. loquẽs
Cap. 5. dicit: *Venter eius eburneus, diſtinctus ſapphyris.* Vbi per ventrem, quæ molliſſima humani corporis pars eſt, Seruatoris noſtri humanitas ſignificatur, propter quam debilis & infirmus erat, & ideò ebori comparatur, quia illius innocentia, & puritas omni candore candidior eſt.

Quoniam autem ebur durum, Sapphyri autem gemmæ coloris cerulei, ac pretioſiſſimæ ſunt, hinc cum infirmitas ventris cum duritia eboris, & Sapphyrorum pretio coniungitur, ſignificatur, id quod in Seruatore noſtro debili

bili erat, cum ſupernaturali fortitudine fuiſſe coniunctum. Idem omninò mihi Dauid ſignificare voluiſſe videtur, quando iuxta D. Auguſt. expoſitionem dixit: *Exurge gloria mea, exurge pſalterium, & cythara.* Vbi pſalterium & cytharam ſimul appellat, vt ſignificet duas illas naturas in Diuina perſona fuiſſe coniunctas Ea enim amborum inſtrumentorum differentia eſt, vt Pſalterium in ſummitate & iuxta clauos, cythara autem circa vmbilicum pulſari debeat. Quoties ergo in Seruatore noſtro operationes diuinas videmus, dicere poſſumus pſalterium ſonare, ſiquidem ad illas altior quædam & maior vis requiritur. Cum verò actiones humanas in eodem conſpicamur, liberè dicere poſſumus, hunc cytharæ ſonum eſſe, quia videlicet à parte inferiore & minus nobili Seruatoris noſtri proficiſcitur. Ita cum fatigatur, Cythara ſonat, cum autem cæcis viſum reſtituit, tum verò pſalterium exauditur: verò enim verius eſt quod D. Auguſtinus dicit: *Caro Diuina operans pſalterium eſt, caro, humana patiens cythara eſt.* Porro cum Seruator noſter miraculum eo fine faceret, vt per illud glorificaretur, neceſſarium erat ob eorum inſtructionem, vtramque in eo partem ducere. Et duxit reuera humanitas, quando *fremuit, turbatus eſt, & fleuit.* Illuxit & Diuinitas, quando ſolo verbo Lazarum mortuum reſuſcitauit. Qui etſi ēt intimus Seruatoris noſtri amicus fuerit, nonnullorum tamen DD. conſtans opinio eſt, eum ſymbolum peccatoris obſtinati & inueterati nobis repræſentare. Sunt enim nonnulli homines ita in peccatis mortui verè vt de ijs dicere poſſis, quod Diabolum in corde habeāt. *Cor eius indurabitur quaſi lapis, & conſtringetur quaſi malleatoris incus* inquit Iob vbi non contentus ſe peccatorum corda lapides appellauiſſe, qui malleis frangi poſſunt, eadem incudi fabrili comparat, quæ quo ſæpius ac frequētius percutitur eo durior euadit. Huic omnes illi ſimiles ſunt, qui animā cauteriatā habent, vel ſicut Apoſt. Paulus inquit, *cauteriatā cōſcientiam:* ſignari videlicet beſtię illius Apocalypticæ ſigillo, portātesq; in corde ſuo talētū plūbi, quod Zacharias ſuper impietate vidit, quia, prout D. Bernardus animaduertit, nulla comunctione delictorū vnquā tāgūtur, nulla docilitate molleſcūt, nullis precibus flectuntur, nullis minis frāgūtur, ſed indies peiores dureſq; eua-

Pſal. 56. — Super Pſal. 56. — Cap. 41 — 1. Tim. 4. — Apo. c. 6. — Cap. 5.

uadunt.Horum miſeriam Iſaias deplorat,dicens:*qui trahi-*
Ibidem. *tis iniquitatem in funiculis vanitatis*, imò in funiculis tripli-
cibus,qui difficulter admodum,iuxta Spiritum S. rumpũ-
tur. Si enim malitia delectationis, & conſuetudinis fu-
Eccl.4. niculo alligata ſit,& vix ac ne vix quidem poteſt diſſolui.
In huius rei figuram Lazarus in ſepulcro poſitus lapidem
ſuper ſe habebat, iuxtaq; etiam ligatus erat. Et Propheta
Amos, difficultatẽ iſtiuſmodi homines reſuſcitandi mihi
Cap.1. ſignificaſſe videtur,cũ diceret:*ſuper tribus ſceleribus Moab*,
& 2. *& ſuper quatuor, non conuertam eum*. Vbi idem ſæpius re-
peti vides, vt intelligat quaternarium circumſtantiarum
in peccato reperiri, qui vbi eſt,illic vero miraculum con-
tingere dices, ſi peccator aliquis conuertatur. Vnde D.
Super.2. Hieronymus quatuor in peccato circumſtantias aſſignat:
c.Amos. Prima eſt interior conſenſus: ſecunda opus ipſum; tertia
cõſuetudo:quarta & poſtrema contemptus,ad quem pec-
cator tunc peruenit, quando conſuetudo integre ipſius a-
Pro.18. nimum poſſedit,dicente Spiritu S. *Impius cum in profundũ*
peccatorum venerit contemnit. Atq; hæc quarta illa miſeria
eſt, in qua Moab conſtitutum,conuerſum non iri Prophe-
ta dicit. Fieri enim vix poteſt,& tamen fieri poteſt, tales
vt aliquando homines ad meliorem frugem reuertantur.
Si enim preces,ſi ploratus,ſi lachrymæ,ſi alia doloris ſigna
adhibeantur, quemadmodum in morte Lazari adhibita
fuerunt,tum verò Ieſus Chriſtus ad illos verbi ſui poten-
tia excitandum flecti poteſt & commoueri.Obteſtor pro-
inde vos Auditores,vt ſi quando inter vos Lazaros iſtiuſ-
modi,iam quatriduo mortuos habeatis, & quos ad quar-
tam illam peccati circumſtantiam perueniſſe videatis, ita
vt neque Deum timent,neque homines reuereantur, vos
ſaltem pro ijs apud Deum intercedatis,Diuinamque Ma-
ieſtatem ſupplicibus votis conueniatis,quatenus illa com-
paſſione mota lapidẽ illorum cordibus impoſitum amo-
ueat,eos clara voce appellet, eorundem vincula perrum-
pat,& ex ſepulchro peccatorum ad lumen gratiæ protra-
hat,aliquando ſempiterna gloria afficiendos,*quam mihi &*
vobis, &c.

CON-

CONCIO TRIGESIMASECVNDA,

PRO SABBATO POST DOMINICAM LAETARE.

Ego ſum lux mundi, &c. Ioan. 8.

POſtquam Protoplaſtus noſter Adam maior rimpetu ad plura quam neceſſe erat ſciendum raperetur ac impelleretur, tales è veſtigio pœnas dedit, ipſas vt ignorantiæ ſuæ tenebras, quibus inuolutus fuit, nullo iam modo penetrare poſſe videatur. Quippe cum nō modo rerum ſupernaturalium, ſed naturalium etiā ipſarum cognitionem planè nullā habēs, ea etiam quæ ex illis cognoſcit, vix media parte rectè intelligat & aſſequatur.

Id cum nobis Spiritus Sanctus indicaturus eſſet, inquit: *vidi afflictionē, quam dedit Deus filijs hominū, vt diſtendantur in ea &c. & mundū tradidit diſputationi eorum, vt non inueniat homo opus, quod operatus eſt Deus ab initio vſque ad finem.* *Eccl. 3.* Ad quæ verba Titelmannus obſeruat Spiritum S. non dicere, quod Deus hominibus ideò mundum cōceſſerit, ipſi vt illum cōprehendant, ſed vt pro eo ac de illo diſceptēt, quoniam potiſſima eius pars in controuerſijs verſatur, ita vt vix & ægrè certa aliqua & plauſibilis inde veritas elici poſſe videatur. Atque ob hanc demum mihi cauſam Philoſophorum Principē dixiſſe perſuadeo: *ſicut ſe habet oculus noctuæ ad lumē ſolis, ſic intellectus noſter ad manifeſtiſſima naturæ.* *Ariſt. li. 2. Metaph.* Itane verò? Poteſtne tibi philoſophus aliquis ignorantiæ noſtræ tenebras melius intellexiſſe, & accuratius perſpexiſſe videri? Quin ipſa hæc inſcitia mentiū humanarū tolerabilis adhuc ex parte foret, ſi hemiſphærium intellectus noſtri non pretergreſſa, ipſam etiam voluntatē inficeret: Quod quia non fit, hinc verò tenebræ Aegyptiacis illis haud aliquanto denſiores nobis offunduntur, ita vt anima

nima peccati originalis caligine obfuſcata, ipſa ſibi iā non conſtet, & velut in tenebris, ac cymmeria nocte palpitare videatur. Vnde ſicut manifeſtiſſime peccati grauitas, quod hominem tantis ignorantiæ tenebris inuoluit: elucet: ita non minus mirandum eſt Deum tot iniurijs ab humanō genere ſibi illatis, nihilominus adhuc eidem appromittere, tale ſe in terras lumen effuſurum eſſe, omnes quo protinus ignorantiæ tenebras effuget atque depellat. Et voluit ſanè id ipſum nobis per Iſaiam inſinuare, cum diceret:
Cap. 9. *Populus qui ambulat in tenebris vidit lucem magnam, habitātibus in regione vmbræ mortis, lux orta eſt eis*. Vbi etſi ſecundum litteram, & iuxta Diui Chryſoſtomi explicationem, Propheta de duplici populo, putâ de Iudaico & Gētili loquatur, promittens vtrique Meſſiæ aduentum, atque adeò de re præterita loquens, tametſi adhuc ſuperuentura eſſet. Illud tamen obſeruari hoc loco debet, rationem illam loquendi Prophetis propriam, & maximè affinem eſſe, qui eo etiam libentius illam vſurpāt, melius quo videlicet intelligunt, pręſentium magis repræſentatione, quam futurorum pollicitatione auditorum animos capi & recreari. Ideò autem Eſaias populum Iudaicum in tenebris ambulantem appellat, quia etſi lumine legis & Prophetarum colluſtrabatur, quia tamen idipſum tot figuris implexū ac inuolutū erat, hinc tenebrarum quandam ſpeciem præſeferre nō immerito videbatur, Quod ſi à veritate alienum
Heb. 11. fuiſſet, quomodo amabò Apoſtolus dicere potuiſſet: *Vmbrā habet lex futurorum?* Porro idem Propheta gentiles populū in regione mortis habitantē idcirco appellauit, quia ignorātia in qua verſabatur, & enormia peccata quæ illā comitabantur, mortis quandā vmbram exhibebant, quam inferni ſupplicijs adiudicati ſuſtinent, vbi ſine vllo ordine & pace miſerabile plane æuum legitur. Addit autē Prophæta populum Iudaicū lucem magnam eſſe viſurū, ipſū autem illud lumen non nouiter eſſe exoriturum, ſiquidem Seruator noſter, quantum quidem Iudæos attinet, in mūdum iſtum ingrediens, eam ſolummodo lucē detexit, quā primo acceperant. Tollens velum figurarum, quibus illi veteri legis Moſaicę ritu, operiebantur. Porro quantum ad gentiles attinet, qui Redemptoris noſtri aduentum non cognouerant, ijs verò inſolens videri poterat quo-
niam

niam *lux orta eſt eis*. Idcirco autem Ieſus Chriſtus per catexogin, *magna lux* appellatur, vt videlicet conſtet, eum non parum à reliquis Prophetis differre, qui catenus tantum cœli lumina erant, quatenus illis lux deſuper infundebatur. Seruatoris autem noſtri reſpectu, ſtellarum inſtar erant cum magna illa luciđiſſimi ſolis orbita comparaturum. Cæterum eandem lucem tenebras omnes effugaturum, per Prophetam Malachiam adpromittit, dicens: *Orietur vobis timentibus nomen meum, ſol iuſtitiæ & ſanitas in pennis eius.* Quæ verba Theodoretus de primo Seruatoris noſtri in hunc mundum ingreſſu exponit. Quamuis.n. Seruator noſter pro omnib. natus ſit, quatenus tamen effectum aduentus ſui conſiderare volumus, eatenus pro ijs tantum natus fuit, qui illum timebant, quippe cum illi tantum eius ex Natiuitate fructum ſint capturi, atque ideò dicatur, eum pro illis tantum naſciturum eſſe. Idcircò autem Propheta ſolis huius radios plumas appellat, quia quemadmodum pennæ volucres veſtiunt & exornant, ita illum dona Diuinæ Gratiæ, & lumina cœleſtis doctrinę condecorant. Et quoniam per gratiā culpę tenebras, & verò etiam per doctrinam ignorantiæ caliginem depellebat (quibus omnes animæ infirmitates continentur) ideò Propheta dicit Redemptorem noſtrū in alis ſuis ſanitatem portaturum, quo videlicet manifeſtius incredibile illud bonum intelligamus, quod nobis ex humanitate Seruatoris noſtri promanat. Atque hic idem ille eſt, qui in hodierno Euangelio populo promiſſionib. ſuis fidem difficulter adhibenti, vna diuerſis opinionib. quas de eo conceperat, reſpondens inquit. Cap. 4.

Ego ſum lux mundi, ideò in hunc mundum effuſa, vt peccati & ignorantię tenebras depellam. Atque hanc mihi lucem Regius Proph. Dauid multo quam impenſiſſime exoptauiſſe videtur, cum diceret; *Emitte lucem tuam & veritatem tuam: ipſa me deduxerunt in montem ſanctum tuum, et in tabernacula tua.* Quin & de hac mihi ſapientis illud intelligendum eſſe videtur: *Eſt enim ſpecioſior ſole, & ſuper omnem diſpoſitionem ſtellarum luci comparata inuenietur prior.* Hæc denique lux illa eſt, omneſque mundi tenebras fugat, & de qua verè dicere poſſis: *Qui ſequitur me non ambulat in tenebris.* Porrò etſi homo certo ſcire non Pſa. 42. Sap. 7.

poſ-

Eccl. 9. poſſit, vtrum gratiæ lumine ſit colluſtratus: quippe cum ſapientis illud veriſſimum ſit: *Neſcit homo vtrum amore an odio dignus ſit, ſed omnia in futurum ſeruantur incerta.* Et D. Pauli illa doctrina controuerſiam non admittit, qua docet nullius quidem ſibi ſe conſcium eſſe, adminimè idcircò iuſtificatū: Intelligebat enim ille diuina iudicia plurimum ab humanis differre. Sunt tamen nonnullæ coniecturæ, ex quibus veriſimiliter intelligere poſſis vtrum anima aliqua diuinæ lucis particeps ſit. Ac prima quidem illa eſt, quam Seruator noſter, in hodierno Euangelio nobis proponit dicens, omnes illos qui hanc lucem ſecuti fuerint, in tenebris non ambulaturos, quippe cum iuxta omnium philoſophorum ſententiam, lux & tenebræ ex diametro ſibi opponantur, neque ſimul in eodem loco ac eodem tempore ſubſiſtere valeant. Quod ſi etiam hoc loco ſciſciteris qui nam Seruatorem noſtrum ſequi intelligatur, paucis cum D Cypriano reſpondeo: *Sequitur Chriſtum qui præceptis eius inſiſtit, qui per magiſterij eius viam graditur, qui veſtigia eius atque itinera ſectatur, qui id quod Chriſtus & fecit & docuit imitatur.* Quotquot autem lumine iſto deſtituuntur, hi verò Sathana duce in mille præcipitia aguntur, & cum militib. Regis Syriæ ad Heliſæum quærendum egredientibus, miſerrimè excæcantur: Vnde poſtea Propheta illos in Samariam abduxit, & Regi Iſraelitarum tradidit, vbi ſicut in præſentiſſimo vitæ amittendæ periculo ſe conſtitutos videbant, ita proculdubio eandẽ perdidiſſent, niſi Propheta ſe cõtra oppoſuiſſet:

Quod ſi Seruatorem noſtrum ſequi.

4. Reg. 6.

Tales ſunt omnes illi, qui in tenebris peccati ambulantes, millies in manus inimicorum ſuorum incidiſſent, niſi peculiariter à Deo protecti fuiſſent. Qui autem Duce ac præuio Ieſu Chriſto incedunt, hi beneficio luminis quod illos præcedit quaslibet inſidias ſibi ſtructas detegunt, & res ipſas vti in ſe ſunt præclarè cognoſcunt. Ex quo etiam intelligimus maioribus multò nominibus Chriſtianos teneri vt ſe à peccatis abſtineant, & è contra in virtutũ ſtudijs exerceant; quippe qui lumen habent per quod pericula agnoſcunt, & præmia rectè operantibus deſtinata intelligunt. Atque hoc illud ipſum eſt quod D. Paulus Epheſijs perſuadere voluit, dicens: *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino, vt filij lucis ambulate: fructus enim lucis eſt*

Cap. 5.

in

in omni bonitate & iuſtitia & veritate. Hæſiſtis vos Fratres mei aliquamdiu in tenebris quà culpæ, quà ignorantiæ: nunc autem clara luce circumfundimini, non quidem ex veſtro merito, ſed ex miſericordia Dei Ita namq; Theophylactus, & Diuus Anſelmus verba iſta exponunt: *Lux in Domino*. Ambulandum itaque cæterum vobis eſt vt filijs lucis, hoc eſt, ſicut hominibus qui ex ignorantiæ tenebris emergentes Dei voluntatem cognoſcunt. Fructus autem quos Deus ex lumine in corda veſtra effuſo colligere deſiderat, ſunt primo bonitas erga voſmetipſos, bonitas dico non aliqualis, ſed abſoluta atque perfecta, hoc enim illud inſinuat, *in omni bonitate*. Secundo Iuſtitia erga proximum reddens vnicuique quod debet. Tertiò veritas erga Deum, qua qui inſtructi ſunt, ij nihil hypocriticè aut ſimulatoriè, ſed omnia illi placendi animo faciunt & exequuntur.

Idem omninò Apoſtolus Romanis etiam voluit perſuadere: *Nox praceſſit*, dicens, *dies autem appropinquauit, Abijciamus ergo opera tenebrarum, & induamu arma lucis, ſicut indie honeſtè ambulemus*. Nox inquit, peccati, nox ignorantiæ, & nox antiquæ legis præteriunt: omnes enim illę tres vnica voce *Nox* iuxta Diui Thomæ opinionem continentur, & præclarè admodum vniuerſæ nomen illud merentur. Peccatum namque animam obſcurat, Ignorantia tenebris intellectum inuoluit, Vetus verò lex plena figurarum vmbris erat, quæ nocti proprijſſimæ ſunt. *Dies autem appropinquat*, puta dies legis Euangelicæ, quæ tamen ipſa iuxta obſeruationem D Anſelmi perfecta non eſt, ſi cum illa qua Angeli in cęlo fruuntur comparetur; reſpectu autem tenebrarum, in quibus aliæ nationes viuunt, adeoque etiam vmbrarum, quibus Iudæi in vetere lege inuoluebātur, dies clariſſima lucidiſſimaque eſt. Tunc autem plena & perfecta erit, quando Deus in cæleſti gloria facie ad faciem videbitur. Itaque cum Filius Dei in hunc mundum carne noſtra tectus ingrederetur, dies appropinquauit, non autem aduenit. Ideò namque ſponſo in Cāticis Eccleſiam ſuam Auroræ comparat dicens: *Quæ eſt iſta quæ progreditur quaſi aurora conſurgens?* Aurora enim lucis ac ſolis prænuncia, neque nox neque dies perfecta eſt, ſed ex vtraque aliquid participat. Hinc nocti comparata, dies eſt: cum

Cap. 13.

Cap. 6.

cum meridie autem collata,non perfecta dies ſed diei tan tum crepuſculum. Ita etiam Eccleſia nonnihil adhuc tenebrarum habet,quia in fide ambulat dicente D. Paulo: *Per fidem enim ambulamus non per ſpeciem.* Fides autem etſi certa ſit,obſcuritatem tamen habet, propter quam etiam *argumentum non apparentium appellatur.* Habet verò & lucis non parum,quia videlicet Filium Dei incarnatum poſ ſidet,qui in gloria conſtitutos illuminat, iuxta Iſaiæ illud de felicitate æterna loquentis: *Non erit tibi amplius Sol ad lucem per diem,neque ſplendor Lunæ illuminabit te, ſed erit tibi Dominus in lucem ſempiternam.* Et addit D. Paulus. Quoniam ergo *Nox præceſſit*, & clariſſima Dies appropinquauit,abijciamus opera tenebrarum quibus hactenus inuoluebamur,& arma lucis cæterum induamus. Solent inſolentiores nonnulli adoleſcentes, quos in meridie & coram ſole arbitro nequitias ſuas exercere pudet,noctu laruati diſcurrere nequitiasque ita ſuas exercere.

Cap.60. Quod ſi iam crepuſculum matutinum aduenerit, tum vero illi confeſtim diffugiunt, & ad ſua quilibet reuertuntur: ſcientes habitum illum qui nocti bonus ſatis erat interdiu abijciendum, ac alium ſibi conuenientem induendum eſſe. *Nox præceſſit,dies autem appropinquauit*, inquit, S. Paulus,quod idem eſt ac ſi dicant. Fratres cum in media gentilitatis nocte ambularetis,nemo vos perſonatos, nemo blaſphemos, nemo luxurioſos,helluones,& iracūdos eſſe mirabatur: Nunc autem poſtquam à Deo ad legem gratiæ eſtis accerſiti, & cum Sol Iuſtitiæ radios ſuos eiaculari incipit, *Abijciamus opera tenebrarum*, detrahamus nocturnam illā laruam & bardo cucullū, *Non in commeſſationib. & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitijs*; abolere helluationes, exulet crapula ac Venus, *& induimini Dominum* Ieſum Chriſtum,aſſumite veſtem diurnam, & ſicut habitus perſonæ qui eo induitur, ſe accommodat, ita vos diuinæ voluntati vos accommodate,& ad inſtar perſonarum lumen diei habentium ambulate. *Sicut in die honeſtè ambulemus.* Hactenus verba Beat. Pauli Apoſtoli, quibus ille non modo Romanos ſed in eorum etiam perſona omnes legem Dei profitentes affatur. Erunt itaq; & nobis ſæpenumerò illa cum animo repetenda,& cogitandum in luce legis Euanglicæ nos viuere. Dedecet namque

& in

& in Chriſtianum non cadit, Ethnicorum inſtar nos age re,atque ea in media luce facere,quæ vel coram diſſolutiſſimo homine facere auderemus.

Erit proinde hoc primæ coniecturæ ac iudicij loco vtrũ lucis Ieſu Chriſti participes ſimus ſicut in die, non vt in tenebris ambulemus, & ſi mores noſtri filiæ ſint iuſtitiæ, bonitatis,& veritatis;Si aũt tales non ſunt, proculdubio tenebrarũ filiæ erunt,ſicque conſectaneũ fuerit de lumine eius nos nõ cõmunicare,qui in hodierno Euangelio dicit.

Qui ſequitur me non ambulat in tenebris,ſed habebit lumen vitæ. Lumen enim quod Seruator noſter ſe inſequentibus impertit,non ſimplex lumen eſt, ſed lumen vitæ. *Et vita erat lux hominum* inquit Euangeliſta D. Ioannes de verbo incarnato loquens,id eſt,Lux illa non modo lucem,ſed vitam etiam hominibus impertiebat. Vita,inquit Philoſophus, ex operib. cognoſcitur,vnde euidenter perſpecturi, vitane aliquid præditum ſit,vtrum operetur ſolemus conſiderare.Hinc D.Iacobus Apoſtolus experimentum facturus vtrum fideles ſui viua fide inſtructi eſſent, *Oſtende mihi fidem tuam*,inquit,*ex operibus.* Quare ſecundæ coniecturæ loco erit vt cognoſcas num quis diuinæ lucis particeps ſit conſiderare vtrum cum illa & in illa operetur eo enim fine cuilibet illa data eſt.Porro quam quod dicimus etiam in ipſius Diui Pauli conuerſione appareat, accuratiùs aliquantò conſideremus.*Subito*,inquit,*circumfulſit eum lux de cælo*; & audiuit vocem ſibi dicentem: *Saule,Saule quid me perſequeris?* Cui ille reſpondit: *Domine quid me vis facere?* Vbi obſeruate obſecro Auditores quemadmodum Paulus noſter,tunc Saulus adhuc, videns clara ſe luce circumfuſum repentè exclamet: *Domine quid me vis facere?* Lux enim ideò hominibus data creataque eſt vt videant. Nihilominus autem velut cælitus colluſtratus, quid ſibi faciendum ſit ſciſcitatur.

Cap.3.

Cap.2.

Act.9.

Eadem enim lux quæ intellectũ colluſtrabat, iuxta etiã indicabat,datam ſibi illam non eſſe vt tantum videret,ſed vt iuxta operaretur. Et eſt ſanè iſtud adeò in Dei domo notorium,ipſi vt id Paſtores intellexerint, quos cum *claritas Dei circumfulſiſſet*, Angeluſque ijs Redemptorem natum indicauiſſet, non autem eundem quærere præcepiſſet, ipſi confeſtim intellexerunt non ideo ſe lucem acce-

Luc.2.

piſſe, vt in loco illo morarentur, ſed vt bonum ſibi indicatum perſequerentur. Hinc alter alterum ad eundem inuitabant, & tandem *venerunt feſtinantes*. Accidit id ipſum Tribus Magis, qui ſimulac ſtellam conſpexiſſent, in viam ſe dederunt, Eccleſiæ illud ingeminantes: *Hoc ſignum magni Regis eſt, eamus & inquiramus eum*. Quæ verba totumq; adeò ſuper hac materia diſcurſum Pſalmographi illo clau
Pſa. 103. damus, qui de luminis effectis ſermonē inſtituens inquit: *Ortus eſt Sol & congregati ſunt, & in cubilibus ſuis collocabuntur: exibit homo ad opus ſuum, & ad operationem ſuam vſque ad veſperam. Ortus eſt*, inquit *Sol*, & omnes è veſtigio beſtiæ quæ ad noctem campum peruadebant, in ſpelæa ſua refugerunt, veluti pudore ſuffuſæ, quod quæ mala ſunt ea ſole arbitro & inſpectore facere non dubitent, ad confuſionem puta hominum diſſolutiſſimorum quos in ipſa meridie peccare non pudet. Sed & homines inſtinctu naturali excitati è lectis ſuis proſiliunt, exituri ad opus ſuum *vſque ad veſperam*. Hoc homines faciunt, inquit Dauid, quia rationem præuiam aurigantemque ſequuntur.

Vnde conſequitur omnes illos qui diem in noctem cōuertentes, in multam lucem, imò in ipſam meridiem ſtertunt, hominum nomine indignos eſſe, quia interdiu non operantur. Atque hæc ſecunda illa coniectura eſt, cuius beneficio facilè eò euaſurus es, vt intelligas vtrum de cæleſti luce cōmunices, conſiderādo videlicet vtrum labores. Hęc enim lux vitę, laboris ergo hominibus indulta eſt.

Quod vt euidentiùs intelligatur obſeruationem quandã (quæ etiam tertiam in materia noſtra coniecturam conſtituet) ex D. Hieronymo adijciemus qui ait luci vitæ pro-
Tom. 9. prium eſſe, vt quanto propius animas accedit, tanto amplius cæleſtia detegat, & terrena cælet. Hinc vti ſe habet Luna ad Solem ita ſe habet homo ad hanc lucem. Luna enim directè ſoli oppoſita (id autem tunc fit quando illam noſtri hæmiſpherij reſpectu ſub ſe habet) proxima illi eſt, & ab vna parte de ſurſum illuminatur.

Vnde ab ea parte qua velum ſpectat, luciſſima ardentiſſimaque eſt; ab ea autem parte qua terram intuetur, tota obſcura eſt, ſicut ex decreſcente apparet. Idem ferè in animabus aduertere eſt. Cum enim illas ſol Iuſtitiæ Ieſus Chriſtus directè reſpicit, & in ijs per gratiam ma-

nêt; tum verò rebus cœleſtibus illuminantur, Deo perfunduntur, imò Deo immerguntur. Vnde cum Diuo Paulo dicere poſſe videntur: *Nos autem reuelata facie gloriam Domini ſpeculantes in eandem imaginem transformamur, à claritate in claritatem.* Et vidimus hoc in ſimplicibus non- 2.Cor.3. nullis hominibus qui nullis litteris tincti, ſed ſola cœleſti gratia imbuti, diuina callebant, terrena autem penitus ignorabant, vt cum Sapiente dicere poſſent: *Stultiſſimus ſum virorum, & ſapientia hominum non eſt mecum: non didici ſapientiam, & noui ſcientiam ſanctorum.* Peccatores autem, terrena adeò probe intelligunt, & de mundanis adeò doctè & peritè diſcurrunt, vt mirum ſit: ignorantes iuxta Alphabetum in Schola Dei, & ne loqui quidem valentes, adeò vt cum ad Confeſſarij pedes venerint, ſe ipſos accuſare non poſſint. Hoc autem idcircò fit quia longius à Sole Iuſtitiæ illuminantur, & quia de ſurſum ac de cœli regione non colluſtrantur. Et confitentur ſane hoc ipſi illi apud Sapientem dicentes: *Errauimus à via veritatis, & iuſtitiæ Lumen non luxit nobis, & Sol intelligentiæ non eſt ortus nobis.* Vide quid dicant, & quam verè: non quia Sol iuſtitiæ radios illis ſuos communicare non voluit, ſed quia ipſi oculos adeò in terram defixerant, nunquam vt illos lumen recepturi cœlum verſus vellent eleuare. Vt ergo liquido intelligamus vtrum cœleſtis luminis participes ſimus, conſideremus qualem cœleſtium cognitionem habeamus, ſcientes ideò lucem noſtram vitæ appellari, vt illa præuia non otiemur ſed operemur.

Tu de teipſo teſtimonium perhibes, &c. Poſtquam Phariſæi Seruatorem noſtrum ſe ipſum mundi lucem appellantem audiuiſſent, calumniari incipientes præfata verba protulerunt. Non excuſabo ego hic malitiam aduerſariorum; interim præſuppoſito quod euidenter quis Seruator noſter erat non cognouerint, hanc eos conſequentiam feciſſe non miror.

Adeò enim ingenuum hominem dedecet ſeipſum laudare, vt quiſquis vitio hoc laborat, eius difficulter teſtimonijs fidem ſoleamus adhibere. Et agnouerũt hoc omnes Philoſophi apud quos in Prouerbium abijt: *Laus in ore proprio vileſcit.* Et ipſe Spiritus S. monet ne quis de ſeipſo magnificè loquatur: *Laudet te os alienum & non tuum,*

extraneus & non labia tua. Quippe cum S. Auguſtinus dicat non modo dedecere hominē liberalem ſeipſum laudare, ſed & qui ingenui ſunt ægerrimè ferant ſi laudes ſuas audire cogantur: *Nam vir Sapiens*, inquit: *dum laudatur in ore, cruciatur in corde.* Eadem Plutarchi opinio eſt qui de ſeipſo magnificè loquentem impudentiæ contemnat. *Primum enim*, ait ille, *eum qui ſe laudat impudentem exiſtimamus, eum conuenire eum erubeſcere ſi laudaretur ab alijs.* Hinc S. Paulus vt doctrinam confirmaret ſuam, ſe ipſum
2.Co.11 aliquando laudare coactus ait: *Factus ſum inſipiens, vos me*
& 12. *coegiſtis: ego enim à vobis debui commendari.* Quod ſi S. Paulus inſipientiæ adſcribit, cum neceſſitas exegerit ſe laudare, quid amabò de ijs ſentiendum fuerit, qui nulla neceſſitate impulſi impudentiſſimè ſe ipſos laudare non erubeſcunt. Eſt ergo vanitate pleniſſimus, fidemque illius teſtimonium non meretur, qui proprias laudes decantare non veretur. Quem enim ſeipſum laudare non pudet, hunc etiam animus mentiendi non deſtituet. Atque idcirco præſuppoſita Phariſæorum de perſona Ieſu Chriſti ignorantia, dixi minime me mirari quod illius teſtimonium vt ſuſpectum repudiarint. Verum Redemptor noſter honorem ſuum propugnans & aduerſariorum calumniæ reſpondens inquit.

Etſi ego teſtimonium perhibeo de me ipſo, teſtimonium meum verum eſt, quia ſcio vnde veni & quo vado. Quæ ratio minus mihi plauſibilis videtur, vt intelligatur teſtimonium illius verum eſſe. Vt enim cognoſcas veritatem aliquem loqui, quid refert ſcire vnde is veniat, & quo vadat? Attamen quiſquis penitius hanc Seruatoris noſtri rationem introſpexerit, is efficaciſſimam illam eſſe conſtituet. Demonſtrauit enim per illam ſe Dei Filium, & conſequenter veritatem ipſam eſſe, vnde colligitur, verbum eius falſum eſſe non poſſe. Scio ego, inquit ille, vnde venerim, & quomodo ex ſinu patris mei proceſſerim. At ſcio ſimiliter quo vadam, reuertens videlicet ad eundem locum, nō abſimilis in hoc luci, quæ cœlo delapſa ac mundo vniuerſo illuminato ad locū vnde proceſſerat redit, iuxta Dauidicū
Pſal.18. illud: *A ſummo cœlo egreſſio eius, & occurſus eius vſq; ad ſummum eius.* Hoc autem quiſquis intelligit, is dubitare non poteſt, lumen me eſſe, ac teſtimonium meum à vero non aber-

aberrare. Vos autem quia vtrumque ignoratis, ideò me non cognoſcetis & teſtimonium meum pro ſuſpecto habetis: innitentes falſo iudicio, & circa apparentias tantum voſmet occupantes.

Vos ſecundum faciem iudicatis. Hæc ſcaturigo eſt, ex qua omnia temeraria iudicia ab hominibus fieri ſolita promanant: qui ideò ex externis res tantum æſtimant, quia acies hominis eas penitus penetrare non valet, iuxta Dei illud ad Samuelem: *Homo videt ea quæ parent, Deus autem intuetur cor*. Quod ſi viſus vltra apparentias non porrigitur, non video quomodo intellectus res aliter quam ex externis valeat æſtimare. Iudiciũ temeranarium. 1. Reg. 16.

Vt autem pateat, quomodo in iſtiuſmodi iudicijs homines tractare ſe debeant, obſeruandum fuerit quædam in mundo aliud apparere quam ſunt, & quædam id quod ſunt non apparere. Ita qui Sodomitica illa poma conſpexiſſet, de quibus Spiritus ſanctus per Sapientem inquit: *Quibus in teſtimonium nequitiæ fumigabunda conſtat deſerta, & fructus habentes arbores, &c.* vtique nobiliſſima illa putauiſſet quippe cum talia apparerent Quod ſi eadem ſcidiſſes, nihil præter cinerem & fumum inueniſſes, in teſtimonium videlicet punitionis diuinæ, & Penthapoleos igne cœleſti abſumptæ. Similiter qui cum Propheta Ezechiele templum illud conſpexiſſet, procul dubio Sacroſanctum quale apparebat id exiſtimauiſſet. Sap. 10. Cap. 8.

Verum cum Deus Prophetæ eadem opinione decepto murum perfodere ac parietem ligone aperire iniunxiſſet, hoc ita facto muri pleni idolis & fictorum Deorum ſtatuis fuerunt inuenti. Tale etiam eſt quod in libro Ioſue legimus: Quem cum Gabaonitæ vt in terram promiſſionis irrumpere, omneſq; reliquas gentes fœdus cum illo inire conſpicarentur, mulos aliquos mucido pane onuſtos, ipſi ſordidis veſtibus, & fractis calceis ante ſe egerunt, ſiq; Ioſue occurrẽtes ex lõginqua ſe regione aduentare, ac fœdus cũ illo percutere velle mentiri ſunt. Cũ ecce tibi Ioſue externa apparentia deceptus fidem mendacibus adhibet, & peregrè eos venire exiſtimat, tametſi non longè habitarẽt. O quantum in mundo rerũ eſt, quas tu poma Sodomitica & Ezechielis templa poſſis appellare, refertas reuera idolis & qualibet abominatione! O quantum tu nũc ho- Cap. 9.

minum in mundo inuenias, quos mundi peregrinos & cœli ciues iurares, *& interiora eorum plena ſunt dolo*. Similes ſepulchris foris dealbatis, & oſſibus ac putredine plenis pulchri & elegantes apparentia, deformes verò & turpes effectu.

Eccl. 19. Mat. 13.

Sunt autem & alia in rerum natura qui plus ſunt quam eſſe videantur, ſimilia tabernaculis Cedar, de quibus ſpõſa in Cantico canit: *Nigra ſum ſed formoſa, ſicut tabernacula Cedar, ſicut pelles Salomonis*. Tales ſunt iuſti qui omnibus modis bona ſua tegere ſatagentes externa illa non morantur. Hinc Apoſtolus author nobis eſt vt iudicia noſtra ſuſpendamus; *Quoaduſque veniat Dominus, qui & illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium*. Hoc autem tunc fiet quando Sol Iuſtitiæ Ieſus Chriſtus omnia interiora reuelabit, & ſecretiſſimas cogitationes manifeſtabit. Nunc autem dum externa tantum intuemur, errare facillimum eſt, quemadmodum & Phariſæi illi decepti fuerunt, quibus Seruator noſter conſuluit ne ex apparentijs externis iudicarent. Quod conſilium nobis etiam noſmet accommodare debemus: cum enim omnia planè Seruatoris noſtri conſilia Diuinitatis ſuæ quædam ſtricturæ ac radij ſint, eos nos recipientes illuminabimur, vt ita de luce vitæ communicantes, benè operemur, ac benè faciendo ad gratiam diſponamur gloriam habituri, *Quam mihi & vobis*, &c.

Cap. 2. 1. Cor. 4.

CON-

CONCIO TRIGESIMATERTIA PRO DOMINICA PASSIONIS, QVÆ ALIAS IVDICA Dicitur.

Quis ex vobis arguet me de peccato? ſi ueritatem dico vobis, &c. Ioan. 8.

SAncta noſtra mater Eccleſia, Auditores in Chriſto dilectiſſimi, heſterna die mox Ieſu Chriſti ſponſi ac Redemptoris ſui exequias celebratura, lugubrem ſibi veſtem apparauit. Heri enim, prout Rupertus Abbas animaduertit, Iudæi conſilium Scribarum & Phariſæorum inierunt, & occaſionẽ à Lazari reſuſcitatione mutuati Filio Dei vitam eripere conſtituerunt: qui ex eo ſtatim die ampliùs in publicũ prodire noluit, ſed furori Iudaico ſe ſubſtracturus, in deſertũ Ephrem ſe recepit. Hoc voluntarium Seruatoris noſtri exilium, & luculentã illam iniuriã, quam maledicti iſti eius aduerſarij Sacroſ. Trinitati intulerunt, quando videlicet abſq; vlla cauſa filium Dei condemnauerũt, Sãcta Mater Eccleſia perpendens hodierno manè *Gloria Patri*, tam in ſacrificio Miſſæ, quã in alijs Diuini officij partibus omittere incœpit, nolens in publico gloriam S. Trinitati accinere, quo ad vna illius perſona videlicet Seruator noſter in deſerto latitaret. Oſtendit præterea nobis illa vexilla Imperatoris noſtri bellici, & in ijs arma Sacræ ſuæ Paſſionis, quo videlicet nos, ad inſigne illud bonum quod per eam acquiſiuimus recognoſcendum, & verò etiam ad peccata, quæ illam cauſauerunt deteſtandum, potentius inflammet atque impellat. Quis filius non toto corpore contremiſcat arma ea intuens, quibus parenti ſuo vitam nouit fuiſſe extortam? Quis ſeruus quantumuis infidelis, iniuſtæ mortis hero ſuo illatæ memor non vindictam cogitat, & contra facinoris autores non toto animo exardeſcit?

ſcit? Ferunt hiſtoriæ profanæ Marcum Antonium vnum ex Trium uiris ea tempeſtate Rempublicam Rom. gubernantibus, vt populum ad Iulium Cæſarem triginta tribus vulneribus in Senatu confectum, vlciſcendum inflammaret, cum ne quidquam longa & graui oratione fortiſſimi Imperatoris bellica facinora pro Republica ſuſcepta, coram vniuerſa populi Romani frequentia expoſuiſſet, &, magna vocis ac laterum contentione Patrem Patriæ fuiſſe illum aſſeruiſſet, omnes proditorum nomine eos afficiendo, ſceleris qui huius complices fuiſſent: Ad extremum ipſius Iulij Cæſaris interulam ſanguine imbutam, & pugionibus crudeliter tranſuerberatam, oſtentauit dicens: Ecce vobis, ô nobilia Romanorum pectora, ecce vobis Dictatoris veſtri Iulij Cæſaris interulam: Ecce ſanguinem Patris & protectoris patriæ: Ecce vulnera in induſio extantia, per quæ generoſus ille Spiritus veſtras iniurias toties fortiter vltus, euolauit. Hæc poſt vos clamant, atque vt illius mortem vindicetis, neque ſcelus tam acerbum hoſtibus ſuis ita abire pettamini, obteſtatur. Itane verò? Poſſunt oculi veſtri, abſque lachrymarum profluuio iſthæc intueri? Poteſt ſanguis veſter hunc innocenter effuſum intuens, non totus ita, contra tanti facinoris autores efferueſcere? ſanguinem videtis, &, quomodo qui eum effuderunt, per vos lucis communis vſura fruuntur? Qua oratione ita graui & feria, iuxtaque etiam ipſius Iulij Cæſaris interfecti interula mõſtrata ita repentè vniuerſus populus exarſit, totus vt in lachrymas ſolutus, ad arma concurrerit, omnes quos apprehendere poterat, occiderit, ijs tantum periculo ſe ſubducentibus, qui turpi & inhoneſta fuga ex vrbe fuerant dilapſi Idem in nobis, Chriſtiani mei Auditores, Sancta noſtra mater Eccleſia efficere conatur, dum videlicet nobis hodie Imperatoris noſtri vexilla, & arma paſſionis Dominicæ ob oculos ſtatuit: Confidens fore, vt ita compaſſione moti eius mortem vlciſcamur, ac eos qui vitam ipſi crudeliter eripuerunt, perſequamur. Dum itaque illa in ſolenni officio canit: *Hic acetum, fel, arundo, ſputa, claui, lancea, mite corpus perforatur, ſanguis, vnda profluit;* Quid inquam aliud dicere vult, quam omnia iſthæc acerbiſſima paſſionis ſuæ inſtrumenta, quæ in his velis

ac

ac inſignibus depicta videmus,quæque ſanguinem ſponſi, & Seruatoris noſtri profuderunt,dolorem in nobis excitare, animoſq; noſtros ad vindictam de hoſtibus illius ſumendam,debere inflammare.

Poteſtne fieri clamat Eccleſia,vt hæc abſque lachrymis aſpiciatis? Poteſt fieri vt viua Paſſionis Dominicæ repræſentatio non vos commoueat, atq; ad inimicos ſponſi mei perſequendos impellat? Poteſt fieri, vt interula Cæſaris ſanguine illius tincta,plus apud Romanos valuerit,quam arma Paſſionis Dominicæ apud Chriſtianos? video ego nonnullos ex vobis dolore perculſos, & iniurias iſtas Seruatori noſtro illatas vindicare, concupiſcere. Vultis itaque intelligere qui optimo noſtro Patri ac Conſeruatori vitã tam immaniter eripuerint? Peccata ſunt Audito- 1.Cor.3. res mei,& ab his vos vindictam exigere debetis,quia hæc Galat.1. vt tolleret atq; expungeret, Redemptorem noſtrum mor- Iſa.53. tem neceſſe fuit tolerare. Verum conſiderate etiam hoc loco,quanta cum diſcretione Sãcta noſtra Mater Eccleſia Euangelia ſua nobis proponat. Demonſtratura namq; Seruatorem noſtrum non propter ſua ſed propter noſtra peccata mortem adeò crudelem obiuiſſe, & conſequenter ad peccata deteſtanda nos inflammatura, hodierna nobis die Euangelium proponit, in quo Seruator noſter innocentiam ſuam ſuorum met hoſtium teſtimonio aſtruit: vt ita intelligentes eum in nullo culpabilem fuiſſe, confeſtim conſtituamus eum propter peccata aliena paſſum fuiſſe, ſicque in eo Eſaiæ illud vaticinium fuiſſe adimpletum: *Ipſe vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra*. Cap. 53. Quorum verborum ſenſum idem Propheta in eodem capite ſepties facilè repetit. Et quoniam dubitari non poteſt peccata noſtra, vitam parenti noſtro, ſponſo, Redemptori, ac Deo noſtro eripuiſſe, quæ malum peruerſitas illa eſt contra ea non commoueri, non exardeſcere, non indignari? Quomodo ea diutius in noſtris conſcientijs poſſumus tolerare? Quomodo tranquillã vitam cũ peccato degere,quod Deum noſtrũ vita priuauit? Quod ſpõſum noſtrum crucifixit? Quod Patrem noſtrum turpiſſimè diffamauit? Verum videamus,quemadmodũ is innocentiam ſuam probet, quo videlicet ita illa perſpecta, malitia noſtra amplius confundatur,& condemnetur.

Quis

Lib.35. cap.20. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Autor eſt Plinius celebrem illum, & artis pictoriæ anteſignanum Appellem, tabulas ſuas in publico collocare conſueuiſſe, vt ita omnium cenſuris expoſitæ, ſi à nemine repræhenſæ fuiſſent, ipſemet artem ac excellentiam ſuam confirmarent. Ieſus Sap 7. Chriſtus, ſicut Scriptura loquitur, erat imago bonitatis Heb.1. paternæ, & figura illius ſubſtantiæ. Idcirco hodie ſe velut alter quidam Appelles inimicorum ſuorum examini ſubijcit, vt nullo peccati næuo in eo animaduerſo, illius ſanctimonia, & innocentia publicaretur. Huius Diuinæ imaginis elegantiam, & artificium ſponſa in canti- Cant.5. cis nobis deſcripſit dicens: *Dilectus meus candidus, & rubicundus, electus ex millibus*. Candidus inquam ſecundum Sap.7. diuinitatem, quæ à ſapiente *candor lucis æternæ* appellatur: Rubicundus autem ſecundum humanitatem, quia videlicet illius corpus ex puriſſimis Diuiparæ Virginis ſanguinibus fuit efformatum: Adeò dum dicitur candidum illum eſſe, & rubicundum, nihil aliud ſignificatur, quam eum iuxta Deum ac hominem eſſe. Dum autem additur *electus ex millibus*, oſtenditur eum infinitis ſpatijs non humanam tantum, ſed Angelicam etiam naturam præcurrere: dicente præſertim D. Auguſtino: *Natura humana in* De Prædeſtinatione Sãctorum cap.15. *Chriſto ad tam ſublimem dignitatem diuina prædeſtinatione euecta fuit, vt maior neque excogitari poſſit.* Vnde meritò ſponſa dicit eum ex millibus eſſe electum, vel ſicut alia verſio habet, *vexillatum in decem millibus*, hoc eſt decem milium anteſignanum, quos omnes dignitate, & excellentia anteuertat, & addit ſponſa: *Caput eius aurum optimum; comæ eius ſunt elatæ palmarum nigræ quaſi coruus.* Vbi ſicut in Diuinis litteris, aurum ſapientiæ ſymbolum eſt, ita per caput aureũ ſapientiſſimus eſſe ſignificatur. Comæ autem per quas cogitationes intelligimus ad inſtar procerorum palmæ ramorum ſurſum tendunt, atq; excreſcunt. Ideò autem nigræ vt coruus appellãtur, quia propter obſcuritatem penetrari non poſſunt. Et quoniam cædem nihilominus co- Dan.7. gitationes caſtiſſimæ ſunt, ideò Daniel ait vidiſſe ſe il- Apoc.1. lum capillo candido, & lanæ perſimili: Et D. Ioannes niue illum candidiorem fuiſſe ſibi viſum affirmat. Ex quibus omnibus inferimus Redemptoris noſtri cogitationes non humiles, & abiectas, ſed ſublimes fuiſſe, ipſamque

que propter ſublimitatem qua obſcurabantur difficulter penetrari potuiſſe, puræ nihilominus, & qualibet etiam niue candidores. *Oculi eius*, pergit ſponſa: *ſicut columbæ ſecus riuulos aquarum quæ lotæ ſunt lacte.* Oculi in Scriptura ſacra intentionem ſignant, prout ex illo Seruatoris noſtri liquet: *Si oculus tuus nequam eſt, &c.* Vult proinde ſponſa ſignificare Seruatoris noſtri in ſuis operibus intentionem non fictam, & hypocriticam, ſed ſimpliciſſimam, & columbinam eſſe, imò quantumuis limpida aqua clariorem. Neq; etiam duplicem, ſed inſtar lactis, quod iuxta D. Gregorium Nyſſenum, adeò ſincerum eſt, vt contra reliquorũ liquorum naturam nullas figuras recipiat, quia videlicet hæc repræſentatio ſimulationis ac Hypocriſeos quandam ſpeciem habere videtur. Non inſiſtit autem hic ſponſa, ſed vlterius progrediens ita ſponſi ſui genas deſcribit: *Genæ illius*, inquit, *areolæ aromatum, quæ conſitæ ſunt à pigmentarijs.* Cum enim genæ, in quibus vniuerſa totius faciei pulchritudo conſiſtit, duas nobiliſſimas animæ potentias nobis repræſentent, quæ ſunt Intellectus, & Voluntas, idcirco ſponſa florum areolis illas comparat, oſtenſura Seruatoris noſtri intellectum omni ſcientiarum tam diuinarum quã humanarum genere fuiſſe refertum, ipſamque adeò illius voluntatem omnibus virtutibus quæ quidem deſiderari poſſunt, abundauiſſe: Atq; hoc non eo tantum fine, maior vt illius venuſtas, & pulchritudo eſſet, ſed vt hominibus opitularetur, quemadmodum herbæ illæ reuera ijs opitulantur, quas pharmacopæi in areolis hortorum ſuorum depangere conſueuerunt. Sed neq; hic finis laudum, tranſit enim ſponſa à genis ad labia, ſignificans per illam diſcretionem cuius in loquendo rationem habere oportet, iuxtaque oſtendens Seruatorem noſtrum non ſapientem tantum, ſed egregiè etiam facundum fuiſſe. Vnde ait: *Labia eius lilia ſtillantia myrrham primam*: volens ſignificare Seruatori noſtro purpurea labia fuiſſe, ſiquidem, & illius coloris lilia reperiri tradunt Plinius, Dioſcorides, & Theophraſtes. Vnde idem eſt ac ſi ſpõſa dicat: Verba ſponſi mei charitate ardent, neq; ad inane lenocinium, quemadmodum nonnullorum hominum, quos mundus eloquentes exiſtimat, compoſita ſunt, ſed ſalutaria, ad inſtar myrrhæ, quæ potius ſanitati quam voluptati eſt, debent exiſtimari.

Matt. 6.

Super Cant.

Lilia rubra.

Plin. lib. 21. cap. 5

Et ta-

Et talem omninò Chriſtianorum eloquentiam eſſe oportet, inquit Theodoretus: neque illi abſimilem, quam ſponſa hic in Seruatore noſtro commendat. *Manus eius tornatiles*, inquit eadem ſponſa, *aurea, plenæ hyacinthis:* volens ſignificare ſponſum ſuum diuitem eſſe, non modo quantum ad terrenas illas facultates, quæ per aurum ſignantur, ſed etiam quantum ad cæli opes quæ per hyacinthos repræſentantur; ſiquidem is cælum, & terram poſſidet, iuxta illud: *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo, & in terra.* Porrò dum addit manus illius tornatiles eſſe, ſponſi ſui innocentiam innuit, quod enim tornatile eſt, id æquabilitatem habet, & nulla ex parte horridum, & aſperum eſt. Et quoniam quæ tornatilia ſunt, nullo negotio vertuntur atque voluuntur, hinc per eandem allegoriam ſponſi ſui liberalitatem adumbrare conatur. Progreditur deinde ſpōſa, ac ſponſo ſuo ventrem marmoreum, ſapphyris diſtinctum eſſe inquit, repræſentans puriſſima ac cæleſtia Seruatoris noſtri viſcera. Quin, & illius femora deſcriptura, ac per ea illius vires ac fortitudinem depictura, dicit: *Sicut columnæ marmoreæ, quæ fundatæ ſunt ſuper baſes aureas*; denique cum dixiſſet vultum illius ac frontem ad inſtar Libani cædrorum eſſe elatam, proceritatem illius, imò ipſius perſonæ dignitatem ſignificat. Addens ad extremum *totus deſiderabilis*, vt videlicet conſtet à capite vſque ad calcem omnia in ſponſo ſuo pulchra, venuſta, & elegantia fuiſſe. Atque hæc etſi breuis, attamen viua, & accurata Seruatoris noſtri deſcriptio ac deliniatio eſt, cuius tu imaginem potiùs, quam omnes Appelleas tabulas, aut Lyſippi ſtatuas in publico, imò in arce Palladis, omnibus ſpectandas poſſis collocare. Iam idem noſter Redemptor, ſeipſum acerrimo omnium examini ſubijciens, aduerſarios quoque ſuos iudicio exponit, admirabili cum fiducia dicens, *quis ex vobis arguet me de peccato?* Quis probare poterit, aliquod me delictum admiſſe? Dubitari ſanè non poteſt de Seruatoris noſtri innocentia, ſiquidem eam vel ipſorum ſuorum inimicorum cenſuræ ac iudicio ſubmittere non dubitauit. Vnde apparet eum omnes omninò partes ad ſummi ſacerdotis, & victimæ pro peccatis noſtris immolandæ proprietates pertinentes habuiſſe. Agnus enim qui ſacrificandus

ex de-

Super Cant.

Mat. 28.

ex decreto Dei erat, immaculatus eſſe debebat, cõtra quod ne aliquando delinqueretur ſacerdotibus cura incumbebat. Atque idcircò Seruator noſter eorum examini ac cenſuræ ſemet ſubiecit. Quin ſacerdotes etiam mundos &, incorruptæ vitæ eſſe oportebat, dicente S. Paulo: *Sanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus, & excelſior cœlis factus.* Cum enim ſacrificium idcircò offerretur, vt per id peccatorum maculæ eluerentur, hinc mundum id eſſe oportebat, quique immolaturus erat, vitæ ſanctimonia inſignem. Noſter autem Seruator vtroque ſe pollere oſtendit, quando publico examini vitam ſuam & mores ſubijcere non dubitauit. *Si veritatem dico vobis quare non creditis mihi:* Conatur his verbis Seruator noſter Iudæis oſtendere, non ſua culpa, ſed illorum malitia accidiſſe, ſuam quod doctrinam non receperint. Et quoniam illius opinio irrefragibilis, & omni replica maior eſt, hinc obſeruandum videtur tres ferè cauſas eſſe, quare nonnulli homines à concionatoribus ſibi doctrinam traditam reſpuere ſoleãt, & auerſari. Prima, ſunt mores corrupti illius qui docet, nam iuxta D. Gregor. *cuius vita deſpicitur, reſtat vt etiam prædicatio contemnatur.* Peruerſa ſcilicet concionatorum vita doctrinæ illorum præiudicat: admodum enim difficulter improbis ac ſceleratis fidem ſolemus adhibere. Secunda cauſa eſt, falſa opinio, qua nugas & mendacia illos nobis vendere perſuademus. Vti enim veritas intellectus obiectum eſt, ita illud mendacium nullo modo recipere poſſe videtur. Tertia ratio Auditorum ipſorum malitia eſt, qui doctrinam ſibi traditam idcircò reſpuunt, quia ſenſibus, ac appetitibus ſuis illam aduerſari deprahendunt. Videamus itaque nunc, inquit Seruator noſter, propter vtram harum cauſarum vos doctrinam meam recipere nolueritis. Ad primam enim quod attinet, ipſos vos iudices & arbitros deligo: *quis ex vobis arguet me de peccato?* Si quam mihi culpam adhæreſcere ſcitis, eam mihi obijcite, modo eiuſdem me conuincere valeatis. Ad ſecundam autem rationem ſi animum referatis, nihil admodum contra me adferre poteſtis, quia *veritatem dico vobis,* eandem bonis teſtimonijs, rationibus plauſibilibus, & miraculis euidentiſſimis confirmans. Vnde concludo, ſoli veſtræ malitię adſcribendum eſſe, quod doctrinam meam

Exo.12. *Leuit.1.* *Heb.7.*

Verbũ Dei cur non recipiatur

meam non recipitis & ex Deo non eſtis. Quiſquis enim ex Deo eſt, verba illius libenter audit. Et quoniam concluſio illa non minus Iudæos quam nos concernit, operæpretium, imò ſalutare fuerit, eidem nonnihil immorari: & quo vniuerſam hanc doctrinam quam vobis traditurus ſum, melius intelligamus, præſupponendum eſſe videtur, nihil æquè in mundo admirari nos oportere, quam quod veritas, quam præſertim intellectus noſter adeò impensè appetit, ſæpenumerò peſſimis modis accepta, à nobis exulare cogatur. Obſeruauit vir diuini ingenij Georgius Venetus, Hebræos nomen veritatis tribus litteris efferre, quæ ipſæ etiam quodãmodo quadratæ ſunt, puta *Aleph, Mem, Tau*. Quarum prima Alphabetum ipſum incipit, Secũda, medium in eodem locum tenet. Tertia autem finem occupat, qualibet earum inſignia duo nos myſteria docente. Ac primum quidem eſt, quod veritas in principij, finis, & medij bona, & perfecta correſpondentia conſiſtat. Verba media ſunt quibus conceptum noſtrum declaramus, quæ etiam viua imago rei quam ſignificare volumus eſſe debet, quæ quoddam principium eſt, quo lingua ad loquendum mouetur. Finis autem debet eſſe, manifeſtatio illius, quod realiter in re quam ſignificamus exiſtit. Vnde conſequitur tunc veritatẽ dici, quando verba ei conformia ſunt, quod intellectus concipit, & quod realiter in re ſignificata exiſtit. Atque hoc nobis myſterium Hebræi innuere voluerunt, quando tres litteras ex initio, medio, ac fine alphabeti ſumentes, veritatis inde nomen, compoſuerunt. Alterum myſterium in eo conſiſtit quod litteræ quadratæ ſunt. Per quod ſignificatur, quemadmodum corpora, quadrata in quacunque etiam partem ceciderint, firma ſtabiliaq; manent, ita veritatem, vbiuis locorum ac gentium, conuelli non poſſe. Econtra autem falſitatis & mendacij nomen tribus litteris inæqualibus efformabant, demonſtraturi id in intellectu noſtro exiſtere non poſſe, niſi ipſam eius capacitatem corrumpere deſtruereq; velimus. Et non miremur veritatem toties male habitam, & tractatam via vnquam recipi, & ſemper exulare? Quod ſi etiam hoc loco ominari, & augurari liceat, dico id ab occulto quodam veneficio prouenire, quo Diabolus humana ingenia faſcinat atque incantat, quippe cum fieri non poſ-

Veritas cur non recipiatur.

ſit

ſit vt intellectus ſanus,& ſui compos adeò turpiter ſe decipi,ac deludi patiatur. Nolite autem Chriſtiani auditores, opinionem iſthanc meam admirari, volens enim D. Paulus Apoſtolus Galatas reprehendere,quod Euangelicæ voluntati non obedirent,ita illos compellat; O *inſenſati Galatæ,quis vos faſcinauit non obedire veritati?* Qui incantati ſunt,attoniti incedunt,neque de rebus ſana iudicia ferre poſſunt. Vti enim ſenſus in obiectis ſuis falluntur, ita intellectus in ſuis opinionibus, & iudicijs hallucinatur. Qui inſenſati ſunt, cibum in ſtomacho retinere non poſſunt. Hinc Apoſtolus Galatas inſenſatos,& faſcinatos appellat, quod videlicet veram, & ſolitam doctrinam non retinerent, & verò etiam in iudicio de veritate, egregiè deciperentur. Idem planè ijs euenit,qui ſiniſtra iudicia de veritate ferunt: *Faſcinatio enim nugacitatis obſcurat bona,* inquit Spiritus Sanctus, *& inconſtantia concupiſcentiæ tranſuertit ſenſum ſine malitia.* Poſtquam autem bona obſcurata, ipſique adeò ſenſus nimio amore rerum terrenarum obfuſcati ſunt, tum iudicium rationis neceſſariò impingere debet,& à vero aberrare. Vnde etiam conſequitur,veritates niſi iudicio noſtro conformes ſint, vt tales recipi, & pro talibus haberi non poſſe: Et quamuis intellectus eas cognoſcat, voluntas tamen reſpuit, & auerſatur, quia ex Diametro illi aduerſantur,quod illa appetit,& cõcupiſcit.

Cap. 3.

Sap. 13.

Ferunt Ægyptios veritatem repræſentaturos, Solem pingere conſueuiſſe: & Pytagoram homines, ne veritati obluctarentur, admonentem ſæpenumerò dixiſſe: *Contrà ſolem ne loquaris.* Quod ſi veritas ſol quidam eſt, quid miramur noctuarum, ac veſpertilionum, hoc eſt,peccatorũ oculos,qui tenebras male facturi ſectantur, eius lumẽ ſufferre non poſſe? *Omnis enim qui malè agit odit lucem,* inquit Seruator noſter, *& non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius.* Ex quibus perſpicimus ſolos peccatores veritatem deteſtari: atque hoc ipſum illud eſſe, quod Seruator noſter Phariſæis ſignificare voluit, cum diceret.

Pierius lib. 44. *Veritas ſoli comparata.*

Ioan. 3.

Propterea vos non auditis,quia ex Deo non eſtis. Eſtis vos filij tenebrarum,& ideo lucem odiſtis. Nos autem Auditores ex hoc loco diſcamus veritatem magnifacere,& mendacium è contra abominari, ſequentes conſilium D. Pauli ad Epheſios: *Deponentes mendacium loquimini veritatem,*

Epheſ. 4.

vnuſquiſq; cum proximo ſuo: nihil enim eſt, quod perinde Deus ac mēdaciū deteſtetur. Auctor eſt Philo Iudæus, & poſt illum Origenes, idcirco Deum, nullas imagines, ſtatuas, ac picturas in populo ſuo extare voluiſſe, quod videlicet omnes illæ mendacij quandam, & fictionis ſpeciē habeant, dum videlicet aliud quam quod ſunt repræſentant. Talis eſt intentio pictorum & ſtatuariorum, quemadmodum Spir. Sanct. nos docet, quando de ſculptore lignum exaſciante, & dedolante loquens ait, *vt per ſcientiam ſuæ artis figuret illud. & aſſimilet illud imagini hominis, aut alicui ex animalibus illud comparet.* Aboleamus itaque, inquit Deus, hanc mentiendi ac fingendi rationem, quo videlicet populus meus intelligat omnes me falſitates, & vanitates, etiam in picturis ipſis abominari. Sapiens docens Deum ſeptem res peſſimè odiſſe, bis mendacij inter eas meminit: *Linguam mendacem, & proferentem mendacia*, inquiens. Quoniam autem inter omnia vitia, nullum æquè infame eſt, ac mendacium, ideò hoc loco plura ſuper eo dicere ſuper ſedebo: Faxit modo Deus, vt ſicut quēlibet pudet mendacem audire, ita nemo non mendacium dicturus erubeſcat. Sed quis amabò mentis compos rem adeò infamem & in tantum Deo inuiſam inter homines velit tolerare? Tollite mihi mendacium, & potiſſimam vitiorum partem vna ſuſtuleritis amplectamini veritatem, ex qua tot ac tanti fructus ad vos promanant. Auſcultate illos, quoniam ſicut Seruator noſter in hodierno Euangelio docet, qui veritatem libenter audiunt, ij euidentiſſimè demonſtrant ſe filios Dei eſſe.

Lib. de Gigant. Orig. lib. 4. contra Celſum. Sap. 13. Prou. 6.

Abraham Pater veſter exultauit vt videret diem meum &c. Poſtquam Seruator noſter, ad oculum Iudæis demonſtrauiſſet, illorum malitiæ adſcribendum eſſe, quod ſuam doctrinam non receperint, author eſt Euangeliſta eos illum vt Samaritanum, vt à Diabolo obſeſſum, & publicis flagitijs obſitum tractauiſſe. Cui iniuriæ Seruator noſter ſuauiter reſpondit, admirabile patientiæ exemplum nobis relinquens, ac dicens ſe quidem Diabolum non habere, honorare autem cœleſtem ſuum patrem, quem ipſi inſigni iniuria affeciſſent, at non impunè, quia Deuteronomij illud non falſum: *Ponam verba mea in ore eius, & quicunque non audierit quæ loquetur in nomine meo, ego vltor exiſtam.*

Cap. 13.

exiſtam. Vnde paulò poſt, vt in hac etiam vita pœnas darent, Romanis & eorum libidini ceſſerunt: quo videlicet nos intelligamus, ſi iniurias nobis illatas patienter ſuſtinuerimus, & vindictam Deo reliquerimus, optimè nos inimicos vltos fuiſſe: memores ſemper oraculi illius apud D. Paulum: *Mihi vindicta & ego retribuam*; & Moſayci: *Mea eſt vltio & ego retribuam eam in tempore*, at denique illius quod apud Sapientem legitur: *Ne dicas, reddam malum; expecta Dominum, & liberabit te.* *Rom. 12* *Deut. 32* *Prou. 20*

Abraham exultauit vt videret diem meum, vidit & gauiſus eſt. Cum Iudæi diſcurſu illo à Seruatore inſtituto amplius exacerbarentur, putarentque Chriſtum Patriarchæ Abraham ſe anteferre, breuiter allata modo verba ijs oggeſſit: quæ iſtis æquipollent: Vos veri filij Abrahæ non eſtis, quia meo bono non acquieſcitis: bonorum namq; filiorum eſt ex illis voluptatem capere, quib. parentem honeſtè affici recreariq; intelligunt. Et quoniam eadem modò allata verba tempori Paſſionis Dominicæ apprimè accommodata ſunt, ideò reliquum ſermonem illorum explicationi impendam. Noui ego probè D. Gregorium homilia decima octaua ſuper Euangelia. D. Hieronymũ ſuper c. 8. Danielis, & Rupertum Abbatem lib. 9. ſuper D. Ioannem exiſtimare Abrahamum tunc Ieſu Chriſti diem vidiſſe, quando tribus ſibi Angelis apparentibus vnũ ſolummodo adorauit. Noui præterea D. Auguſt. tract. 43. ſuper Ioannem, D. Irenæum lib. 4. c. 15. & 26. compluresque alios claſſicos, & magni nominis authores per Dominicum illum diem incarnationem verbi Abrahamo reuelatam intelligere. Quod ſi meam etiam ſuper hoc loco ſententiam ſciſciteris, dico me D. Ioanni Chryſoſtomo homil. 54. ſuper Ioannem, & 47. ſuper Geneſin: iuxtaque D. Ambroſio in libro primo de Abrahamo cap. 8. & alijs non paucis ſubſcribere, qui Dominicum iſtum Seruatoris noſtri diem ad paſſionem referunt, quam Abraham tunc præuidit, quando proprium filium ſacrificare molienti Angelus arietem repræſentauit. Porrò vt diſcurſum noſtrum auſpicemur, dicamus Deum mundum redimere conſtituentem, Miſericordiam atque Iuſtitiã in hoc ſibi opere obuiare voluiſſe, prout Dauid dicit, ita vt miſericordia, qua erga nos vſurus erat, debitũ quo- *Saluatoris noſtri dies qualis.* *Pſal. 84*

dammodo ſuum videretur. Idcirco enim in vniuerſo terrarum orbe hominem ſelegit proprium qui ſibi filium immolare non vereretur: in cuius poſtea promptitudinis recompenſationem, Deus quodammodo obligatus fuit, proprium ſimiliter filium pro ſalute humani generis immolare. Ita vt vniuerſum humanæ Redemptionis opus non minus debitum, & recompenſatio, quam gratia fuerit, prout Angelus ita Abraham alloquens ſignificauit: *Quia feciſti rem hanc, & non pepercisti filio tuo vnigenito. Benedicentur in ſemine tuo omnes gentes.* At ecce rem ipſam atque Hiſtoriam. Suppeditaturus Deus mundo obedientiæ exemplum, omnia quod cætera præter lapſæ Gentilitatis obſcuraret quodam tempore Abraham acceſſiuit, illique iniunxit dicens: *Tolle filium tuum vnigenitum quem diligis Iſaac, &cæt. Et offeres eum in holocauſtum ſuper vnum montium quem dixero tibi.* Quæ verba vti conſideratione digniſſima ſunt, ita ab Origene, & D. Ioanne Chryſoſtomo admirabili eloquentia pertractantur. Nec immeritò ſanè: Poterat enim Deo ſufficere ſi dixiſſet, Vade ad Abraham, & immola mihi Iſaac; dum autem addit, *filium tuum vnigenitum*, & *quem amas*, ſingulari artificio affectum illius experitur, & quot verba profert tot lanceis illius pectus transfigit. Etſi itaque Theophilia ac Storgi paterna in ſancti illius ſenis corde accerrimè dimicarent, vicit tamẽ ad extremum iuxta Philonem quæ maior erat Theophilia. Promptus itaque neque dum illuceſſeret expectans, filio ac duob. famulis ſtipatus in viam ſe dedit ac aſinum lignorum faſce holocauſto inſeruituro onerans poſt tridui iter ad montem vbi filium immolaturus erat peruenit. Quem ſimulac contigit, ipſe ſeruis ad radicem montis relictis, ignem & gladium ferens, filio lignorum faſciculum impoſuit. Ecce vobis Auditores in Abraham figuram Dei patris, Ecce in Iſaac imaginem Seruatoris Ieſu Chriſti. Abraham altera manu ignem, altera gladium præfert. Ignis primo mentio fit, vt conſtet abſque amore ſi fuiſſet, Deum nunquam gladium ſacrificandi filium ergò fuiſſe accepturum. *Sic Deus dilexit mundum*, inquit D. Ioannes, Ecce Ignem. *Vt filium ſuum vnigenitum daret.* Ecce amoris effectum: Ecce filium datum non vt ab eo iudicemur,

Hom. 18 in Gen.
Chryſoſ. Hom. 48
Lib. de Abraham.
Cap. 3.

ſed

ſed *vt ſaluetur mundus per ipſum*. Ecce gladium: quem ideò Deus Pater in manus ſumpſit,illoq; vnigenitum ſuũ immolauit,vt Deo ſatis fieret, & mundus ſaluaretur. Ecce proinde Abrahamum ad viuum Deum patrem nobis præſignantem. Iam ſicut non alius quam Abraham *tulit ligna holocauſti, & impoſuit ſuper Iſaac:* ita Redemptori Chriſto lignum Crucis nihil aliud in humeros impoſuit quam Dei Patris obedientia; iuxta illud Iſaiæ, *Poſuit in eo iniquitates omnium noſtrum:* hæ enim Crucem Redemptori noſtro fabrefecerũt. Porrò ſicut Abraham Deum Patrem, ita Iſaac Ieſum Chriſtum præfigurat. Et quemadmodum lignorũ ille faſciculus humeris Iſaaci impoſitus ex multis & varijs lignis conſtabat,ita Crux Domini noſtri ex plurib. alijs compoſita fuit;erat illic mea,erat tua,erant totius mundi Cruces: Nã propter iniquitates noſtras Crux fuit fabefracta, & poſtea innocentiſſimo Iſaaco impoſita. Et quamuis ex his omnibus clariſſimè intelligatur quomodo Abraham diem Domini noſtri oboculos habuerit: id tamen euidentius adhuc multò ex ſequentibus euadet. Poſtquam enim pater,& filius in iugum montis euaſiſſent, Abraham ex lapidibus altare extruxit,eique ligna impoſuit: ac mox ligatum Iſaac pyræ ſuperſtatuit,illo non modo nõ obluctante, ſed ne verbo quidem contra dicente. Hæc verò omnia Crucifixionis Dominicæ in monte Caluariæ factæ figuræ ſunt. Nam Crux inter ſaxa altare repræſentantia fuit defixa. Ipſe autẽ Ieſus Chriſtus verus ille Iſaac manus ac pedes tunc ligatus, quando eidem Cruci conclauatus fuit, nullum interim verbulum contra dicens: *Tanquam agnus coram tondente ſic obmutuit.* Abraham deinde elata manu velut Iſaaci inimicus ac hoſtis gladium illius ceruici intentauit: quod ſimiliter in Deo Patre euenit,iuxta Zachariam in illius perſona dicentem? *Framea ſuſcitare ſuper paſtorem meum, & ſuper virum cohærentem mihi,percute paſtorem*. Quid expectatis Auditores? Iã cæſurus innocentis Iſaaci iugulum erat pater, cùm ecce de cęlo repente vox inſonat: *Ne extendas manum ſuper puerum.* Et cõfeſtim Angelus arietem oſtendit, monſtrans hanc victimam Deo gratam eſſe futuram.

Iſa.53.

Cap. 12

Hic aries, iuxta omnium Doctorum opinionem figura fuit Ieſu Chriſti, ſiquidem non Iſaac ſed Ieſus Chriſtus

ſacrificatus Dei iram erat placaturus, ac diuinæ Iuſtitiæ ſatisfacturus. Id autem quomodo fieri poteſt, inquit Origenes, ſiquidem iam ante diximus Iſaac Seruatorem noſtrum præfiguraiuſſe? Iſaac in viuis manet, aries moritur. Quod ſi hic ille vitam pendit, hic amittit, quomodo vterque vnam, & eandem rem poteſt præfigurare?
Hom. 18 in Gen. Reſpondet idem Origenes; ad hanc difficultatem expediendam ſcire oportere duas in Chriſto naturas fuiſſe, puta humanam, & diuinam, mortalem alteram, alteram vero immortalem. Secundum humanam, quæ arietem cæſum repræſentat, Chriſtus moritur: ſecũdum Diuinitatem Deus per Iſaac viuentem ſignatus non moritur. Et quis adhuc non intelligit qua ratione Abraham diem Domini noſtri ob oculos habuerit? An exiſtimatis adeò hebeti, & obtuſa acie illum fuiſſe, vt quid ante illum erat non conſpiceret? *Vidit* certè, *& gauiſus eſt*. vidit, inquit oculis animæ, & incredibili gaudio perfuſus fuit: intelligens per arietem illum ad ſacrificandum ſibi oblatum mortem, & paſſionem Redemptoris noſtri; quæ propriè dies Domini appellatur. Porrò ad eiuſdem rei clariorem explicationem; obſeruandum fuerit Abrahamum Angelo ſibi
Lib. de Abrahã cap. 8. arietem monſtrante circumſpexiſſe: *Leuauit oculos ſuos*, inquit Scriptura: *viditque poſt tergum ſuum arietem, inter vepres hærentem cornibus*, vel ſicut D. Ambroſius transfert: *Ecce aries vnus hærens ſuſpenſus cornibus in virgulto*. Quod ad viuum Seruatorem noſtrum Crucifixum repræſentat, qui ſpinis coronatus, & crucis cornibus conclauatus fuit, iuxta
Cap. 3. ta Abacuch illud: *Cornua in manibus eius*. Cæterum Abraham hunc arietem oblatum ſacrificans, ſacrificij locum *Dominus videt*, vel iuxta aliam verſionem *Dominus videbit* appellauit. Ac ſi dicat: Deus Dominus meus videt ac cognoſcit quid illi obediturus in filio meo deſignare voluerim: quod etſi à toto mundo videri ac ſpectari mereatur, mihi tamen ſufficit, quod *Dominus videbit*. Adueniet enim aliquando dies illla in qua id in filio ipſius completum videbo, quod ego in meo exequi prohibitus ſum. Addit autem Moyſes montem iſtum nomen illud ad ſuam vſque ætatem retinuiſſe ita vt vocaretur. *Dominus in monte hoc videbit*, vel iuxta textum Hebræũ: *Dominus videbitur*. Vtrumque autem adimpletum fuit.
Nam

Nam Filius Dei eo in loco Cruci conclauatus à mundo vniuerſo viſus fuit, & ipſe Deus Pater Filium illic ſuum pro noſtris peccatis oblatum conſpexit: prorſus vt vtrumque nomen, hoc eſt *Dominus videbit*, & *Dominus videbitur*, optimè monti conueniat. Ibi enim Abrahamo, ſecundum D. Ambroſium paſſio, & mors Ieſu Chriſti, quam is perpeſſurus erat, fuit reuelata. Atque ob hanc cauſam, ſi D. Iuſtino martyri credimus, Abraham arietem ſibi monſtratum viſurus, non retroſpexit, quod ex hiſtoria fieri debuiſſe colligimus, ſed *leuauit oculos ſuos, & vidit arietem*. Ac ſi diceret: Deus, & Dominus meus ecce attollo oculos meos eũ ad locum vbi Spiritus meus eſt, qui idcirco non circa arietem occupatur, ſed ad illum penetrat cuius is eſt figura; puta filium tuum incarnatum, qui loco mei Iſaaci immolandus eſt. Atque in huius rei fidem volo montem hunc, *Dominus videbitur in monte iſto*, appellari. Nunquid aduertitis iam nunc Auditores, quomodo Abraham fidei oculis Domini diem conſpexerit? Certè de hac fide ipſa D Paulus loquitur, dicens: *Fide Abraham obtulit Iſaac ſacrificium*. Sed, & de eadem Fide, iuxta opinionem D. Ambroſij, Chryſoſt. & Cyrilli illud Dominicum in noſtro Euangelio ſequens, intelligendum eſt: *Abraham vidit, & gauiſus eſt*. Quibus tamen verbis difficultas aliqua ſubeſſe videtur. Etenim ſi dies quam Abraham fidei oculis conſpexit dies paſſionis Dominicæ fuit, quomodo in illa gaudere potuit, & exultare? Quomodo homo ita perfectus, & theophilus, qualis quidem Abraham erat, ſolo fidei intuitu cognoſcens vnigenitum Dei filium moriturum, potuit Letari? Ad hanc difficultatem intelligendam, bifarium nobis Abraham, quatenus ſacrificium concernit, conſiderandus eſt. Primò vt Deum Patrem repræſentans, *qui proprio filio ſuo non pepercit*, inquit S. Paulus, ac ſi dicat: Deus aliorum liberis facilè parcit, hic autem proprio filio ſuo parcere non voluit. Ita vt Abraham, quatenus figura Dei Patris, arieti qui figura Chriſti erat, non pepercit, ſed illum ſacrificarit. Qua quidẽ ratione Abrahã conſideratus, optimam exultandi occaſionẽ habuit, ſiquidẽ Deus, Pater nihil impẽſius videre geſtiebat, q̃ filium ſuũ ſacrificatũ, vt per illũ iuſtitiæ ſuæ ſatisfieret, offenſæ vindicarentur, & honor labefactatus reſtau-

Loco ſuperius citato.

Heb. 11.
Lib. 6. *in Ioann. cap.* 11.

Rom. 8.

raretur, ob eandemque cauſam in veteri lege, imò in ipſo naturæ tempore, tot figuras, mortem vnigeniti ſui filij ſignantes, inſtituit. Vnde *Agnus occiſus ab origine mundi* fuit appellatus. Occiſus inquit Gloſſa, in Agno quem Abel Deo obtulit, qui tamen ipſi gratus non fuit, niſi quatenus Ieſum Chriſtum pro peccatis noſtris moriturum, repræſentauit. Iam Agnus Paſchalis, & hircus in campum remiſſus, omniaque alia ſacrificia in templo oblata, quid aliud erant, quam figuræ mortis, ac paſſionis Ieſu Chriſti? Hoc enim ſenſu nonnulli Doctores, D. Pauli in perſona Seruatoris noſtri loquentis, verba intelligunt: *Hoſtiam & oblationem noluiſti, corpus autem aptaſti mihi.* Ideſt: Non deſideraſti tu hoſtias & ſacrificia illa, quæ in veteri lege tibi offerebantur, quippè cum vmbra tantum rerum futurarũ eſſent. Harum autem figurarum corpus mihi reſeruauiſti, in quo omnes illæ figuræ adimplendæ ſunt. Quamuis autem ſacrificia illa cur Deo ſatisfacerent nihil in ſe habebant, grata tamen & accepta illi erant, quia ſacrificium Filij ſui præſignificabant. Vnde ſicut qui amant, rem amatam in diuerſis ſibi locis repræſentatam, videntes mirabiliter exultant, ita Deus Filij ſui mortem, quam vnicè expetebat, innumeris in veteri teſtamento figuris, ſibi voluit repræſentari. Atque hæc ſatis ſunt vt intelligatur Abrahã quatenus figura Dei Patris conſideratum, videndo in ſpiritu diem Domini noſtri, mirabili gaudio fuiſſe perfuſũ. Quod ſi eundem etiam Abrahamum, vt hominem tãtum libet conſiderare, non minorem exultãdi occaſionem habebat. Conſpiciens enim diem iſtum lætitia efferri poterat, non propter tormenta, quæ Seruator noſter erat perpeſſurus, ſed propter admirabiles fructus & vtilitates, quę ex ijs erant promanaturæ. Simile huic eſt, quòd apud Iſaiam quiſquis minus attente legit, ſcandalizari poterit: *Deſiderauimus eum deſpectum*, inquit, de Filio Dei loquens, *& nouiſſimum virorum, virum dolorum, & ſcientem infirmitatẽ.* Ac ſi dicat: Deſiderauimus verbum iſtud Diuinum, quod in ſinu Patris pleni Gloria, ac maieſtatis eſt, coram oculis noſtris deſpici, contemni, nullo numero haberi, & experientia doceri, quid ſit eſſe infimum, ac miſerabilem. At quomodo Propheta ſanctus Deum contemptum, & inter tormenta conſtitutum videre exoptauit? Et exoptauit

Apoc. 13

Heb. 10.

Cap. 53.

tamen,

tamen; non vt ſupplicia & tormenta illi adhibenda, ſed vt fructus ad humanum genus inde redundaturos, ſpectaret. Idcircò enim confeſtim ſubiungit: *Diſciplina pacis noſtræ ſuper eam, & liuore eius ſanati ſumus*: id eſt: Non deſidero vulneratum illum videre, ſed ſpectare; quemadmodum illius vulnera noſtræ pacis cauſa, noſtræque infirmitatis medicina ſint futura. Cum ergo Abraham in figura vidit quod Iſaias deſiderabat, gauiſus eſt, propter ſalutem, quã ex eo mundus erat conſecuturus. Præterquam quod innumeras alias lætandi cauſas inueniret. Primo, quia promiſſum ſibi fuerat, ſua ex proſapia mundi Seruatorem naſciturum: Secundo, quia ſacrificium quod præuidebat Deum placaturum, ac illius iuſtitiæ ſatisfacturum ſciebat. Tertio, quia per mortem Meſſiæ Angelorum ruina reſarcienda, & infernus ſpoliandus eſſet. Quarto, quia paſſio Dominica homines erat redemptura. Quinto denique ac poſtremo, quia hæc ipſa mors ad Dei gloriam & honorem referebatur. Et quæret adhuc aliquis vtrum Abraham lętandi, & exultandi habuerit occaſionem? *vidit* ergo, inquit Seruator noſter, *& gauiſus eſt*. Hoc autem quod *Cant. 6.* Abraham adeò impenſe deſiderauit, quodque illi in figura monſtratum fuit, hoc ipſum Eccleſia, hoc ſacro paſſionis tempore nobis repræſentat. Infingamus proinde illam memoriæ noſtræ, conficiamus faſciculum myrrhæ ſupplicijs ac pœnis Seruatoris noſtri, collocemus illum in corde noſtro, ac ad inſtar odoriferæ ſeruiæ Deo illum repræſentemus. Adeamus Seruatorem noſtrum, aduoluamur illi, quatenus miſerijs noſtris compatiatur, peccatis condoleat, delicta nobis ignoſcat, gratiam ſuam communicet, & gloriæ hæredes efficiat, *quam mihi, & vobis præſtare dignetur, &c.*

CONCIO TRIGESIMAQVARTA PRO FERIA SECVNDA POST DOMINICAM IVDICA.

Miſerunt Scribæ, & Phariſæi miniſtros, vt comprehenderent Ieſum. Ioan. 7.

INTER omnia planè quæ vel à natura excogitata, vel ab arte profecta ſunt, meo quidem iudicio nihil æquè humana ingenia capere, ac irretire ſolet, quã eloquentiæ vis & Rhetoricæ facultatis energia. Appello autem hic eloquentiam, non inanem verborum nitidorum, ſelectorum, & affectatorum numerum, abſque vllo ſapientiæ ſucco, ſed orationem prudenter inſtitutam, ſine affectatione decurrentem, & à prudenti ſapientique animo ſcaturientem. Vt enim verbis gratiam concilies, ipſaque eloquentia vires & neruos ſuos habeat, lingua ab animo regenda moderandaque eſt, iuxta ſapientis illud: *Cor ſapientis erudiet os eius, & labijs eius addet gratiam.* Quod idẽ eſt, ac ſi dicat: ſapientia quæ in corde hominis circumſpecti ſedem ſuam defixit, verba quæ proferenda ſunt illi dictabit, quo videlicet ſententiarum pondere inſtructa, vim & gratiam conſequantur. Ideò talis eloquentiæ facultatem, ac verborũ iſtiuſmodi energiam declaraturus, confeſtim ſubiungit: *Fauus mellis compoſita verba, dulcedo animæ, & ſanitas oſſium.* Inclinant namque illa Auditorẽ, in quamcunque partem fuerit collibitum, inclinant inquam non impellunt, quia de ſapientiæ natura communicant, quæ iuxta Salomonem *diſponit omnia ſuauiter.* Tranſeo ego hoc loco quæ à Poetis veteribus, de Arione, Amphione, & Orpheo, ac reliquis prodigioſis dicendi magiſtris conficta ſunt, repræſentaturus potius vobis quod à diuino Poeta incorruptis litterarum Hebraicarũ monumentis conſignatum eſt: Qui de verbi diuini poteſtate,

Marginal notes: Prou. 6. (beside "mo regenda moderandaque eſt"); Sap 8. (beside "nicant, quæ iuxta Salomonem")

ſtate, &c. de cæli eloquentia, materiæ aliquid par dicturus, varias idcircò metaphoras adhibet, dicens; *Vox Domini in virtute, vox Domini in magnificentia. Vox Domini confringentis cedros, & confringet Dominus cedros Libani, & comminuet eas tanquam vitulum Libani, & dilectus quemadmodum filius vnicornium*, vox inquit Domini adeò potens eſt, vt ſuperbos, &c. ad inſtar cedrorum Libani elatos confringat, quæ, quia fructum nullum ferunt, ideò tantum pigris & otioſis vmbram præbent, *Et comminuet eas tanquam vitulum Libani*. Non eſt omninò difficile, tumidos & arrogantes iſtos diſcerpere, quemadmodum enim lanio nullo negotio vitulum ex monte Libani venientem in quatuor partes diuidit, ita vox Dei abſque labore ſuperbos iſtos diſijcit atque euertit. Atque hic noſtræ verſionis vulgatæ, ſenſus eſt: quod ſi aliorum ſequi malis, *exilire faciet eas tanquam vitulum Libani*, hic ſenſus eſto, etſi superbi, radices ſuas æquè fortiter ac profundè in terram defixerint, quam vel Libani cedrus; vox tamen Dei ita potenter eos conuellet, vt ex rebus terrenis extractos ac extirpatos, exilire facturus ſit, quemadmodum agnelli in montibus Libani paſcentes ſolent exilire, ſequitur: *& dilectus quemadmodum filius vnicornium*. Vbi per dilectum Ieſum Chriſtum intellige, de quo Dei patris illud eſt: *Hic eſt filius meus dilectus*. Quemadmodum ergo Monoceros cornu ſuo aquas cæteroqui peſtilentes ac venenatas ſalutares efficit, ita Deus noſter per virtutem verbi ſui ad nos veniens, multorum hominum peſtilentia ac venenata corda integrè &c. perfectè repurgauit. Et quamuis Diuinus ille Pſalmographus &c. poeta Dauid, tacitus multa alia præterierit, quæ ad eloquentiæ laudem, &c. vim demonſtrandam congeri potuiſſent, quæ tamen ab eo dicta ſunt, ea ſatis erunt, ad nos in Euangelium hodiernum, introducendum: In cuius ingreſſu ſtatim cedros, longè altiores, quam Libani illas licet inuenire. Hi principes ſynagogæ ac Phariſæi ſunt. Gens ſuperbiſſima &c. pluſquam ciuili odio Filium Dei deteſtans. Atque ſub is tam proceris cedris multi ſordidi ac plebei homines tanquam ſub vmbra magnæ arboris recumbebant: ex quorum numero etiam illi erant quos manus in Chriſtum immittere iubebant, dicentes; Inuolate nobis

Pſal. 28.

Matt. 17.

in

in hominem iſtum, capite illum, vincite: noſtra enim authoritas non patitur vt nos ipſi manus illi inijciamus. His auditis homines ad quidlibet audendum proiecti Seruatorem noſtrum adeunt, ira, & odio pleni: cum ecce tibi ille iam verè *filius vnicornium* eloquentia ſua corda illorũ rabie & odij veneno plena ita repurgat, vt ad Principes ſuos reuertentes apertè dicant. *Nunquam ſic locutus eſt homo.* Ecce hic in ingreſſu ſtatim Seruatoris noſtri eloquentiam, proceras Libani Cedros ſubuertentem, ac Phariſæorum Scribarumque ſuperbiam rationibus vilium & abiectorũ hominum confundentem, Verum quid miramur Seruatoris noſtri dicta & verba tantum virium poteſtatiſque habuiſſe, ſiquidem plures graues locupleteſque Authores non abſimile quid de M. Antonio Oratore Romano cõmemorant? Cum enim milites qui ad eum immiſſi fuerant ſtrictis enſibus ac mucronibus illum adorirẽtur, ſolus ipſe inermis flexanimæ ſuæ orationis occulta vi ita animos illorum immutauit, vt pudore perfuſi illæſum relinquerint. Quod ſi hominis alicuius eloquentia tanta vi polluit, quid ille non poterit qui homo ac Deus ſimul eſt? Diſcite mihi hoc loco Auditores libenter Dei verbo auſcultare, tametſi id ex curioſitate aut alia quapiã cauſa fiat, etſi enim iſtiuſmodi intentiones varia ac ſiniſtra ſint, eas tamen Deus vi ac potentia verbi ſui optimè nouit immutare. Legimus Philetem, celebris illius Magi Hermogenis diſcipulum, cum contra D. Iacobum Apoſtolum, eum conuincẽdi animo, diſputaturus eſſet, ita repentè fuiſſe immutatũ, vt ad præceptorem ſuum rediens exclamarit: *Magus abieram, & redeo Chriſtianus.* Quod tamen ego ipſum amplius aliquanto admirarer quod præſertim ab Apoſtolo id factum fuit, niſi admirabilius quiddam apud Laertium legeretur. Refert enim is Polemonem adoleſcentem inſigniter perditum ac profligatum cum alijs quibuſdam confodalibus Xenocratis philoſophi, eum vt derideret, auditorium fuiſſe ingreſſum. Cum ecce tibi philoſophus ſermonem de temperantia habens, ita huius adoleſcentis animum immutauit, vt mox diſcipulum, ac deinde defunctus ſucceſſorem in cathedra ſua habuerit. Quod ſi Ethnici alicuius philoſophi eloquẽtia tantum valuit, quid Dei verbum non effecturum arbitramini? accurrite dilecti mei ad

Val. Max. li. 8. cap. 9. Appian. lib. 1. de bello ciuili.

Laertius lib. 4. Val. Max. li. 6. cap 9.

ad verbum Dei audiendum : ignoratis enim vbi ſalus vos veſtra maneat. Fieri namque poteſt, vt qui mala intentione acceſſiſtis, meliores recedatis, quemadmodum Phariſæorum iſtorum ſatellitibus contigit, qui ad Seruatorem noſtrum capiendum ablegatti, mirabiliter illius amore capti fuerunt. Verum videamus quidnam ijs ille reſponderit.

Adhuc modicum tempus vobiſcum ſum. Aduenerant emiſſarij illi magna cum furia, & arrogantia innocentem Ieſum ſecum abducturi, quibus è contra is mirabili facilitate reſpondet, *adhuc modicum, &c.* Id eſt, non capietis me vos, neque vitã mihi, quemadmodum vobis imperatum eſt eripietis, ſed differetis, furorẽ crudelitatẽque veſtram in tempus ac diem à cœleſti meo Patre determinatum. Hac enim ego Patris mei conſtitutione fretus ſpatiũ mihi adhuc aliquod ſupereſſe ſcio, quo vobiſcum degam, antequã ad illum per paſſionem reuertar: Adeò vt per *modicum* illud omne reliquum vitæ ſuæ tempus intelligat, cum præſertim vniuerſa hominis vita, nihil aliud quam modicum aliquod eſſe videatur. Hoc modicum quiſquis mihi benè & accuratè examinarit, neque magni bona facturus, neque vitæ huius mala magnoperè formidaturus eſt. Hinc Rex Dauid poſtquam Deum ſupplicibus votis conueniſſet, quatenus ſibi annorum vitæ ſuæ reliquorum numerũ ſignificaret, denique exclamat: *Ecce mẽſurabiles poſuiſti dies meos, & ſubſtantia mea tanquam nihilum ante te.* Ad quem locum Euthymius obſeruat, duo per vocem græcam *menſurabiles*, ſignificari. Significat enim primo menſuram quatuor digitorum, ac ſecundo ærumnas & moleſtias. Vnde idem eſt ac ſi Dauid dicat, Deus meus & Dominus meus, ſcio ego indubitanter, adeò te breuem mihi vitam indulſiſſe, quatuor vt pollicum mẽſurã non excedat, quodque eadem vita ærumnis ac miſerijs referta ſit: erigit me tamen eiuſdem breuitas, facitque vt omnia aduerſa patiẽter tolerem: quippe qui ſciam breuem vitam, multas ærũnas capere non poſſe, cumq; ipſa vita quatuor pollicum menſuram non ſuperet, eius certè miſerias & calamitates vulna menſurari non valere. Attamen eadem hæc vita adeò ſe ipſa breuis, tuæ æternitati comparata nihil eſt. Hoc enim verba illa ſonant: *& ſubſtantia mea tanquam nihilum*

Vita hominis breuis.

Pſal. 38.

Pſal. 89.

bilum ante te, quod alibi ita exprimit: *Quoniam mille anni ante oculos tuos, tanquam dies heſterna quæ præterijt.* Hanc eandem breuitatem tribus admirabilibus comparationibus eleganter exponit: *Dies mei velociores fuerunt curſore, fugerunt & non viderunt bonum, pertranſierunt quaſi naues poma portantes*, & quis magni niſi non magnus bona illa faciat, quæ ita nobis obtingunt, vix vt non dico teneantur ſed videantur? Quare cum etiam B. Iob, vitæ huius breuitate, cum curſoribus comparata, parum adhuc ſe dixiſſe arbitraretur, eandem naui pomis onuſtæ, aut Aquilæ famelicæ prædam perſequenti aſſimilauit.

Qui equo veredario ſiue curſorio viam conficit, quamuis omnem diligentiam adhibeat, reſpirat tamen nonnunquam, dum videlicet bibit, comedit, cubitum vadit, & equos permutat: qui autem altum nauigant nonniſi in portu conquieſcunt, comedentes, bibentes, ac dormientes in ipſo nauigio, quod nunquam inſiſtit, ſed perpetuò celerrimoque curſu abripitur. Ita vita noſtra tam diu fluit, donec in portum mortis inuehatur: ſiue enim comedamus ſiue bibamus, ſiue dormiamus, ſemper ad finem noſtrum tendimus, non minore celeritate, quam nauis aliqua pomis onuſta. Vti enim eius onus leue eſt, ita nauis in curſu ſuo non impeditur: & ſicut pomorum fructus facilè corrumpitur ac putreſcit, ita nautis nihil antiquius eſt, quam celerrimo curſu iter ſuum emetiri. Porrò notandum etiam hoc loco fuerit, vocem hebræam, quæ in noſtra verſione ſonat, *poma portantes*, *nauim voluntariam ſeu pyratarum* etiam ſignificare. Quamuis autem duabus iſtis comparationibus, extrema vitæ noſtræ celeritas ad viuum repræſentetur, neſcio tamen, quomodo expreſſius ſimilitudine aquilæ famelicæ prædam ſuam perſequentis, declaratur. Decurrunt ſanè celeri motu equi curſorij, nauesque ipſæ perniciſſima fuga dilabuntur, aquila autem velocius multò auolat, perſequente & extimulante præſertim fame, quæ curſum ac volatum geminare compellit. Quod ſi ita eſt, & vita noſtra adeò celeri lapſu deuoluitur, quò melius illa nomine quam *modici* poteſt affici? Modicum tempus vita noſtra eſt, in modico autem tempore nulla miſeria longa eſſe poteſt, quin ipſæ etiam voluptates breues,

atque

atque vniuerſa adeò modica ſunt. Cognouit hoc Machabæus ille adoleſcens, qui cum fratres ſuos crudeliter interemptos vidiſſet, ſeque tyranno Antiocho parere, aut ſimilia tormenta debere tolerare, conſpiceret, dixit: *Fratres mei modico nunc dolore ſuſtentato, ſub teſtamento vitæ æternæ effecti ſunt.* 2.Ma.7. Eadem loquendi forma ſenex ille Eleazarus vtebatur, quando vt vitam ſeruaret ſuam ſimulanter Regi obedire iuſſus fuit, & dixit: Nec ætas mea, nec ſtatus, nec bonum exemplum quod mundo debeo mihi permittunt, vt rebus illicitis ac vetitis aſſentiar, *ne adoleſcentes propter modicum vitæ tempus decipiantur*, profe- 2.Ma.6. rentes videlicet illud tormentis, ac eo perfrui potius, quam victoriam reportare cupientes. Ad eundem planè modum Diuus Petrus Apoſtolus fideles ſuos exhortans, inquit: *Deus autem omnis gratiæ, qui vocauit nos in æter-* 2.Cor.4. *nam gloriam ſuam in Chriſto Ieſu modicum paſſos, ipſe perficiet, confirmabit, ſolidabitque.* Et Diuus Paulus preſſiùs adhuc rem examinans momentum id vocat, quod Diuus Petrus mòdicum appellarât: *Quod in præſenti eſt momentaneum & leue tribulationis noſtrum ſupramodum in ſublimitate, æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Quod ſi omnia ea, quæ in miſerabili hoc exilio habemus nihil ſunt, ſi vita breuis, ſi ærumnę exiguæ, ſi gloria inanis: ſi voluptas momentanea, ac ipſo momento leuior eſt, quis magnoperè miſerias timeat, voluptates conſectetur; & honores aucupetur? Mihi credite auditores nihil in vniuerſa hominum vita reperire eſt, quod vel magnoperè metuendum, vel impenſiuus videatur eſſe ſperandum. Timor enim & ſpes paſſiones ſunt facultatis iraſcibilis, cuius obiecta ſunt ardua, ac difficilia. Vnde intelligimus maleſitiatorum nonnullorum hominum amentiam, qui vt breue ac modicum iſtud præſentis vitæ tempus retineant, alterius iacturam facere non dubitant: quibus vt caduca iſta non adimantur, pecunia libet amittere: qui vt fluxis ac tranſitorijs illis fruantur, æternā ſemperque duratura è manibus ſibi elabi patiuntur, planè ac ſi ad eam vitam creati non eſſent, vbi omnia perpetua, æterna, & incorruptibilia ſunt, ac vt vno verbo dicam, vbi regnum illud eſt in quo Deus facie ad faciem conſpicitur.

Quare-

Quæretis me & non inuenietis. Mihi credite Auditores, Pſal.17. quales vos erga Deum fueritis, talis etiam erit Deus erga vos, iuxta Dauidicum illud. *Cum ſancto ſanctus eris, & cum peruerſo peruerteris*. Quemlibet ò bone Deus tractabis ſecundum merita ſua, procedendo cum ſanctis in ſanctitate, & ac bona quæ ſibi acquiſiuerunt, illis augmentando: & cum innocentibus nemini qui nocere didicerunt, in innocentia, nullo vt malo eos afficias. Quando autem cum peruerſis rem habebis, tum verò etiam tu peruerſus efficieris: *quoniam tu populum humilem ſaluum facies, & oculos ſuperborum humiliabis*. Ages videlicet cum humili vt humilis, & ſicut is alios exaltari vult, ita tu quoque eum exaltabis, geres te cum ſuperbis, ac ſi ſimiliter ſuperbus fores: quemadmodum enim illi vnum hoc ſtudent, quomodo videlicet alios ſubuertant ac peſſundent, ita tu eorundem cornua confringes, & pedibus illos proculcabis. Ob eandem planè cauſam ſcriptura ſacra Seruatorem noſtrum Sap.7. *ſpeculum ſine macula* appellat: Ea enim ſpeculorum natura eſt, vt ad viuum res ſibi obiectas referant ac repræſentent: Hinc ſi triſtis aliquis illa conſuluerit, triſtem & moroſam faciem exhibebunt: ſi deformis, turpem & obſcænam ima Mat.16. ginem oculis ſubijcient. Ita cum D. Petrus Seruatorem noſtrum Deum eſſe confeſſurus, diceret. *Tu es Chriſtus filius Dei viui*, Seruator mundi illi reſpondit: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*. Alias verò cum idem Apoſtolus ei perſuadere vellet, ne hominum cauſa morti ſe exponeret, dicens: *abſit à te Domine*, Seruator noſter illi reſpondit: *Vade poſt me Sathana:* adeò vt D. Petrus ſe immutare non potuerit, quin confeſtim etiam Seruatorem noſtrum immutatum inueniret. Appellauerat illum Mat.25. primo Chriſtus beatum dicens: *Beatus es Simon Bariona*. propter luculentā confeſſionem quam fecerat. Cum autē eius ſe voluntati opponeret, atque adeò autor ipſi eſſe vellet, ne pro hominibus mortem oppeteret, Sathanam, hoc eſt aduerſarium illum nūcupauit. Idem hoc Seruator noſter in hodierno Euangelio ſignificare voluit cum diceret: *quæretis me & inuenietis*; id eſt: Idem plane vobis faciam, quod vos mihi feciſtis; deſcenderam ego de cælo vt vos quærerem, vos autem vos abdidiſtis neque inueniri voluiſtis. Reuerſum itaque ad cęlum fruſtra & vos quæretis, quia

quia videlicet nunquam eo loci vbi ego fuero pertingetis. Et obuenit planè illud ijs quod Dauid prædixit: *Conuertentur ad veſperam, & famem patientur vt canes, & circuibūt ciuitatem.* Psal. 5?. Quæ verba Euthymius ſecundum litteram de Iudęis intelligit, ac canes illos appellat, propter famem & voracitatem, quæ beſtijs ijs innata eſt. Dicit ergo Dauid Iudęos ſerius conuerſos iri, neque ante bonum ſuum cognituros, quam id perdiderint, & poſtquam verum Meſſiam occiderint, tum verò furibundorum inſtar, per vniuerſum mundum debacchantes, nequicquam illum eſſe quæſituros. Verum quia Seruator noſter deſideratus Meſſias cælum aſcendit, quem illi in teris quærunt, eum vt inueniant non ſatagunt: ſicq; perpetua fame, velut canes cruciati inedia conficientur, niſi ad Ieſum Chriſtum conuertantur, & quod peius eſt, ad infernum propter infidelitatem & obſtinationem ſuam ſempiternam fame excruciandi deuoluentur. Atque hoc illud eſt quod Seruator noſter innuit, dicens ſe ab ijs quæſitum, non autem inuentum iri. Et quoniam hic inter nos atque in hoc conſeſſu Iudæi nulli ſunt, dico idem Chriſtianis euenturum qui bonis Seruatoris noſtri inſpirationibus non obtemperabunt, & cum querent, inuenire non poterunt: *conterentur ad veſperam, & famem patientur vt canes*, quicquam ad ſponſi oſtium inſtar virginum fatuarum, clauſum iam & obfirmatum prouolantes. Accurrent inquã & reuertentur velut canes, qui fame allecti fruſtra ad limen odorabuntur, & vtrum menſa ſtrata ſit, olfacient. *Nam clauſa eſt ianua*, Ianua inquam cæli & miſericordiæ, ianua clementiæ & compaſſionis. O ſtuporem peccatorum, qui ad ſeipſos redire non poſſunt! O amentiam miſerorum hominum, qui de die in diem pœnitentiam ſuam differunt! *Et viſitabit Dominus in die illa in gladio ſuo duro & grandi & forti, ſuper Leuiathan ſerpentem vectem, & ſuper Leuiathan ſerpentem tortuoſum*, inquit Deus per Iſaiam. Vbi obſerua diuerſa Diabolorum genera eſſe: alij enim portarum inſtar ſunt, qui, cum peccaturi eſtis portam adeò vaſtam & latam vobis apperiunt, nihil vt delinquentibus timendum eſſe videatur. Alij ſunt, qui peccatis ita vos intricatos conſpicientes, portam per obſtinationis vectem occludunt. At ſunt & alij, qui tortuoſi

Diuerſa Diabolorum genera.

Mat. 25.

Cap. 27.

Diuerſa Diabolorum genera.

cum

cum ſint, per perplexa & abdita viarum in Cretenſes quoſdam labyrinthos vos deducunt, ex quibus nunquam egredi poteſtis: Omnes autem *Leuiathan*, id eſt, *additamentum* appellantur, quia videlicet aliud non deſiderant, quam vt homines peccatum peccato addant, ſicque peccati conſuetudine obſtinati fiant: atque hos, inquit Propheta, Deus in extremo mortis articulo, gladio duro & forti percutiet: non huius vitæ moleſtijs illos affligendo, ſed inferni tormentis eos emancipando, quia videlicet peccata peccatis cumulauerunt, & cùm à Deo vocarentur & quærerentur, reſpondere noluerunt, & inueniri non potuerunt. Ita Iudæis accidit, quorum exemplo vtinam nos ſapientiores efficeremur. Nam inquit Poeta.

Res tua tunc agitur, paries cum proximus ardet.

Et idem:

Felix quem faciunt aliena pericula cautum.

Sed audiamus Seruatorem noſtrum, qui omnes appellat, tametſi nonniſi eos, qui apud ſe in templo ſunt, affari & alloqui videatur.

Siquis ſitit veniat ad me, faciam enim vt qui viua fide mediante me acceſſerint, ex eorum animabus limpidiſſima vitæ aqua proſiliat, quæ poſtea in eiuſdem potentias inferiores decurrens, ad bonum proximi transfundetur: quatenus Spiritus Sanctus illud oraculum adimpleatur, *Bibe aquam de ciſterna tua, & fluenta putei tui deriuentur foras*: fac vt ſitim tuam aqua, quam Spiritus Sanctus tibi communicauit extinguas, & caue exiſtimes extinctam illam eſſe, niſi alienam quoque ſedes, & proximo tuo de aqua tua communices. Neque verò hoc loco mirandum fuerit Spiritum Sanctum aquâ appellari: quod enim aqua in rebus externis & inanimatis, hoc Spiritus Sanctus in animabus Spiritualiter præſtat. Sunt ergo aquæ hæc propria, ſordes abluere arbores & plantas fœcundare, ac deniqùe ſitim reſtinguere. Ad primum effectum quod attinet. Propheta Ezechiel eius meminit, quando de Seruatoris noſtri Baptiſmo, quem D. Ioannes baptiſmum Spiritus Sanctus vocat; loquens ſcribit: *Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris*. Vbi per verbum *effundam* abundantia & plenitudo ſignificatur, cum qua Spiritus Sanctus fideli-

bus

Prou. 7.

Aquæ triplex effectus.

Cap. 36.

bus ſuis gratiam erat communicaturus. Eodem ſenſu Iſaias inquit, eos qui in libro vitæ ciuibus cœleſtis Hieruſalem fuerint aſcripti, ſanctos futuros: *Si ablueris Dominus ſordes filiarum Syon, & ſanguinem Hieruſalem lauerit de medio eius in Spiritu iudicij & ardoris*. Quæ verba D. Baſilius. D. Hieronym. Origenes, & Procopius de effectibus Spiritus Sanctus intelligunt, qui per Baptiſmum animas à leuioribus peccatis, quæ Propheta ſordes appellat, & à grauioribus quæ ſanguinis nomine afficit, iuxta vulgatam ſcripturæ phraſin repurgabit. Vocat deinde Spiritus Sanctus. *Spiritum iudicij*, quia videlicet animam per Baptiſmum à peccatis repurgans, Diabolum præda ſua ſpoliat, illamque igne charitatis amplexatur. Atque hæc prima aquæ proprietas eſt, quæ haud aliquanto melius Spiritus Sanctus operationibus conuenit. Etſi enim aqua corpus lauet, eius tamen nitorem naturalem, aut pulchritudinem non auget, ſed abſterſis tantum ſordibus ac maculis, ipſum ſubiectum non immutat, Spiritus Sanctus verò animam gratiæ ſuæ aqua perfundens, non modo ab omnibus peccatorum ſordibus illam repurgat, ſed formam ac venuſtatem nouam inſuper illi addit. Reſpexit huc Dauid cum diceret: *Aſperges me Domine & mundabor, & lauabis me, & ſuper niuem dealbabor*. Iam cum aqua rem aliquam purgans & lauans eam ſenſim ac paulatim atterat, & indies tenuiorem efficiat, facit contrarium Spiritus Sanctus qui quo ſæpius ac diutius animam aliquam lauat, hoc maius illi robur communicat. Erat hæc opinio D. Pauli cum diceret: *Licet is qui foris eſt homo corrumpatur, tamen is qui intus eſt renouatur de die in diem:* Recipiens enim nouam continuo cælitus gratiam, & copioſiſſimè cœleſti pluuia irrigatus, in dies renouatur. Porrò quantum ad ſecundum aquæ effectum attinet, quod videlicet terram fæcundet, id an non etiam Spiritui Sanctuo aſcribere poſſumus, qui animas noſtras gratiæ ſuæ rore fœcundans, pulcherrimas virtutum plantas in ijs producit. Et quid amabò anima aliqua gratia Dei deſtituta, aliud eſt quam terra ſterilis? *Anima mea ſicut terra ſine aqua tibi*, inquit Dauid. Quod ſi etiam fructus hunc benignum Spiritus Sanctus rorem ſubſequentes ſcire deſideratis, audite quid D. Paulus ad Galatas dicat: *Fructus Spiritus eſt Charitas,*

Cap. 4.

Comparatio Spiritus Sanctus cũ aqua.

Pſal. 50.

2. Cor. 4.

Pſal. 51.

tas gaudium, patientia, longanimitas, bonitas, benignitas, manſuetudo. Vbi notandum, ſicut aqua naturæ plantarum ita ſe accommodat, vt arborem pyrum, pyra, pomum poma, ceraſum ceraſa producere faciat: ita Spiritus S. cuiuslibet ſe naturæ accommodat, nullum violenter cogendo, aut extra limites ſuos protrahendo. Atque ob hanc planè cauſam ſanctorum alios hilares, alios triſtes, alios ſolitarios; alios mundi conuerſatione gaudentes: hos zelatores, Eliæ non abſimiles, qui totum mundum punire volebat: iſtos patientes vt Dauid, qui omnibus ignoſcebat. Iſtos balbos vt Moyſen, alios aſtutos, ad inſtar Iſaiæ, alios denique eloquentes, ſicut Aaron videas: *& hæc omnia*, inquit S.
1. Cor. 12 Paulus *operatur vnus atque idem Spiritus, diuidens ſingulis prout vult.* Atque hæc ſecunda aquæ conditio eſt, quod videlicet plantas fæcundet: quæ quantò etiam melius Spiritui S. aſcribi poſſit, ex eo liquet, quod aqua plantam aut herbam aridam viuificare non poteſt, cum ipſa vitam non habeat. Gratia autem Spiritus S. etiam aridas & emortuas animas inueniens, eas denuo viuificat, ac nouos & alios fructus proferre facit. Et ideò aqua vitæ appellatur, quia nimirum vitam in ſe habet, & per conſequens eandem alijs communicare poteſt. Cæterum quod ad tertium aquæ effectum attinet, quod eſt ſitim reſtinguere, id Spiritui Sanct. ita competit, nemo vt præter illum animarum noſtrarum ſitim reſtinguere ſedareque poſſit. Et ideò
Pſal. 41. Dauid Deum ſolum ſitis ſuæ obiectum conſtituebat, dicens: *Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum*; ne videlicet illi obijceretur, quod idem Deus populo ſuo per Prophetam Ieremiam exprobrabat, dicens: *& nunc quid tibi vis in*
Cap. 2. *in via Aegypti, vt bibas aquam turbidam? & quid tibi cum via Aſſyriorum, vt bibas aquam fluminis?* Deum tuum tantummodo ſitire debes, quia hic ſolus ſitim tuam reſtinguere poteſt. Atque ob hanc omninò cauſam Seruator noſter in Euangelio dicit: *Si quis ſitit veniat ad me.* Cui illud Iſaiæ
Cap. 55. conſonat: *Omnes ſitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum, properate, emite & comedite abſque argento, & abſque vlla commutatione vinum & lac.* Vbi aduertite eum nos ad aquas inuitare, & nihilominus dicere, vt vinum & lac bibamus: qui videlicet cõſtet vitalis huius fontis aquã animarum noſtrarum ſitim reſtinguere poſſe, quia nihil

non

non in ſe continet & compræhendit. Eſt illa potio, eſt cibus, habet vinum, habet mel, habet lac, imò omnia, non eſt illa ſicut reliquæ aquæ, quæ vt finitæ ſunt ita nos explere non poſſunt, quamuis enim rem vnam habeamus, idcircò tamen aliam non tenemus: in hac autem diuina ſcaturigine omnia inueniuntur, quemadmodum præclarè D. Auguſtin. animaduertit, dicens: *Aurum quod tibi eſt, non eſt; non poteſt tibi eſſe argentum: vinum quod tibi eſt, non poteſt tibi eſſe panis. Deus autem totum tibi eſt, habe Deum & habebis totum.* Itane verò? an non intelligitis ò filij Adæ creaturas illas quas tantâ contentione perſequimini, quia limitatæ ſunt, veſtra deſideria explere non poſſe, ſolũ autem Deum veram & viuam bonorum ſcaturiginem eſſe? *Quare appenditis argentum non in panibus, & laborem veſtrum non in ſaturitate?* Inquit idem Deus per Iſaiam, poſtquam videlicet ea quæ modo interpretabar verba protuliſſet, *Audite audientes me, & comedite bonũ, & delectabitur incraſſitudine anima veſtra.* Miſeret Deum veſtri, Chriſtiani mei, quod videlicet vitam ac labores veſtros in rebus in quibus acquieſcere non poteſtis, miſerrimè conſumitis, & quia veſtræ vtilitatis rationem non habetis, propriæ ſalutis obliti: ſi vos ad laborem vocaret, difficiles vos in parendo eſſe non mirarer, quippe cum naturaliter eum auerſemini, quoniam autem ad quietem vos inuitat, quomodo excuſabitis, quod nõ reſpondebitis? Et quid amabo cauſæ eſt eum quod non recipiatis? Reuera quia non ſititis, qui enim ſitim non habet, hic magni aquam non facit. Rogate Deum quatenus vobis ſitim illam immittat, allaborate & vos pro virili veſtrã, conſiderate aquæ huius pręſtantiam quo impenſius illam concupiſcatis: cogitate hanc illam eſſe, quæ animam à ſordibus repurgare, quæ eam niue candidiorem, & ſole lucidiore debet efficere. Cogitate hanc animas veſtras fœcundare, hanc virtutum plantas producere, & affectioni ſe veſtræ accommodare. Cogitate hanc ſolam ſitim vobis reſtinguere & omnes reliquas mundi huius aquas, Aegypti tantum lacunas eſſe. Cogitate Ieſum Chriſtum vobis inſuſurrare, quemadmodum vita præſens vno in momento prætereat, & quomodo occaſionem bene rem gerendi ſemel amiſſam, recuperare non poſſitis. Cauete ne *Diabolus victus* ianuam cordis veſtri per

Iſa. 55.

obſtinationem occludat. Mementote Deum oſtinatis gladium durum, grandem & fortem intentare: hunc vos fugite, & ad Ieſum vos communefacientem recurrite; rogate Deum quatenus vobis gratiam ſuam conferat, & poſt hanc gloriam cęleſtem impertiat, *quam mihi & vobis*, &c.

CONCIO TRIGESIMAQVINTA, PRO FERIA TERTIA POST DOMINICAM IVDICA.

Ambulabat Ieſus in Galilæam non enim volebat in Iudæam ambulare. Ioan. 7.

AVtor eſt D. Auguſt. lib. 1. de ciuitate Dei cap. 15. & libro 29. cap. 4. Manifeſtiſſimum ſignum & inuincibile pigritiæ argumentum eſſe laborem fugere, & declinare. Vnde acriter & non immeritò Catonem Vticenſem reprehendit, quod videlicet is ſe manus Cęſaris peruenturum præuidens, violentas ſibi manus inferre maluerit, quam magno, forti, & patienti animo; hoſtis ſui victoris gloriam ſupportare. Et erat, inquit idem doctor abiecti ſimiliter animi indicium, quando Cleopatra Aegyptiorum Regina, metuens ne viua cum alijs captiuis Romam in Triumphum deduceretur, duarum aſpidum morſu, mortem ſibi conſciuit. Econtra verò magni & exaggerati animi argumentum eſt, incumbentibus malis non examinari; quemadmodum de D. Paulo legimus, cui etſi iam antè reuelatum eſſet ſe in Ieruſalem carceres & tormenta aditurum, nihilominus in viam ſe dedit, dicens: *Scio quoniam vincula, & tribulationes Hieroſolymis me manent, ſed nihil horum vereor*. Quod ſi aduerſa declinare abiectum animum; ea autem non metuere fortem virum arguunt, hinc planè conſequitur, potius diuinæ naturæ aduerſari, ea fugere, quam tolerare: ſiquidem in hoc fortitudo & conſtantia, in illo autem animi contractio elucet. Vnde non immerito mirari

poſſu-

poſſumus, quare Seruator noſter, in hodierno Euangelio ſe in Galilæam recepiſſe, in Iudæam autem abire non voluiſſe perhibeatur, quod videlicet ſciret, ſe à Iudęis ad mortem quæri. *Domine quis credidit auditui noſtro*, inquit Propheta Iſaias, incipiens de Paſſione Seruatoris noſtri tractare, aut brachium *Domini cui reuelatum eſt?* Vbi Propheta exiſtimans filium Dei incarnatum, Dei Patris fortitudinem eſſe, inconueniens putabat dicere, eum tot tormenta perpeſſurum eſſe, quot & qualia in eodem poſtea capite recenſet. Quod ſi Propheta non dicendũ eſſe arbitrabatur, brachium Dei pati, tametſi id ipſum fortitudinis actus ſit; quid diceret; audiens idem Dei brachium ſe abſcondiſſe, ne vitam perderet, cum præſertim omnes ij qui malo incumbenti cedunt, ſeipſos ſocordiæ & animi abiecti accuſent? Quid autem cauſæ eſt, quod Euangeliſta nobis id deſcribit, cum præſtiterit ſilentio illud inuoluere, ac tacitum præterire? *Deuoti militis eſt*, inquit deuotus Chryſologus, *Regis ſui tacere fugam, referre conſtantiam, virtutes loqui, timores ſilere, aperire fortia, infirma retinere: aduerſa delere, prædicare victorias, quo & hoſtium frangere auſus poſſit, & ſociorũ euitare virtutem*. Quid itaque cauſæ eſt, quod Euãgeliſta verus Ieſu Chriſti miles, illius nobis puſillanimitatem, infirmitatem, animiq; abiectionem recenſet, dicens eum ne occideretur latebras circumſpexiſſe? Mihi credite auditores abeſſe non poteſt, quin inſigne aliquod myſterium hic lateat: elucidandum itaque illud eſt, & ad maiorẽ Dei gloriam noſtramq; ſalutem enucleandum. Obſeruãdũ verò ante omnia fuerit, eiuſdem Chryſologi illud: *Chriſtus ſi in ſuis manſiſſet virtutibus, commune cum hominibus nihil haberet, & niſi impleſſet carnis ordinem, carnis in illo eſſet otioſa ſuſceptio*. Vt ergo ſe hominẽ demonſtraret, humanas actiones edere debebat: quas ſi miraculis cõtinuis ſuſpẽdere voluiſſet, cui bono erat naturã noſtrã aſſumpſiſſe? Quo ita præſuppoſito, cõueniẽs erat Seruatorẽ noſtrũ, occaſione oblata, hominẽ ſe prudẽtẽ exhibere, exercẽdo actiones virtutis, & occaſiones ſibi oblatas accipiẽdo. Nõ deſtituebatur ille animo ad obuiãdũ hoſtibus ſuis; nõ carebat etiã viribꝰ ad eoſdẽ terræ affligẽdum, quemadmodũ in horto, fecit, quãdo ſatellitũ multitudo in eũ inuolabat. Demonſtraturus enim opere captiuitatẽ ſuã, & quæ illã ſequebãtur

Cap. 53.

Cur Euangeliſta id narrauerit.

Ser. 150.

Digitized by Google

tur voluntariam fuiſſe, ante ſe capi noluit, quam ipſæ ijs permitteret. Vnde dicendum eſt myſterium loco huic ſub eſſe, neque in hoc facto, vllam puſillanimitatem elucere, quippe cum Euangeliſta non dicat, Seruatorem noſtrum Iudæam ingredi auſum nõ fuiſſe, ſed ſimpliciter noluiſſe. *Bellicoſus quid in bello fugit*, inquit idem Chryſologus, *artis eſt non timoris: Deus quando fugit hominem, Sacramenti eſt, non pauoris: potens quando ſe ſubducit infirmo, inſequentem non pauet, ſed foris producit. Vult enim in aperte vincere, qui publicam referre cupit ex hoſte victoriam*. Ex quibus verbis aliquot rationes elicimus, propter quas dicere poſſumus Seruatorem noſtrum ſe abſcondiſſe. Prima eſt aſtucia militaris, per quam boni Imperatores, vt inimicum alliciant, ac victoriam commodius ab eo referant, in locum aliquem ſecedunt, ibiq; hoſtem ſuum prǽſtolari, quomodo eum inuadant modos rationesq; excogitant. Fuit hac arte vſus Ioſue contra Regem Hai, eamq; ſicut ante fecimus ipſe militibus ſuis detexit dicens: *Cum exierint contra nos fugiemus, & terga vertemus, donec perſequentes ab vrbe longius protrahantur, putabunt enim nos fugere ſicut prius. Nobis ergo fugientibus, & illis perſequentibus, conſurgetis de inſidijs, & vaſtabitis ciuitatem.* At quæro hic ex vobis vtrum Ioſue illud monitum puſillanimitatis indicium, an bellicum potius ſtratagema exiſtimetis? nequaquam ſane: audiſtis enim quid Chryſologus dixerit: *Bellicoſus quod in bello fugit, artis eſt, non timoris*. Idem autem de Seruatore noſtro ſtatuendum eſt, quando videlicet in hodierno Euangelio, in Galilæam ſe ſubduxiſſe, & fugam arripuiſſe perhibetur. Appropinquante enim mortis ſuæ hora illoque iam tempore paucos intra dies adfuturo, quo cum morte & inferno conflicturus erat: certè niſi timorem aliquem præſetuliſſet, mors ac infernus amplius aliquid quam hominem illum eſſe exiſtimantes, nunquam eum aggredi auſi fuiſſent. Simulat ergo Seruator noſter ſe timere, vt morti ac ſathanæ animos addat. Prouocat illos ad certamen ſimiliter vt Ioſue, vt mortem deſtruat, Diabolum captiuum ducat, & vtriuſque victor euadat. Atq; hoc ipſum diuinus etiam Chryſologus docere nos voluit, cum diceret: *Potens cum ſe ſubducit infirmo, inſequentem non pauet, ſed foris producit*. Eodem ſenſu Epiphanius timorem illum quem Seruator

Prima ratio.

Ioſue. 8.

tor noſter in horto perſenſit, exponit,cum diceret: *Pater ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte*. Simulabat enim ſe tunc timere,vt mors exiſtimans eum paueſactum eſſe,audacter in illum irrueret, & totius terræ opprobrium illi ſubiectæ extirparet. Atq; hæc prima cauſa eſt, propter quam Seruator noſter in Galilæam ſe recepit. Secunda eſt propter quam in Iudæam abire non voluit,quia videlicet à Iudæis ad mortem quærebatur, ille autem non in angulo & latebris, ſed in aprico & publico mori debebat, vbi quilibet victoriæ ſuæ arbiter eſſe poſſet. Vnde ſi Iudæi per proditionem vitam illi eripuiſſent,nunquam ita ſplendide de morte,ſicut fecit,triumphare potuiſſet,& hoc ipſum reuera nobis Chryſologus innuit,dicens: *Vult enim in aperto viuere, qui publicam referre vult ex hoſte victoriam*. Cui Apoſtolus aſſentitur dicens; *Expolians principatus & poteſtates, traduxit confidenter palam triumphans illos in ſemetipſo.* Hoc autem iuxta omnium fere Doctorum opinionem contigit,quando Diabolus à triumphatore Chriſto ſuperatus, regno ſuo victus exceſſit. Hinc cum apud D. Ioannem dicitur: *Nunc Princeps huius mundi eijcietur foras*. Huic æquiualet: Quando Spiritum in arbore crucis efflabo, & quando mundo vniuerſo deuictus videbor, contrarium accidet. Ego enim triumphum ingrediar, Diabolum regno ſuo eijciam, & omnes illius principatus profligabo, adhibuit autem Apoſtolus vocem *palam*, vt ſignificaret, omnia in publico geſtum, iri,adeò vt ipſa Crux,iuxta ſẽtẽtiam Theophylacti theatri inſtar fuerit,in quo filius Dei triumphum ſuum mundo vniuerſo oſtentauit.Per vocem autem *traduxit*, ſignificare vult Apoſtolus, eum inimicos ſuos in ruborem dediſſe, ſumpta metaphora à Cæſaribus & belli Imperatoribus, qui cum triumphantes vrbem ingrederentur,ante triumphalem currum captiuos & ſubiugatos,coram toto mundo riſui exponebant.Atq; hanc explicationem ſecuti,dicimus crucem Seruatori noſtro,non modo theatro loco inſeruiiſſe, qui videlicet in eo acerbam paſſionis ſuę tragædiã,quemadmodũ Theophylactus loquitur, exhiberet, ſed etiam inſtar currus triumphalis fuiſſe, in quo ipſe ſublimis reſidens ſummo honore affectus inimicos debellatos, confudit. Maneat proinde eum non in latebris,ſed in loco publico mori debuiſſe, vt videlicet

Mat.26.

Ratio ſecunda.

Coloſ.2.

Cap.12.

Crux Seruatoris noſtri quid præfiguret.

licet nobis etiã exemplum relinqueretur,per quod intelli-
geremus, dedecus non eſſe publice pro illius amore pati, ſed rem honore plenã,& in qua non noſtra tantum gloria, ſed ipſorum etiam inimicorum confuſio conſiſtat. Et

*Heb.*13. voluit nos hoc ipſum D. Paul. docere cum diceret: *Ieſus vt ſanctificaret per ſuum ſanguinem populum,extra portam paſſus eſt,exeamus igitur ad eũ extra caſtra improperium eius portãtes.* Tertia cauſa eſt, propter quã Seruator noſter in hodierno Euangelio populi Iudaici furori ſe ſubduxit, quia nimirũ plura adhuc myſteria reuelare debebat, vti lotionem pedum,pulcherrimum illud exemplum humilitatis: & inſtitutionem venerabilis Sacramenti,certiſſimum illud amoris ſui erga nos ſignum. Debebat itaque ſe in meliora tempora reſeruare, ac vitam ſuam propter noſtram vtilitatem tueri. Deniq; fugam capeſcere duo nos docere voluit. Primo tempore perſecutionis fugere,vitamq; ſuã cõſeruare licere, ſi intelligamus Eccleſiæ nos vtilem adhuc operam nauare poſſe. Et confirmarunt hoc nobis ſuiſmet exẽplis D.Paulus Apoſtolus,D. Athanaſius,S.Ioã.Chryſoſt. & non pauci alij: Secũdo, dandũ eſſe locũ iræ inimicorum noſtrorum,iuxta D.Pauli conſilium. *Fratres ſi fieri poteſt,quod ex vobis eſt,cum omnibus hominibus pacem habẽtes non voſmetipſos defendentes,ſed date locum iræ.* Quo videlicet cum Dauid dicere poſſitis: *Cum his,qui oderant pacem eram pacificus dũ loquebar illis,impugnabãt me gratis.* Quã virtutẽ verè heroicã in cauſa fuiſſe dicimus, quare Pſalmiſta Dauid innumera beneficia à Dei manu acceperit. Ad eã autẽ probè exercẽdã,ſequẽdũ in primis fuerit Apoſtoli cõſiliũ, qui in eodẽ loco dicit, *non voſmetipſos defendentes*, vel ſicut Theophylactus,legit, *nõ voſmetipſos vindicantes,ſed date locũ iræ.* Quod ſi etiã hoc loco quæraris,quomodo iræ locus detur,reſpõdeo cum Origene, Anſelmo & Theophylacto, verborũ illorũ hũc primũ ſẽſũ eſſe: Date locũ iræ Diuinæ, quaten⁹ illa iniurias vobis illatas poſſit vindicare. Hoc aũt faciatis habẽtes patiẽtiã,neq; anxie vindictã in eo molientes qui vos offenderũt. Nam ſi noſmetipſi iniurias noſtras vlciſci volumus inuolabimus in officiũ Dei, neque illi locum ad nos propugnandum relinquemus. Alter ſenſus Paulini huius oraculi eſt, vt ſilentium tenentes,& proximo noſtro non obmurmurantes, iram illius deferueſce-

Tertia ratio.

Fuga tẽpore perſecutionis permiſſa.

Ratio vlt.

Rom. 12.

Pſ. 119.

Iræ quomodo locus detur.

re ſinamus,iuxta Dauidicum illud: *Poſui ori meo cuſtodiam, cum conſiſteret peccator aduerſum me;obmutui, & humiliatus ſum,& ſilui à bonis,& dolor meus renouatus eſt.* Vbi obſerua quod Dauid dicat, *& dolor meus renouatus eſt*, vis enim illa qua animi impetus, & iracundia retinetur dolores planè non caret, omnia autem propter bonum proximi ſufferenda ſunt. Quod autem hoc loco de verbis dicitur, id de factis etiam ac operibus debet intelligi. Hinc ſi fratrem tuum ira efferueſcentem conſpiceris, iamque ad manus illum venturum intelligas, da locum iræ eius, ſubtrahe te illi donec furor pertranſierit,quemadmodum De Iacob fratre Iſaac,& de Seruatore noſtro Iudæos fugiente accepimus. Atq; vt etiam manifeſte intelligas fugam iſtam puſillanimitatis ſignum nō eſſe, ſcito Iacob adeo robuſtum fuiſſe,vt cum Angelo luctatus eundem ſuperarit. Quin.& Seruator noſter, fortitudo Patris, & brachium Dei æterni haud aliquanto quam Iacob robuſtior Iudæorum iræ locum dare non dubitauit. Legite quæſo pro accuratiore materiæ huius explicatione Origenem in prima Homelia ſuper Pſalmum 38. D. Baſilium Hom. 10. Ex varijs ſanctum Ambroſ. lib. 1. offic. cap. 21. *Pſal. 38.* *Gen. 27.*

Erat autem in proximo dies feſtus, &c. Hodierni Euangelij hiſtoria circa feſtum tabernaculorum contigit,quod Iudæi Deo præcipiente celebrabant, quod ex Aegyptiaca ſeruitute in terram promiſſionis traducti, adinſtar viatorum, & peregrinantium, ita tabernaculis habitauiſſent. Cum enim in Paleſtinam perueniſſent,& terram promiſſionis attigiſſent. Deus illis iniunxit, vt quolibet vertente anno ipſos octo dies ſub tabernaculis iſtiuſmodi habitarent, tum ad beneficij accepti memoriam renouandam, tum vt intelligerent, terram quam poſſidebant, ex gratia ſibi eſſe aſſignatam. Atque hanc intentionem Dei fuiſſe,optimè Patriarcha Abraham intellexit, & ideo etſi præcipuus inter eos foret quibus illa promiſſa erat, non aliter tamen quam in terra gratis conceſſa ſemper habitauit,iuxta D. Pauli illud. *Fide Abraham demoratus eſt in terra repromiſſionis, tanquam in aliena in caſulis habitando,* quas leuiſſimus ventus ſubuertere potuiſſe Caſa enim dicitur à cadendo, (Si D. Thomæ credimus) quia videlicet vt male fundata eſt, ita nullo negotio proſternitur. Atque idip- *Leuit. 23.* *Viuendum hic quaſi moriendum, id eſt in tabernaculis.* *Heb. 11.*

idipſum rationi quam Apoſtolus adfert egregiè conſentaneum eſt, quippe cum propter eam Abraham hanc viuendi rationem in terra promiſſionis ſibi delegerit. *Expectabat enim fundamenta habentem ciuitatem cuius artifex, & conditor Deus.* Nimirum ſicut fides firmam ſemper ſpem pro indiuidua comite habet: ita Abraham caput fidelium certa ſpe nitebatur, futurum aliquando vt ciuitatem, fundamenta habentem, ingrederetur, quæ in hoc caduco mũdi ergaſtulo reperiri non poteſt. Et expectabat in ſumma ille ciuitatem, cuius opifex, & architectus ipſe Deus eſſet. Hic enim cælis formam indidit, neque eorum exædificationem Angelis commiſit, ſed ipſemet operi manum admouit. Et idcirco Propheta Dauid eos opera digitorum

*Pſal.*8. Dei appellat. Et quoniam Abraham de die in diem iſtiuſmodi ciuitatem expectabat, quid opus erat illum in Palæſtina domum extruere? In eadem fide, & ſpe illius filius Iſaac. & nepos Iacob vixerũt, quemadmodum Apoſtolus

Heb. 11. obſeruauit, dicens: *Iuxta fidem defuncti ſunt omnes iſti non acceptis repromiſſionibus, ſed à longe eas aſpicientes, & ſalutantes, & confidentes, quia peregrini, & hoſpites ſunt ſuper terram.* Vbi per verbum ſalutantes intellige, eos fide, quæ accerrimi viſus eſt, promiſſiones eminus cõſpexiſſe, & naturarum inſtar, à longe portum ad quem ſe appulſures ſperant, proſpiciẽtium, ſalutauiſſe; ita enim D. Chryſoſt. voculam *ſalutantes* exponit. Confitebantur adhæc inquit Apoſt. ſe

Peregrinorum, & hoſpitum differentia. peregrinos, & hoſpites ſuper terram eſſe. Non tantum peregrinos, inquit D. Anſel. peregrini enim illi ſunt, qui etſi in terra aliena viuant, in ea tamen commorantur: hoſpites autem ſunt, quibus ex templo loco migrandum cedendũque eſt. Hinc S. Patriarchæ demonſtraturi, ſe in terra aliena viuere, ac in ea commorari non poſſe, aſſeuerabant peregrinos, & hoſpites ſe eſſe. Vnde D. Paul. hanc concluſionem extruit. *Qui enim hæc dicunt, ſignificant ſe patriam inquirere*; & paulo poſt addit: *Ideo non confunditur Deus, vocari Deus eorum parauit enim illis ciuitatem.* Hoc eſt: Et ſi Deus Angelorum Dominus ſit, vidẽs nihilominus homines habitationẽ contẽnere, quia nimirum ad cęlum aſpirant, nõ

Exod. 3. dedignatur audire Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Iacob. Ideo cum Moyſes nomen ex ipſo ſuum ſciſcitaretur, omnia alia plena maieſtatis relinquens, ſicut Theodoret,

aduer-

aduertit,ei reſpondit: *Ego ſum Deus Abrahams,Deus Iſaac, & Deus Iacob: hoc nomen eſt mihi in æternum, & hoc memoriale meum in generatione,& generationem.* Quod ſi etiam cauſã interroges, quare nimirum Deus nomine illo in tantum delectetur,dico eam Apoſtolum vocula illa *ideo*,ſignificare,qua oſtendit Patriarchas illos pro peregrinis, & hoſpitibus ſeipſos habentes,& continuò ad patriã cœleſtem tẽdentes tale præmium promeruiſſe. Ex quo quis amabò nõ intelligit quanti meriti apud Deũ ſit hoſpites ac peregrinos huius vitæ ſe exiſtimare? Certè ipſe Rex,& Propheta Dauid Deum vt preces ſuas exaudiret commoturus,duos iſtos titulos velut honoris plenos,illi repræſentauit: Exiſtimans eum nihil alicui poſſe denegare,qui corde,& affectu non minus quam ore peregrinum ac hoſpitem in hac vita ſe confiteretur. *Ne ſileas*,inquit ille,*quoniam aduena ego ſum apud te,& peregrinus ſicut omnes patres mei.* Atque per hanc conſiderationem ſedulo à nobis inſtitutam,illud deniq; conſequemur, vt non nimium rebus huius vitæ adhæreſcamus,& quæ Deus nobis contulit,liberaliter inter pauperes diſtribuamus. Videtur huc nos Eccleſiaſtes inuitare,dum ait: *Tranſi hoſpes,& orna menſam,& quæ in manu habes,ciba cæteros.* Poſtquam enim Abrahã,Iſaac, & Iacob,hoſpites ſe eſſe confiteri non puduit,tu quoq; id liberè ſentire confiteriq; debes. Orna vel ſterne menſã,velut ſi ad hoſpitiũ diuertas,eſto cõtentus eo quod inuenis,& cogita non omnia quæ vis ad manus te habere poſſe,viator enim es,& patientiã habere debes,donec ad propria peruenias. Iam qui domi ſuæ verſatur,cũ quid ex prandio relictum fuerit,id pro cœna reſeruat,cumq; aliud quippiam in cœna ſuperfuerit,id ientanti inſeruiturum in prõptuarium reponit. Qui autem peregre agit,& in diuerſorio eſt, videns ſe alibi cœnaturũ,ſeruos vocat, aut canes accerſit, vt quod à prandio remãſit inter eos diſtribuat. Agite proinde Chriſtiani,tranſite hanc viã vt hoſpites,celebrare ſpiritualiter feſta tabernaculorum, cõſiderate,vos in caſis,& tugurijs male fundatis habitare, ita nãq; Iob corpora noſtra appellat dicens: *Et in Angelis ſuis reperit prauitatẽ,quanto magis hi,qui habitãt domos luteas,quæ terrenum habent fundamentũ,conſumentur velut a tinea?* Et S. Petrus,corpus ſuũ tabernaculum vocat, *certus quod velox eſt depoſitio tabernaculi*

Quanti meriti apud Deũ ſit nos hoſpites fateri.

Pſal. 38.

Liberalitatem excitat.

Eccl. 29.

Corpus domus lutea,& tabernaculũ appellatur.

Cap. 4.

2. Cap. 1

culi mei. Quod ſi corpora noſtra tuguria tantum, tabernaculaq; ſunt, agnoſcamus ſanè hoſpites nos eſſe. Trãſeamus vt hoſpites, viuamus vt hoſpites, & vt hoſpites breui, imò citius quam putamus migraturi, rebus terrenis nõ

Eccl.29. æquo plus adhæreſcamus. *Quæ in manu habes ciba cæteros*. Ea quæ hic relicturus es, tametſi id tibi difficile videatur inter pauperes diſtribue, qui cæleſtis illius hoſpitis filij ſunt, conſiderans eorum ſe precem exaudire, ac Deum etiã velle ſalutari, qui ſeipſos hoſpites, & peregrinos vocare non dubitarent. Caue occaſionem tantum bonum pro exigua recula lucrefaciendi corrumpas, ita enim Chriſtiane, & cum magno tuo bono tabernaculorum feſtũ celebrabis, cuius Euangeliſta noſter meminit.

Tranſi hinc, & vade in Iudæam, &c. Fratres Ieſu Chriſti, hoc eſt illius amici, & neceſſarij ſecundum humanitatem qui iuxta phraſin in ſcriptura receptam, fratres eius appellantur ei dicunt, *Tranſi hinc*, &c. quo, & illic miracula facientem diſcipuli tui quod deſideras pro Meſſia te habeãt. Non decet eum qui cognoſci, ſpectariq; vult, opera ſua in ſecreto; ſed in loco publico, & omnium conſpectui expoſito facere. Et quamuis Ieſu Chriſti amicorum intentio minus eluceat, ac depræhendi poſſit; nos tamen opinionem

Tract. 28. in Ioan. & lib.4.ca. 32. D. Auguſtini, & Cyrilli ſecuti, dicimus, eos ſpiritu ambitionis impulſos, ſeruatori noſtro conſuluiſſe, vt miracula faceret quaſi honor, & dignitas inde procedens, ad vniuerſam illius domum, familiamq; transfunderetur. Nihil. n. homines perinde amant quam alieno labore partam gloriam ſibi vendicare: qua quidem ratione nihil in vniuerſo mundo vſitatius eſt: Nam quantum tu nunc eorum reperiri exiſtimas, tunc qui ſe ſatis honoris, & gloriæ indeptos exiſtimant, quando nomen ſuum ad Troianos, Auos ad Hectorem, & gentis ſuæ propagatores ad Brenum aliquẽ referre poſſunt: immemores interea Philoſophici illius oraculi: *In naturalibus neq; meremur, neque demeremur.* Porrò in Dei domo quilibet illius filius eſt, quem operibus ſuis repræſentat. Et ideo Seruator noſter Iudæis Abrahæ ſe filios eſſe iactitantibus dicebat: *Si filij Abrahæ eſtis, opera Abrahæ facite*; nam in imitatione virtutum, vera filiatio

Multi ex aliorum factis gloriã quęrunt.

Sed vaniſſimè.

Ioan.8. conſiſtit. Clamatis vos quidem, Abrahæ filij ſumus, ego autem dico quod vos ex patre diabolo eſtis, quem factis, & ope-

Digitized by Google

& operibus ſequentes, per imitationem filij illius eſtis, Quotquot ergo honorem ex parentum proſapia deſiderant, ſtulti, & fatui exiſtimari debent Ad hunc modum reſponſum fuit filijs Zebedæi, qui principem locum in domo filij Dei poſtulantes, audiuerunt: *Neſcitis quid petatis*. *Mat.20.* Petitionem veſtram ſtultè ac ineptè inſtituiſtis, inhiantes primis in mea domo ſubſelijs, ſcire enim vos oportet, gradus illos non propter aliena merita, ſed propriorum laborum ergo bene merentibus conferri. Pertinet huc quod Plutarchus de milite quodam egeno commemorat: qui à Rege Antigone, neſcio quid petiturus, quo facilius voti ſui damnaretur, patris ſui ſeruitia Regi aliquando præſtita, honorificè commemorabat. Verum Antigones reſpondit: *Ego mi adoleſcens mercedem, & munera dare propria, non paterna virtutis cauſa dignis ſoleo.* Vis honorem? virtutem mihi amplectere, quæ, ſicut Cato dicebat huius vmbra eſt. Vis virtutem: Laborem amplectere, ſine quo illa obtineri non poteſt. Vnde ſequitur, vt honorem adipiſcaris, virtuti ſtudendum, & vt virtuti ſtudeas, laborandum eſſe: Honorem enim abſque proprio labore affectare, res plena ſtultitiæ eſt. Quos honoris cupido tenet, ij mihi terræ Iſachar incolas debent imitari, de qua Patriarcha Iacob loquens dicebat. *Iſachar Aſinus fortis accubans inter medios terminos, vidit requiem, quod eſſet bona & terram quod eſſet optima, & ſuppoſuit humerum ſuum ad portandum, factusque eſt tributis ſeruiens*. *Gen. 49.* Vbi obſerua Iſacharo ſorte pro portione, quam in terra promiſſionis habiturus erat, locum illi obtigiſſe inter mare mediterraneum, & Tyberiadis ſitum, quiq; tribum Manaſſes, & Zabulon attingebat: *Vidit* autem Iſachar *requiem quod eſſet bona, & terram quod eſſet optima.* Cum ecce tibi ille nihilominus ſtrenuè laborans, terram colere cæpit, & tributa etiam ſoluere non dubitauit, quo videlicet illi in pace viuere liceret. Hinc *aſinus fortis*, appellatur, quia videlicet ea aſinorũ natura eſt, vt opimo aliquo paſcuo inuento, potius ſudes præſtolari, quam loco cedere velint. At qualia tu paſcua honoris, illis delectabilio ra reperiri poſſe ex iſtimas? Sũt certe illa adeo excellẽtia, vt quod maximũ eſt, virtuti, recõpẽſandæ ſufficiãt. Vnde plane non admiror adeo enixe pleroſque mortalium illi inſidiari, Poſtquã aũt cognouerint hac ſorte meliorẽ illis obtingere

Apophtegmata Regum

Vera gloria virtute ac labore quaritur.

Virtute genere munerantur.

tingere non poſſe, quodque in rebus humanis nihil æque quam is deſiderari debeat, terra illa opima, cum Iſachar delecta, manum labori admouere debent, humeros ſubmittere, tributa & cenſus Deo, ac proximo debitos numerare. Quod ſi non faciant, ſed honoris tantũ quietem aucupentur, Aſini nomen, quemadmodum & Iſachar conueniet, puta per ignorantiam, & ſtuporem, qui animali huic proprius & agnatus eſt. Nomen autem fortis minime ijs quadrabit quemadmodum Iſachar, quia honorem expetentes laborem fugiunt. Deſiſtant mihi itaque tales prædeceſſorum ſuorum nomina iactitare, proferant autem titulos quos propria ſibi virtute pepererunt, ſequentes exempla Seruatoris noſtri, qui cum infinitus, æternus, ſapientiſſimus, omnipotens, & alijs qualitatibus Deo cõuenientibus præditus eſſet, præ nominibus cæteris vniuerſis, dulciſſimum nomen Ieſus ſibi ſelegit, quod videlicet reliqua iure naturæ, hoc autem iure meriti ſibi vendicaret. Datum enim id illi fuit, loco mercedis pro obedientia ſua, quam in paſſione didicit, iuxta Paulinum illud: *Didicit ex ijs quæ paſſus eſt obedientiam.* Vnde merito ſibi nomen illud vſurpandum exiſtimauit, quod videlicet mille tormentis, ac ærumnis, illud ſe ſibi peperiſſe intelligebat.

Nomen Ieſus ſelectum, & quare? Heb. 5.

Nam genus, & proauos, & quæ non fecimus ipſi,
Vix ea noſtra voco.

Ouid. 13 Metam.

Inquit Ouid. 13. Metamorph. Quotquot ergo nobilitatem ſuam in arcibus, & caſtellis hæreditate ſibi obuenientibus, quotquot illam in vetuſtis clypeis, vexilliſque quæ maiores ipſorum ex bello victores retulerunt, conſtituũt, hi alienis ſe plumis veſtiunt, atque exornant. Ego certè maius paupertatis indicium reperiri non poſſe exiſtimo, quam cum quis aſcititijs veſtimentis, tametſi illa ſerica aureaque ſint, amicitur. Meminerint mihi iſtiuſmodi homines celebrem illum equum Pegaſum, per quem veteres Poetæ famam nobis repræſentare voluerunt, ex Meduſæ ſanguine, quæ pigritiæ figura eſt, fuiſſe prognatum. Volentes itaque honores adipiſci, adinſtar Perſei cum pigritia illa dimicare, & Meduſæ caput à iugulo reſecare debent, cauentes, ne in Seruatoris noſtri neceſſariorum falſam opinionem dilabantur, qui per aliena opera, honorem famamque ſuam accreſcere deſiderabant. *Manifeſta*

Quomodo vera gloria ſit obtinenda.

ſta teipſum mundo, dicebant illi: huc enim omnia amicorũ, ſecundum carnem conſilia ſpectant, vt videlicet, neceſſitate ſibi coniuncti, mundo manifeſtentur. Hinc qui meliore ſpiritu afflati ſunt, nunquam bona ſua deſideria, quæ illis Spiritus Sanctus ſuggerit, cum amicis carnalibus ſolent communicare. Intellexit hoc Apoſtolus Paulus, quando ſe ad Apoſtolatum vocatum eſſe perſenſit, dicens: *Cũ placuit ei qui me ſegregauit ex vtero matris meæ, & vocauit per gratiam ſuam, &c. continuo non acquieui carni, & ſanguini.* Vbi ſecundum expoſitionem D. Anſelmi, ac aliorum etiam Doctorum, ſynagogam matrem ſuam, & neceſſarios ſuos carnem & ſanguinem appellat, dicens, ſimulac ad Apoſtolatum à Deo vocatus erat, noluiſſe ſe ſecretum illud conſanguineis ſuis manifeſtare, qui ſicut carnales ſunt, ita ſi non ſemper, at plerumque carnis & ſanguinis partes tuentes, crudeliſſimi noſtri hoſtes ſunt, ſiquidem ſub boni prætextu, male nobis conſulunt, quemadmodum Domini noſtri neceſſarij faciebant, qui præter vanitates ſuas nihil cogitabant. Et referunt ad eundem D. Pauli locum alij nonnulli Doctores Corinthiorum illud: *Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ, angelus Sathanæ, qui me colaphizet.* Vbi de propinquorum ſuorum perſecutionibus loquitur, illoſque Angelos Sathanæ, id eſt aduerſarios appellat, quia nihil in toto terrarum orbe, cognatis & familiaribus crudelius reperitur, quando videlicet in ijs quæ Deus nobis inſpirauit, ex diametro nobis aduerſantur. Caueat ſibi proinde quilibet ab eorum conſilijs, quando Spiritu Dei conformia non ſunt, plerumque enim ad vanitatem tendunt atque collimant. Dicent tibi illi, ne adeo latere velis, ſed vt potius te mundo manifeſtes, ab eoque cognoſcaris, & æſtimaris. Non conſiderantes homines quo amplius mundo innoteſcunt, hoc minus à Deo cognoſci. Recordamini mihi illius quod nuper dicebam Lunam tanto clarius à mundo videri, quanto longius à Sole receſſerit. Nolite inquam ex eorum numero eſſe, quos Spiritus Sanctus adinſtar Lunæ mutari dicit: *Stultus vt Luna mutatur*, inquit ille, & S. Auguſt. ita id explicat, dicens eos, qui ad inſtar Lunæ mundo ſe monſtrare volunt, neceſſario à Sole iuſtitiæ Ieſu Chriſto debere elongari. Atque in eodem ſenſu Ec-

Spiritualia conſilia cũ amicis carnalibus nõ ſunt communicãda.

Gal. 1.

Anſelmꝰ & alij ſup. ca. 1. *ad Gal.*

2. *Co.* 12

Qui mundo notus Deo ignotus eſt.

Eccl. 27.

Stulti & Lunæ cõparatio.

cleſiaſtici illud de Luna ſimiliter loquentis, intelligere poſſumus: *Luminare quod minuitur in conſummatione Menſis ſecundum nomen eius eſt creſcens, mirabiliter in conſummationem.* Vbi obſerua vocem illam quæ apud nos menſem ſignificat menſuram ſonare: Et quoniam antiquitus, menſes ſecundum Lunæ curſum numerabantur, hinc ſcriptura dicit nomen menſis à Luna eſſe mutuatum. Duo autem in Luna plane ſibi contraria obſeruat. Primo enim illam luminare circa finem curſus ſui decreſcens vocat, ac deinde ſubiungit, illam ſub eiuſdem finem mirabiliter augmentari. Quæ tamen duo ſi bene conſideres, contrarietatem planè nullam in ſe continent. Luna enim circa finem, noſtro iudicio decreſcit, quia fere omne ſuum lumen amittit, & nihilominus eodem tempore, mirabiliter in ſeipſo creſcit, recipiens ſicut alias diximus, ſolis lumẽ à regione ſuperiore ſibi infuſum. Vnde concludimus, eum qui coram Deo lucere, & in claritate virtutum creſcere vult, apud mundum latere oportere, neque vllo modo mundanorum conſilia ſequi, qui plerumque Seruatoris noſtri amicos imitantur: Quorum hoc vnicum monitum erat: *manifeſta teipſum mundo.* Quare qui ſapiens eſſe audireque vult, conſilia mihi iſtiuſmodi auerſetur, & reſpondeat: Non moror ego vtrum ab alio quam à Deo cognoſcar, neque magnifacio num mundo innoteſcam. Sufficit mihi quod tu Deus meus me noſti, tibi ſoli ego opera, & cogitata mea manifeſtari volo, vt anima mea gratiæ tuæ claritate illuminata felicitatis tuæ partem habere aliquando mereatur, *quam mihi, & vobis, &c.*

Cap. 43.

Luna ſub finẽ creſcit.

CON

CONCIO TRIGESIMASEXTA PRO FERIA QVARTA POST DOMINICAM IVDICA.

Facta ſunt Encænia Hieroſolymis, & Hyems erat &c. Ioan. 10.

INTER nomina ferè vniuerſa quibus ſacræ litteræ Prælatos, & Rerumpubl. Principes inſigniunt, nullum æquè admirabile mihi fuiſſe videtur, quam, cum à Seruatore noſtro faces, & lucernæ ardentes appellati ſunt, cuius ſi nominis vim, & energiam, ij quibus illud attribuitur rectè conſiderent, præcipuam confeſtim munerum ſuorum functionem, obligationemque intelligent, ac ſcient in virtutum ſe exercitijs primos eſſe oportere, quo videlicet alios bono ſuo exemplo ad idem ſtudium alliciant atque adducant. Si enim is qui facem fert, eos, qui ad lumen ſuum incedere debebant, ſubſequatur, oppoſitione corporis eam præcedentis, potius vmbram, quam lucem ijs communicabit. Vnde Magiſtratus & Rerumpub. gubernatores curare debent, vt ſubditis ſuis non doctrina tantum, ſed etiam bono exemplo in virtutis via præluceant; Declarauit hoc Deus in libro Numerorum, quando de electione ſummi Pontificis verba faciens, duodecim virgas Amygdali altari imponi, & ſingulas nomine aliquo duodecim tribuum ſignari: præcepit: vt cuius poſtea virga primum floruiſſet, is ſummus Sacerdos renunciaretur. Vbi obſerua voluiſſe Deum virgas illas non modo duodecim numero, ſed etiam Amygdalinas eſſe, quali quidem illa fuit, quam Propheta Ieremias vidiſſe ſe dixit: *Virgam vigilantem ego video*, vox enim Hebræa, quemadmodum Nicol. de Lyra obſeruauit, Virgam Amygdali ſonat. Myſterium autem, quod ſub his figuris latere videtur, illud eſt, quod videlicet Amygda-

Eccleſiæ Prælati Principes noſtri lux mundi appellantur. *Matt. 5.*

Ideoque debẽt exẽplo prælucere. *Cap. 17.*

Et debẽt eſſe virgæ Amygdalinæ, & vigilantes. *Ierem. 1.*

lus hanc prærogatiuam habet, vt præ omnibus arboribus ipſa primum florere incipiat. Et idcircò virga Amygdali, *virga vigilans* appellatur, quod videlicet vigilare videtur, ne quis ſe florem emittendo præueniat. Vt ergo demonſtretur Prælatos ex eorum numero eſſe oportere, alijs qui in virtutum exercitio, præeant, Deus voluit virgas illas Amygdalinas eſſe. Atque ex hoc etiam loco aliud quippiam apud Prophetam Ezechielem intelligimus: vbi dicitur, in templo Orientalem portam fuiſſe, quæ non niſi Principi ingreſſuro patefiebat. Hoc enim verba illa ſignificant: *Et erit clauſa Principi:* qui ſimulac intrauiſſet porta vſque ad veſperam patebat. Vnde ad eundem locum notabiles quaſdam circumſtantias in præſentiarum annotare libuit. Primo quod Deus voluerit Principem, non per ordinariam ac omnibus communem portam templum introire, ſed propriam, ac particularem habere. Si enim per eandem cum reliquis ingreſſus fuiſſet, foris videri non potuiſſet, vtrum in templo is eſſet. Secunda circumſtantia eſt, quod Deus portam hanc non in obſcuro aliquo loco, ſed ad *orientem* eſſe voluit, vt ita ſole recta illam illuminante quilibet videre poſſet, an Princeps diligenter templum frequentaret, & vtrum mane, ac tempeſtiue illud ingrederetur. Tertia circumſtantia eſt, quod porta vſque ad veſperam patebat, omnibus vt ſubditis conſtaret, vtrum Princeps eo die in templo fuiſſet: Adeo vt omnia hæc eo tendiſſe videantur, vt principis culpam notoriam efficerent, itaque manifeſtam, vt latere non poſſet, quo videlicet is vel propter ſolum pudorem, ſi non propter aliud, bono reliquis exemplo eſſe cogeretur: Conſiderando peccatum ſuum celari non poſſe, quippe cum porta orientem reſpiceret, & vſq; ad veſperam patere, & ſunt omninò Principũ peccata faciei maculis nõ abſimiles, quæ quantumuis exiguæ ſint, attamen ſi in oculum incidant, confeſtim notantur, vnde Iuuenalis ait:

Principium officium.

Cap. 44.

Porta orientalis Templi.

Peccata principũ facilius notantur & grauiora sũt

Satyr. 8.

Omne animi vitium tanto conſpectius in ſe
Crimen habet, quanto qui peccat maior habetur.

Hæc denique Rempub. horologia ſunt, quæ aliter quàm debebant ſonantia, riſum, & cachinum hominibus mouent. Quæ vtinam magnates aliquanto accuratius & frequentius cogitarent, non adeò facilè malo alijs exemplo

eſſent,

eſſent, ſed vnum hoc agerent, quomodo ſubditis ſuis bonis actionibus prælucerent. Quod ſi Principes & capita Rerumpub. huic legi & obligationi ſubiacent, dubitari non debet, Seruatorem noſtrum Principem pacis, quemadmodum ab Iſaia appellatur; & caput Eccleſiæ ſicut D. Paulus inquit, eadem ad amuſſim præſtare debuiſſe. Hinc inter primos feſta Hieroſolymitana adiens fuit, præparãs viam ſequentibus, & reliquis bonum exemplum relinquens. Imò vt ab omnibus videretur, in templi veſtibulo ab Euangeliſta dicitur obambulauiſſe. Pari ratione eorum virtus alijs qui prælucere debent, non ſub modio abſcondi, ſed in loco edito collocari debet, vt ea ab omnibus ſpectata Deus glorificetur, & populus ad virtutis ſtudium ardentius excolendum inflammetur. Nihil enim æquè ſubditorum animos ad bonum accendit, quam Rectorũ ſuorum bona exempla; nihilque etiam perinde Capitibus Rerumpub. nocet, quam cum ſubditis ſuis ſcandalum præbent. *Neminem manent certiora ſupplicia quam illum, qui multos vitiorum ſuorum diſcipulos facit, Imitantium enim interitus pœnarum cumulum facit præceptori*, inquit Nilus Abbas in aſceticis; nos textum accedamus. *Cap. 9. Epheſ. 1. verſ. 22. Coloſ. 1.*

Facta ſunt encænia Hieroſolymis. Encænia illa ſiue feſtum templi dedicationis in memoriam illius inſtitutum erat, quod magnanimi illi Machabæi feciſſe traduntur, qui cũ eorum templum à ſacrilego Antiocho fuiſſet profanatũ, idipſum adiuerunt, deſertum viderunt, altaria euerſa, portas combuſtas, & verbenam omnia occupantem propter raritatem ad Dei ſeruitium venientium repererunt: vnde indignati templum reſtaurauerũt, ac altare Deo in illo ſacrificium oblaturi, erexerunt, ſancientes vt ſingulis annis, ac eodem tempore, menſe Nouembri videlicet, feſtum dedicationis, quod hodiernũ Euangelium encænia vocat, celebraretur. Quod feſtum quam Deo gratum fuerit ex eo ſatis ſuperq; liquet, quod ipſe Seruator noſter illud celebrare, ac eo tempore Hieroſolymis adeſſe voluit. Demonſtrauimus heri Auditores, quemadmodum omnes boni Chriſtiani, Spiritualiter feſtum Tabernaculorum celebrare debeant. Nunc vero docendi eſtis, quemadmodum Tẽpli dedicatio obſeruanda ſit, ſiquidem vtriuſq; feſti reuerentia maxima fuiſſe videtur. Vt autem materiam hanc *1. Mac. 4* *Dedicatio Templi.*

tanti ponderis,& momenti plenius intelligamus,ſciendũ eſt omnes illos,quos Spiritus Dei per gratiam ſuam inhabitat,Spiritus S. templa eſſe; quippe cum Templum nihil aliud ſit, quam domus à Deo inhabitata:Hinc ipſa Scriptura ſacra, ſæpenumero homines templa Dei appellat, & D.Paulus aliquoties metaphoram hanc vſurpat ; vt cum ad Corinthios ſcribit: *Neſcitis quia templum Dei eſtis,& Spiritus Dei habitat in vobis?* & alibi: *An neſcitis quia membra veſtra templum ſunt Spiritus Sanctus,qui in vobis eſt?* & rurſus:*Vos eſtis templum Dei viui*, ſicut dicit Dominus. Qua doctrina præſuppoſita,cum S.Anſelmo dico,primam huius templi erectionem & dedicationem in baptiſmo factã fuiſſe, quia in virtute gratiæ, quæ in eo nobis communicata fuit, Deus in nobis habitare incœpit,eijciens ex animabus noſtris Spiritum malignum, qui eas poſſidebat,& Deo è contra illas conſecrans. Tunc enim animæ euenit quod S. Gregorius Papa templo cuidam, aliquamdiu ab Arrianis inſeſſo accidiſſe ſcribit, quod cum à decennio clauſum Sanctus ille vir,repurgare vellet, poſt aliquot ceremonias adhibitas, cum iam miſſarum ſacra peragerentur,audita eſt in medio populo ſus grunniens, non aliter, ac ſi è templo fuiſſet expulſa. Erat hic immundus Spiritus hæreſeos tutor, qui eum cum Arrianis locum hactenus inſederat. Quin ſimulac inter reliquos exorciſmos,quos Eccleſia in Baptiſmo inſtituit, ille legitur: *Exi foras immunde Spiritus*; tum verò primus lapis ſpiritualis huius ædificij ponitur, putà Ieſus Chriſtus, quemadmodum Diuus Paulus inquit. *Fundamentum aliud nemo poteſt ponere, præter id quod poſitum eſt,quod eſt Chriſtus Ieſus*; vbi Apoſtolus ſignificat, quemlibet poteſtatem habere, ſuper fundamento illo ædificandi: Noſtrum enim eſt muros extruere: Vnuſquiſque autem videat, quomodo ſuperædificet. *Si quis enim ſupra fundamentum hoc ſuperædificat aurum, argentum,lapides pretioſos: ligna,fœnum,ſtipulam,vniuſcuiuſque opus manifeſtum erit*. Meminerint autem omnes diem aliquando adfuturum, quando quod ædificatum eſt per ignem probabitur. *Dies enim Domini declarabit,quia in igne reuelabitur, & vniuſcuiuſque opus quale ſit, ignis probabit*. Quod ſi ex auro, & argento ædificatum fuit, clangorem certè edet, damnum autem non patietur. Væ autem illis, qui

Quinã ſint templũ Dei.

1. ad Corinth. 3.

1.Cor.6.

2.Cor 6.

Per Baptiſmum conſecramini in templum Dei.

Lib.3. Dial.ca. 30.

Fundamentum huius têpli eſt Chriſtus

1. Cor.3.

Nos ſuperas diſicamus opera.

qui ex ſtipula, palea & fœno ædificia extruxerint. Conſiderare mihi Auditores, quam pretioſum ſit huius ædificij fundamentum, & iuxta curare, vt muri conformes illi fiant. Mementote eos per ignem probatos iri, nimirum aut in purgatorio, propter peccata leuiora: aut in inferno, propter mortalia & grauiora. Hæc enim tria ab Apoſtolo nomine ligni, paleæ, & fœni inſigniuntur. Ac videte nunc Auditores, quemadmodum templa in Baptiſmo Deo dedicentur, illudque etiam impleatur, quod Diuina maieſtas in Leuitico promiſit, & Diuus Paulus allegat, *Leu. 26.* dicens: *Ponam tabernaculum meum in medio veſtri, ambu-* *2. Cor. 6.* *labo inter vos, & ero Deus veſter, voſque eritis populus meus.* Hoc autem fit mediante Diuina gratia, per quam Deus in anima iuſti commoratur, & non aliter, quam in Tabernaculo aliquo habitat. Obſeruate ad hæc per verba illa, *ambulabo inter vos* certam quandam Dei obambulationẽ *Obambulatio Diuina in ſuo templo.* denotari, quam in anima tunc inſtituet, quando eam in bono progredi, ac de virtute in virtutem tranſire faciet. Augmentatio enim, & progreſſus virtutum Dei quædam deambulatio ſunt, qua ille tanquam in ſpatijs & pergulis charitatis oblectatur. *Deambulat in nobis præſentia Diuinæ Maieſtatis ſi latitudinem inueniret charitatis, quam tamen in nobis nonniſi Deus facit*, inquit Diuus Ambroſius: *Ero Deus veſter, voſque eritis populus meus*, per quæ verba iuxta Diui Thomæ expoſitionem innuitur, Deum *D. Tho. ſup. c. 6. ad Cor. 2.* peculiariter animam illam, quam inhabitat, protegere, quocirca etiam beata dicitur, quia iuxta Dauidem, *Beatus populus cuius Dominus Deus eius*. *Leu. 3.* Dum enim anima illum pro Domino ſuo agnoſcit, prompte illi obedit, *Pſ. 143.* hacque ratione populus Dei audire meretur, quia videlicet illum cognoſcit, huic ſeruit, atque obedit. Atque ex hac iam nunc particula innumerabilium vtilitatum quæ à clementia Dei in anima aliqua, tanquam in templo ſuo cauſantur, intelligi debet, quantum referat cum Deo conuerſari. Liberum enim nobis eſt idem templum profanare, Deum inde eijcere, noua altaria illic extruere, quemadmodum Antiochum idolis ſacrificantem in Hieroſolymitano illo feciſſe, accepimus; hoc autem toties facimus, quoties Deum mortaliter offendimus, eum creaturis poſtponentes. Ita auarus Deum templo ſuo eij- *Quomodo templũ Dei polluamus.*

Ephes. 5. cit, ac in illius locum aurum ſubſtitui. Vnde à Sancto Paulo, auaritia *idolorum ſeruitus* appellatur. Idemque contra Phil. 3. helluones clamans, dicit, eorum illis ventrem Deum eſſe. Ita luxurioſi Deo eiecto mulierem introducunt. Et idem omnino de reliquis vniuerſis peccatis dicere liceret: 2. Cor. 6. Nam *quis conſenſus templo Dei cum idolis?* inquit D. Paulus. Quod ſi omnes nos templa Dei ſumus, quamobrem in cordibus noſtris idola erigimus? Putatiſne peccatum illud impune nobis abiturum? Audite mihi Apoſtolum dicẽtem: *Si quis templum Dei violauerit, diſperdet illum Deus. Templum enim Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos.* Vbi D. Anſel-1. Cor. 3. mus pro verbis illis, *diſperdet illum Deus*, reponit, *Diuerſis ſupplicijs illum perdet, & corpore, & anima*. Quis hæc audiens non intelligat, à tali ſibi Diuini templi contaminatione ſummopere eſſe cauendum? Adſunt ne inter vos aliqui Auditores, qui animarum ſuarum templa profanauerunt, quique propter illicitum creaturarum amorem, Deum ac Creatorem ſuum inde exturbauerunt? Sunt ne inquam inter vos nonnulli, quos propria conſcientia ſacrilegij huius accuſat? Quod ſi aliqui ſunt, ſciant ſibi præ omnibus templi renouationem celebrandam eſſe, niſi protinus à Deo tanquam Domus ſuæ profanatores velint extirpari. Quod ſi ex me quærant, quomodo id renouare debeant, dico deſtruenda illa eſſe, per quæ primum id profanauerunt. Hinc quemadmodum Deum expulerunt creaturarum idola in cordibus ſuis collocaturi, ita eaſdem iam nunc creaturas mihi eijciant, Deum in locum ſuum reponant, & peccatum ſuum calidis pœnitentiæ lachrymis deplorent. Audiant quid D. Paulus, poſtquam de promiſſionibus quas Deus ab immunditijs peccatorum abſtinentibus facit, diſſeruiſſet, dicat: *Has ergo habentes promiſſiones, chariſſimi, mundemus nos ab omni inquinamento carnis, & Spiritus, perficientes ſanctificationem in timore Dei.* Vbi per inquinamenta carnis, luxuriam, libidines, gulam, crapulam, & ſimilia: per Spiritus autem ſordes peccata ſpiritu commiſſa, vti ſunt ſuperbia inuidia, ira, & alia intelligit. Vnde euidenter manifeſteque perſpicimus per Pœnitentiæ ac Confeſſionis Sacramentum templa animarum noſtrarum innouari: Adeo vt Quadrageſimale illud tempus, verum renouationis tem-

Pœna polluentium tẽplũ Dei.

Quomodo templũ profanatum renouetur.

2. Cor. 7. v. 1.

tempus, ac Chriſtianis præ reliquis accommodatiſſimum ſit. Obteſtor proinde vos dilecti mei, per viſcera miſericordiæ Dei, vt poſtquam conſcientijs veſtris probe examinatis grauitatem facti, quando Dei templa profanaſtis intellexeritis, ea continuo ſedula, & accurata confeſſione renouare non dubitetis.

Et ambulabat Ieſus in porticum Salomonis, & circumdederunt eum Iudæi. Quoniam Feſtum Dedicationis in ſeptembri menſe frigido ac hyberno celebrabatur, ſciens Seruator noſter motum caloris cauſam eſſe, aliquamdiu in Salomonis porticu obambulauit, donec populus ad templū confluxiſſet. Cum ecce nō multo poſt Iudæi eum circumſiſtunt, non ſicut ſubinde hominum turba Taurum circūſtat, ſed ſicut Taurorum multitudo hominem aliquem circumſiſtit. Ita enim Spiritus S. per Dauidem prædixit: *Circumdederunt me vituli multi, tauri pingues obſederunt me.* Vbi per vitulos Scribæ, Phariſæi, ac alij viri nobiliores intelliguntur, qui Seruatori ſe noſtro oppoſuerunt. Tametſi etiam per illos Primiores ciuitatis intelligere poſſimus, vitulo præſertim iugum detractante, & Deo multo ante per Ieremiam de Iudæis dicente: *A ſæculo confregiſti iugum meum, rupiſti vincula mea, & dixiſti, non ſeruiam.* Cui Dauidis illud conſonat, qui eos ita loquentes introducit: *Dirumpamus vincula eorum, & proijciamus à nobis iugum ipſorum.* Et obſerua rurſum ideo Iudæos tauros appellari, quo illorum crudelitas, & malitia, qua Seruatorem noſtrum adorti ſunt, manifeſtior euadat. Ferunt enim Taurum calcibus aliquem petiturum, oculos claudere, nulla vt penitus compaſſione flectatur. Ita, & Iudæi oculos ſuos claudebant, nolentes Seruatorem noſtrum cognoſcere, tametſi in ipſorum præſentia ſatis ſuperque hactenus quis eſſet, demonſtrauiſſet. Conſtituerunt enim vitam illi eripere: quam crudelitatem idem Propheta præuidit dicens: *Aperuerunt ſuper me, os ſuum ſicut leo rapiens, & rugiens.* Duo tempora ſunt, in quibus Leo maxime rugire conſueuit. Primum eſt quando quartanæ frigoribus cruciatur: Secundum quando cum fame conflictatur. Ita, & Iudæi frigidi in fide erant, iuxta illud D. Auguſtini: *Hyems erat, & ideo frigidi erant; ad illum enim diuinum ignem accedere pigri erant.* Porrò præter frigus illud quod ſentiebant,

Quomodo Iudæi Chriſtū circūdederint.

Pſal. 21. verſ. 13.

Cap. 2.

Pſalm. 2.

Taurus Iudæorū figura, & quare?

Pſal. 1.

Quando Leo rugiat.

Trac. 48 in Ioan.

extrema etiam fame quæ non niſi prędа Dominica ſe-
dari poterat vexabantur. Hinc Dauid dicit eos quà pro-
pter infidelitatis frigus, quà etiam propter crudelitatis
famem ſuper illo Leonum inſtar rugyſſe. Videte vos ipſi
Auditores vtrum hoc oculos claudere non fuerit, poſt
Quomo- tot miracula viſa adhuc dicere: *Quouſque animam noſtram*
do Iudæi *tollis? Si tu es Chriſtus dic nobis palam.* O, ſceleratos! Non eſt
inſtar hoc intellectus oculos claudere, & adinſtar furibundo-
taurorũ rum Taurorum in innocentem irruere? An ergo mani-
oculos feſtius quis eſſet, declarare vobis poterat? Ipſi vos an-
claudãt. te dicite quid per vocem illam *palam* intelligatis, & nos
deinde aſtruemus milleſariam hactenus factum id fuiſſe.
Si *palam*, clare ac euidenter æquiualere vultis, negare
non poteſtis, idcirco quia manifeſte nimis ac in oculos
vobis veritatem dixerat, blaſphemum vos illum appel-
lauiſſe. Si per *palam* locum publicum intelligitis, ſci-
tis eum ſemper in templo ac ſynagoga prædicauiſſe. Si
denique *palam* Prophetarum teſtimonia reſpicit, legite
mihi Micheam, & docebit vos vbi locorum Meſſias ſit
naſciturus. Legite Oſeam, & teſtimonium de fuga in
*Cap.*5. Aegyptum feret. Legite Iſaiam, & videbitis quemad-
*verſ.*2. modum is de illius doctrina; miraculiſque diſcurrat. Le-
*Cap.*11. gite Prophetiam Iacob filio ſuo Iudæ factam, & videbi-
*verſ.*1. tis completam illam eſſe. Legite Danielem, numerare
Cap. 61. hebdomadas quarum meminit; & videbitis eas iam eſſe
Gen. 49. præterlapſas, Legite Dauidem, & inuenietis eum mul-
*Cap.*9. to ante præuidiſſe, quemadmodum adinſtar pinguium
Pſal. 21 vitulorum eum ſitis obſeſſuri. Legite denique euolui-
teque mihi omnes Sccripturas, & inuenietis ſexcenta de
illo teſtimonia. Quomodo libet itaque *palam* illud intel-
ligatis, ſemper tamen conſtabit, clare vobis locutum il-
lum fuiſſe, voſque ipſos in culpa eſſe quod adhuc ſuſpenſi
ſitis. Martha mulier eum cognouit, ac filium Dei confeſ-
Ioan. 11. ſa eſt dicens: *Tu es Chriſtus Filius Dei vini*. Infantes, &
lactantes Hieroſolymorum poſt eum clamauerunt: *Be-*
*Mat.*21. *nedictus qui venit in nomine Domini*. Vos autem ſi illum
& 23. non agnoſcitis, nunquid veſtra culpa eſt? Eſtis mihi
credite vos ex eorum numero de quibus Dauid ait:
Pſal 35. *Noluit intelligere vt bene ageret*. Quod ſi culpa vo-
bis adhæret, atque ex cæcitate illa emergere non
vultis,

vultis, cur dicitis eum vos ſuſpendere? cur clarius eum vobis loqui vultis? Aperite oculos, aut ſi hoc non vultis, ei ſaltem culpam non defricare, ſed vobiſmetipſis imputate. Vtinam Auditores inter nos ſaltem tales etiam non reperirentur, qui clauſis oculis veritatem auerſentur & DEVM offendere non dubitent. Quoties vos Auditores male facere conſtituentes occaſiones DEVM offendendi quæritis, illoque vobis meliorem mentem inſpirante vos eum contemnitis, toties adinſtar furibundi Tauri oculos clauditis Creatorem veſtrum offenſuri. Quoties in libello ſacro quod te moueat reperis attamen id reſpuis, totiem veritati manifeſte clauſis oculi obluctaris. Quod ſi horum Iudæorum impudentia Chriſtianis vobis diſplicet, non ijs, ſed vobis ipſis iraſcimini, quippe qui peiora facitis, ac eo tempore quo Seruatorem pro DEO agnoſcitis, quod Iudæos feciſſe dici non poteſt. *Si enim cognouiſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent*. Vos autem eum agnoſcentes DEVM confitemini, ac nihilominus clauſis oculis denuo illum crucifigere tentatis. Videre vtra pars plus delinquat, &, qui ex vobis, hoc eſt Chriſtianis &, Iudæis potius repræhenſionem illam mereantur: de qua Apoſtolus ad Hebræos: *Impoſſibile eſt enim qui ſemel ſunt illuminati, &c. rurſum ſibimetipſis crucifigentes filium Dei; Loquor vobis, & non creditis; opera quæ ego facio in nomine patris, &c.* Hæc Seruatoris noſtri verba ſunt, Iudæis qui apertius illum loqui volebant, reſpondentis. Vbi obſeruate Auditores ad efficaciam miraculorum Dominicorum amplius ſtabiliendam, opera quæ fecit, bifariam illius diuinitatem, quodq; Meſſias eſſet, fuiſſe teſtificata. Primo quia opera illa ſupernaturalia erant, quæ ſolus Deus facere poterat, eadem prorſus autoritate, qua Seruator noſter illa deſignabat, præcipuè autem ea, quæ pro confirmatione diuinitatis ſuæ perpetrabat. Secundo qui mirabilis correſpondentis inter opera quæ ipſe faciebat, interq; ea quæ Meſſias facturus erat, elucebat. Vt enim Deus Pater ſufficientia teſtimonia ad incarnationem filij ſui probandam congereret, fecit, quod de veteribus Gretiæ ſtatuarijs accepimus. Cum enim ijs, tametſi longe à ſe inuicem diſſitis, ſtatuam quam effor-

Dolendũ eſt inter Chriſtianos etiã tales tam ros reperiri.

1. Cor. 2.

Heb. 6. verſ. 4.

Mat. 12. verſ. 45.

Opera Chriſti dupliciter eius diuinitatẽ aſtruebant.

efformare iniunctum eſſet, indicata ante illius altitudine, craſſitie, & denſitate, alter mox brachium, alter femora, hic corpus, ille caput, iſte verò pedes efformabat; omnes autem ita perfecte & accurate, vt poſtea omnibus partibus compoſitis, ſingulę ab vno ſculptæ fuiſſe viderentur.

Propheriarum admirabilis vnanimitas.

Vnde conſtabat, vniuerſos illos artifices ijſdem principijs & regulis, vnam eandemque artem tradētibus vſos fuiſſe. Idem Deus Creator per Prophetas fecit, volens filij ſui incarnati imaginem longè perfectiſſimam efficere. Hinc vni illius natiuitatem efformare, alteri conceptionē ſculpere, huic doctrinæ ſublimitatem deſcribere, iſti miracula, illi autem Reſurrectionem adumbrare iniunxit. Qui tamen Prophetæ omnes maximis à ſe inuicem ſecluſis ſpacijs, diuerſiſque viuentes temporibus, ſicut ab vno Spiritu omnes gubernabantur, ita cum tali conformitate omnia ſua protulerunt, vt ex ſingulorum Prophetijs, tanquam ex pulcherrimæ cuiuſdam ſtatuæ partibus, viuam

Nullus ſanctorū omnia illa miracula fecit q̄ Chriſtus.

Meſſiæ imaginem effecerint. Hanc autem imaginem in Scriptura ſancta Deus ideo ſupereſſe voluit, quo filio ſuo mundum hunc ingreſſo, Iudæi illam metirentur, ſicque cognoſcere poſſent, vtrum verus Meſſias is eſſet. Et eſt deinde etiam admirabile illud, ac ſingulare Diuinæ prouidentię opus, quemadmodum D. Athanaſius, & S. Iuſtinus obſeruauerunt, quod videlicet inter veteres excellentiſſimosq; homines, miraculis cæteroqui inſignes, nemo planè repertus eſt, omnia qui miracula fecerit, quæ de Meſſia ac Seruatore noſtro prædicta erant, in eo enim omnia adimplenda erant.

S. Athā de incar. verbo. Iuſtin. Dialog. cō tra Tiphon.

Atque ex hoc facilius deinceps Seruatoris noſtri illud ad Iudæos, intelligetis. *Scrutamini Scripturas, ipſa enim teſtimonium perhibent de me.* Ac ſi dicat: Deus Pater in ſcriptura ſacra viuam vobis Meſſiæ idæam reliquit, vt cum is adueniret, ex ea illum cognoſcere poſſetis. Euoluite mihi proinde illam, inſpicite ſingulas partes, eaſq; mihi applicate: Conſiderantes ſi omnia perſonæ meæ conueniant: quo conſtituto quis ſim certo intelligetis.

Ioan. 5. verſ. 39. *Mat. 11.*

Hinc cum S. Ioan. Baptiſta, incarceratus diſcipulos ſuos ad Seruatorem noſtrum ablegauiſſet, illis vt diceret, vtrum is verus Meſſias eſſet, cœpit confeſtim viſum cæcis, vitam mortuis, auditum ſurdis, & loquelam mutis reſtituere. Quibus omnibus in illorum præſentia factis

eoſdem

Digitized by Google

eoſdem remiſit; dicens: *dicite Ioanni quæ audiſtis & vidiſtis.* Teſtificans operibus ſe Meſſiã eſſe, vt poſtea D. Ioan. miracula recenſita, cum ijs quæ Iſaias de Meſſia prędixerat, componens, certo diſcipulis ſuis indicare poſſet, legitimum Meſſiam aduenifſe, Conſiderando autem Seruatoris noſtri perſonam ac illius opera, ea vt cum illis quæ in Scriptura continentur, comparemus, luce meridiana clarius eſſe videmus, miracula & opera illius verum teſtimonium diuinitatis ſuę eſſe. Et talem omnino de ſeipſo confirmationem omnes Chriſtiani ferre deberent, demonſtrantes tales ſe eſſe non ore ſolummodo, ſed etiam operibus. Sola namq; fides operibus coniuncta, nouas nos creaturas efficit, & in modulo Ieſu Chriſti efformat. Hęc fides Chriſtianorum eſt, inquit D Anſel. nam fides operibus charitatis deſtituta, non Chriſtianorum, ſed diabolorum fides eſt, quippe cum iuxta D. Iacobum, *Dæmones credant & contremiſcant.* Quare quemadmodum Ieſus Chriſtus verum ſe Dei filium eſſe oſtenſurus, ad opera confugit, ita nos Chriſtianos nos eſſe probaturi, bonis operibus inſtrui debemus, quæ ſimiliter in extremo iudicij die examinanda ſunt, Legimus in libris Iudicum, Galaaditas, & Ephrateitas, ita inter ſe conflixiſſe, neutra vt pars victoriam ſe retuliſſe dicere poſſet. Cum ecce tibi Galaaditæ Iordanem obſident, qui Ephratheitis neceſſario tranſeundus erat. Sciſcitantur Itaque ex ijs, vtrum Ephratheitę, an Galaaditę ſint, hi vt liberum tranſitum habeãt Galaaditas ſe eſſe mentiuntur Vt ergo veritas conſtaret, iuſſi ſunt dicere *ſchibboleth*, quod cum ipſi neutiquam dicere poſſent, ſed vniuerſi fere *ſchibboleth* ſtriderent, ad vnũ prope omnes interfecti ſunt; cadentibus duobus & quadraginta millibus. Noſtra vita riuus quidam eſt perenni fluxu ad mortem decurrens, quæ cum appropinquarit, tũc is tranſeundus eſt Quæritur autem ex nobis ſub id tempus, vtrum *ſchibboleth* pronunciare valeamus, hoc eſt, vtrum ſpicas, quas *ſchibboleth* ſignificat, hoc eſt, vtrum bona opera, an vero paleas tantum feramus; ſolum enim frumentum in magnum illius Regis horreum deuehitur, palea autem igni concrematur. Quid dicet tunc miſer peccator, qui nil niſi paleas & fænum in Ieſu Chriſti fundamento ædificauit? Quæ ille opera monſtrare poterit?

Chriſtianum decet operibus ſe talẽ monſtrare.

Sola fides non ſufficit.

Iacob. 2.

Pulchra allegoria.

Iud. 12.

rit?

rit? Et quis æternas pœnas effugiet, ac cæleſtem gloriam
conſequetur, niſi qui bonis operibus inſtructus fuerit, &
boni frumenti ſpicas, demonſtrarit? Soli enim iſti vocem
Apoc.14 illam olim D Ioanni auditam excipient: *Beati mortui, qui*
verſ.13. *in Domino moriuntur. Amodo iam dicit Spiritus vt requieſcant*
à laboribus ſuis: Opera enim illorum ſequuntur illos. Quæ vt
etiam nos circa id temporis habeamus, iam nunc prouidendum
eſt, quod ipſum etſi abſque moleſtia & labore
non fiat, felix tamen labor ille eſt, qui ſempiternæ nos pœnæ
ſubducit. Felix inquam labor, qui nos ad gratiam diſponit,
qua mediante gloriam obtinebimus, *quam mihi &*
vobis, &c.

CONCIO TRIGESIMASEPTIMA
PRO FERIA QVINTA
POST DOMINICAM IVDICA.

Rogabat Ieſum quidam Phariſæus, vt manducaret cum illo, &c. Luc. 7.

CVM D. Paulus Apoſtolus in tertium
2.Co.12 cœlum raptus, illic Dei eſſentiam, ac
in ea omnes ſuas perfectiones, excellentiſſimaſque
qualitates intueretur,
inter mirabilia ſibi multa tunc temporis
ſibi reuelata, & ad quæ explicanda
Cap 8. ipſe ſe ſufficere non indicabat, ſolam
D.Tho. Dei miſericordiam ſibi commendandam eſſe exiſtima-
1. ad E- uit. Hinc ad Epheſios ſcribens inquit: *Deus, qui diues eſt*
pheſ. *in miſericordia.* Titulus enim iſte adeo Deo proprius eſt,
Lect.2. nulli vt creaturæ accommodari attribuique poſſit. Nam
Miſeri- ſicut præclare Doctor Angelicus D. Thomas aduertit.
cordia *Miſericordia Dei, neque coarctatur anguſtijs diuitiarum, neque*
Diuina *timore nocumenti reſtringitur, neque lege ſuperioris.* His.n.trib.
eiuſque rebus quemadmodũ idem doctor latius oſtendit hominũ,
laus. plerũque miſericordia ſolet limitari. Diuitiæ mortalium

finitæ

Digitized by Google

finitæ ſunt, vnde cuilibet neceſſitati obuenienti mederi non poſſunt. Deus autem ſicut idem Apoſtolus docet: *Eſt diues in omnes qui inuocant eum*, quia videlicet habet vnde omnibus ſuccurrat, &c., opituletur. Iam homines nonnunquam etiam aduerſarijs ſuis non ignoſcunt (eſt enim &c., veniam dare miſericordiam exercere) timore damni alicuius quo inde emergente, perque illud hoſte crudeliore euadente, ipſe plecti poteſt. Quod quam etiam Dei miſericordiã non limitet, vel ex Iob diſces, qui ait: *Si peccaueris, quid ei nocebis?* Denique &c., leges ſuperiorum miſericordiam noſtram reſtringunt, prohibentes culpam aliquam remittere, certaque illam pœna ac mulcta affici iubentes; Deo autem quis vnquam legem fixit? *Quem conſtituit alium ſuper terram*, inquit Iob, *& quem poſuit ſuper orbem quem fabricatus ſt*: Vnde merito D. Thomas concludit Deum tantum in miſericordia diuitem eſſe, non modo quoad adfectum, ſed etiam quoad effectum. Quoniam verò Miſericordiæ affectio liberalitatis eſt ſcaturigo, hinc Deus non tantum miſericordiſſimus, ſed liberaliſſimus iuxta eſt: in quo omnis noſtrę quam expectamus, felicitatis zeugma conſiſtit. Dum.n.miſericors eſt, catenus miſerijs noſtris cõpatitur; & dum liberalis, eſt catenus bene nobis faciendi occaſiones quærit, & quodam modo indignatur cum ab hominibus ad liberalitatem ſuam exercendam non prouocatur. In huius rei confirmationem non ineptè Iſaię illud poteſt allegari, vbi Propheta de populi peccatis loquens inquit: *Et vidit Dominus, & malum apparuit in oculis eius, quia non erat iudicium, & vidi quia non erat vir, & aporiatus eſt Deus, quia non eſt qui occurrat*. Ad quæ verba rite intelligenda, in primis ſciendum eſt, vocem hanc *aporiatus eſt*, iuxta multorum in D. Paulinus commentantium opinionem huic æquiualere, pauperem fieri, triſtitia obrui &c., anxium perplexumque eſſe. Et quoniam ipſe Deus in hodierno Euangelio luculentum planè nobis infinitæ ſuæ miſericordiæ ſignum reliqui, non abs re fue rit Metaphoras quibus Propheta Dei miſericordiam repræſentaturus vtitur, accuratius aliquanto enucleare. Ac prima q uidẽ à Mercatoribus petita eſt, qui merces ſuas in vna aliqua officina conſtituentes emptores præſtolan-

Rom. 10. 11.

Cap. 35. verſ. 6.

Iob. 34.

Deũ non ſolum eſt ſumme miſericors, ſed etiã liberalis.

Cap. 59. verſ. 16

Aporiatus quid ſignificet.

2. Cor. 4.

Summa Dei miſericordia varijs Metaphoris declaratur.

ſtolantur. Expectant biduum, triduum, & amplius tum ſi nemo qui emat acceſſerit, conſternãtur, Queras quamnam ob cauſam id faciant, reſpondebant; Actum de nobis eſt, panis cæterum emendicandus. Quod ſi ijsdem replices ac dicas pauperes illos non poſſe inſtructa officina & adeò adhuc bene ornata, reclamabunt, Hæc noſtræ ruinæ cauſa eſt, quia vniuerſa ſubſtantia in merces iſtas expenſa emptores inuenimus: ſub hoc Schemate Propheta Creatorem Deum nobis introducit: Cũ enim omnes illius merces in miſericordia conſiſtam, poſtquam populus peccauiſſet in omnes partes oculos conijciebat, expectans, quis aliquid à ſe peteret. *Et vidit quia non erat vir*, ſimulque animaduertens neminem à ſe aliquid efflagitare. *Aporiatus eſt Dominus, quia non eſt qui occurrat* Ea enim Dei bonitas eſt, pauperem vt ſe eſſe exiſtimet cum miſericordiam ſuam in homines exercere non poteſt. Secunda Metaphora à matre lacte plena deſumpta eſt, cuius infans lactere non vult. Poſtquam enim illa viciniam imò totam ciuitatem fruſtra obiuit, aliquem qui lactis ſe onere leuet explorans, mœrore conficitur, timens ne in morbum incidat. Deo noſtro, Chriſtiani, prout in Canticis à ſponſa deſcribitur, vbera ſunt lacte miſericordiæ plena, quæ cum qui ſugere velit nemo inuenitur, *aporiatur Dominus, quia non eſt qui occurrat.* Tertia Metaphora à Patre mutuata eſt, qui filium diſcholum & male feriatum habens, hinc ad illum caſtigandum impelli, illinc ad ipſi parcendum ſe ſentit inflammari Nollet illum cædere, ſed vt id faciat Amor & Iuſtitia ſuadent. Hinc ſcutica armatum in domo, diſcurrere, exclamareque videas: Vbi eſt preditus, vbi profligatus ille eſt? Quæ tamen omnia aliud non ſunt quam minæ patris, volentis filium perterrefacere, & aliquẽ vt parcas filio exorare. Hinc oculos, quaquauerſũ circumferens, interceſſore nõ obueniẽte filiũ caſtigare ſe debere intelligit, totus triſtis, dubius, perplexusq; eſt. Sic Deus peccata populi ſui vindicaturus, ſũpta in manus virga exclamat: *Vbinã ſũt? Ceſſare faciã ex hominibus memoriã eorũ.* Quæ minæ cũ eo tẽderẽt, aliquis vt illi occurrẽs Iuſtitiã eũ exercere prohiberet: *Vidit quia nõ erat vir*, Vnde *aporiatus eſt Dominus, quia non eſt qui occurrat.* Ecce vobis hic elegãtiſſimas illas Metaphoras quibus Propheta Iſaias Dei Patris miſeri-

Secunda Metaphora.

Cap. 1.

Metaphora tertia.

Deut. 32. 26.

ſericordiam deſcribit: qui vt etiam Seruatorem noſtrum vnigenitum illius ac per omnia ipſi æqualem eadem hac miſericordia dotatum iri ſignificaret, inquit: *Præparabitur in miſericordia ſolium eius*. In tali enim ille tribunali iudicium exercebit, vt Iuſtitia in Miſericordiæ Throno reſidens tanto mitiorem clementioremque ſententiam ferat. Obibat Seruator noſter mundum vniuerſum homines quærens qui infinitæ ſuæ clementiæ merces coemerent, qui miſericordiæ ſuæ lac ſugerent. Quin ipſe cœleſtis illius pater vnum hoc ſtuduit, quemadmodum aliquos ſemper ad eum deduceret. Et deduxit ſane ille Cananæam, Samaritanam, Sanctum Matthæum, & alios peccatores, inter quos tamen vniuerſos nemo melius quam Beata Maria Magdalena diuinorum illorum vberum lac ſuxit Huius Hiſtoriam hodiernum Euangelium complectitur quod cum dicat eam in domo Phariſæi vbi Seruator noſter conuiuabatur fuiſſe conuerſam, vel hoc imprimis docet, nullum conuiuium epularumque delicias, perinde peccatorum conuerſationem illi placere, Verum ipſam Hiſtoriam examinemus.

De Miſericordia Chriſti.

Eſa. 16.

Ecce mulier in ciuitate peccatrix. Refert Euangeliſta Ieſum Chriſtum à Phariſæo inuitatum menſæ aſſediſſe: *Et ingreſſus domum Phariſæi diſcubuit*. Vix accubuerat: *Et ecce mulier in ciuitate peccatrix*. Hanc temporis circumſtantiam ipſamque Seruatoris noſtri cubantis conſtitutionem S. Petrus Chryſologus examinans inquit: *Non ad ſtantem, non ad ſedentem audet venire peccatrix. Deus cum ſtat corripit, cum ſedet iudicat, proſtratis coniacet cum recumbit*. Ita enim de S. Stephano legimus, quod *Vidit Ieſum ſtãtem à dextris virtutis Dei*, vt videlicet oſtenderet à ſe qui ipſum lapidabant, punitos iri. Maria autem quæ non vindicem, ſed Protectorem quærebat, ſtantem adhuc adire non voluit. Porro cum etiam ſedens Iudicem agat, talisque aliquando ſententiam definitiuam contra homines vniuerſos prolatum ſit appariturus, *In regeneratione cum ſederit filius hominis*, inquit Sanctus Matthæus & alibi: *Cum venerit filius hominis &cat. Tunc ſedebit ſuper ſedem Maieſtatis ſuæ*: Ideo Magdalena, quæ non Iudicem, ſed Patronum quærebat, ſedentem conueniendum ſibi non putauit. Videns autem poſtea Seruatorem noſtrum late-

Cur ad diſcumbentẽ veniat peccatrix.

Ser. 93.

Actor. 7.

Cap. 17.

Cap. 27.

ri incubantem, in ſignum quod pro peccatoribus eſſet paſſurus, iam menſæ more veterum Iudæorum accumbenti audacter ſe ſtitit. *Dum eſſet Rex in accubitu ſuo nardus mea dedit odorem ſuauitatis.* inquit ſponſa Nardus, inquit Plinius, herba eſt radicis craſſæ & denſæ, tametſi in ſedebilis, nigra & amara ſit. Hinc peccatorum ſymbolum eſt, qui craſſis radicibus terræ inhærent, tametſi illæ ipſæ debiles, nigrę, & amaritudine plenæ ſint: eſt enim iuxta Prophetam res lugubris, & acerba Deum deſeruiſſe, ac illius timorem perdidiſſe. Fructus autem ac odor etiam nardi dulciſſimi ſunt: ſignificantes Deum mirabiliter fructu & odore peccatorum conuerſorum affici, qui ſunt pudor, confuſio, & lachrymæ. Quando ergo nardus illa odorem ſuum exhalauit? *Dum eſſet Rex in accubito ſuo.* Quando videlicet Magdalena accumbenti Chriſto odorem ſuæ confuſionis, lachrymarum, & vnguentorum repræſentauit: refert namque Euangeliſta eam alabaſtrum vnguenti pretioſi ſecum etiam attuliſſe. Et indigebat reuera eo illa ſi quo alio, vt videlicet peccatorum ſuorum putorem illo temperaret, quia adeo grandis erat, totam vt iam ciuitatem peruaſerat. Hoc enim illud ſignificat: *Erat in ciuitate peccatrix.* Vnde præclare Diuinus noſter Chryſol. inquit: *In ciuitate peccauerat, quia fama ſua, famam tetigerat totius ciuitatis: ſicque iam non peccatrix ſolum, ſed ipſius ciuitatis facta̅ fuerat ipſa peccatum.* Adeo dum iſte pulchritudine eius decipitur, ille malum exemplum eius imitatur, hicque diſſolutionibus & licentiæ illius indignatur, tota paſſim ciuitas ſcandalizabatur. Et erat ſane illa viua meretricis illius imago, quam Diuus Ioannes ſub Babylonis nomine deſcribit dicens: *Erat circumdata purpura & coccino, inaurata auro, habens poculum aureum in manu ſua, plenum abominatione & immunditia fornicationis eius.* Erat, inquit, purpurata: plerumque enim mulieres illæ quæ animarum ſuarum in hoc genere iacturam ſuſque deque ferunt, vnice circa corpus ornandum ſolent occupari. Et additur eam poculum aureum turpitudinibus plenum circumtuliſſe: vt oſtendatur profligatas iſtiuſmodi mulierculas ſuarum immunditiarũ contagione alios quoque inficere allaborare. Ideo Diuus Chryſologus ait peccatum Magdalenæ totius ciuitatis fuiſſe factum peccatum. Porro Diuus

[Margin notes: *Cant. 1.* — *Nardus quale genus herbarũ, & quid ſignificet.* — *Grauitas peccati Magdalenæ depingitur.* — *Chryſol. ſup.* — *Apo. 17. verſ. 4.* — *Verſ. 5.*]

Diuus Ioannes cap. 17. eiuſdem Apocalypſeos aliud adhuc in meretrice illa obſeruauit, quod videlicet fronti illius hæc inſcripta fuerint: *Myſterium, Babylon magna, mater fornicationum & abominationum terræ*. Myſterium ſicut alias diximus rem ſecretam, & admirabilem ſignat. Vnde præclare vox illa meretrici huic conuenit: Mirabile namque profectò erat mulierem cui Deus freni loco pudorem dederat, eo impudentiæ perueniſſe nihil vt vereretur abominationes ſuas fronti ſuæ inſcriptas circumferre, ſuſque deque ferendo vniuerſo quod mundo ijs conſtaret. At dicet mihi ex vobis aliquis hoc loco auditores: Quomodo fieri potuit fœminam aliquam illuſtri domo natam, eo miſeriæ deuolui, proprio vt nomine perdito peccatrix tantum audeat, illamque talem audire non pudeat? Experto mihi credite Auditores pleraſque nobilium fœminarum, quæ honoris ac exiſtimationis ſuæ naufragium paſſæ ſunt, hanc incomparabilem iacturam incurrere, quia nimium ſibi de ſeipſis pollicentur. Certum namque & indubitatum eſt Deum omnes illas in turpiſſima quæque flagitia delabi permittere, qui nimium de ſe ipſis ſibi appromittunt. Quid refert, inquiunt illæ; ornatas procedere, odores circumferre, auribus dicta adoleſcentulorum aucupari, ijs arridere, fœdas amatorias accipere, ad eas reſpondere, ne agreſtis & in ciuilis videaris? An ergo tu mihi iſta ludrica & exigui momenti eſſe arbitraris? audite quid ſapiens dicat: *Qui ſpernit modica paulatim decidet*. Et Sophoniam Prophetam, qui ciuitati nimium ſibi ipſi præſidenti, ita minatur, dicens: *Et habitabunt in medio eius omnes beſtiæ gentium, Onocrotalus, & hericius, vox cantantis in feneſtra, coruus in ſuperliminari, quoniam attenuabo robur eius*. Quæ verba Diuus Hieronymus de exulcerato illo tempore accipit, in quo Eccleſia tunc verſabitur, quando propter nimiam nonnullorum præſidentiam, in grauiſſima peccata deuerget. Anima ſibi præſidens, inquit Propheta, ſicut ciuitas deſerta efficietur, permittente Deo omnia gentilium & Ethnicorum vitia illam inhabitare. Per onocrotalum, hericium & coruum, ſicut alias diximus, Gulam, Auaritiam, & Pænitentiæ dilationem intellige. Dum autem additur, voces in feneſtris

Quomodo Magdalena ad tantã turpitudinẽ deuenerit.

Eccl. 19.

Maximi lapſus ex præſidentia cauſantur.

Cap. 2. verſ. 14.

ſtris exauditas iri, ſignificatur, impudentiam nonnullorum hominum liberrime & quaſi certatim Deum eſſe offenſurum. Veruntamen attenuabitur robur eorum, vt identidem cadentes debilitatem ſuam agnoſcant, & proprijs ſe viribus fidere non poſſe intelligant: Addit Propheta; *Haccine eſt ciuitas glorioſa, habitans in confidentia? Quomodo facta eſt in deſertum cubile beſtiæ? Omnis qui tranſit per eam, ſibi labit, & mouebit manum ſuam*. Euenit idem Magdalenæ noſtræ, quæ cum nimium ſibi confideret, paſſim exſibilata, & peccatrix appellata fuit omnibus cum Euangeliſta dicentibus: *Ecce mulier in ciuitate peccatrix*.

Verſ. 15.

Vt cognouit quod Ieſus accubuit, &c. Quanam occaſione factum ſit vt B. Magdalena de vita ſua in melius referenda cogitaret, necdum ſatis liquet, tametſi nonnulli eo id accidiſſe putent, quod aliquando Redemptori noſtro concionanti, Sororis Marthæ importunitate permota auſcultauerit. Illud autem certum eſt. *Vt cognouit quod Ieſus accubuit, &c. Attulit Alabaſtrum vnguenti:* Ecce vobis hic Magdalenam ſubito interius illuminatam, periculaque ſua in quibus viuebat agnoſcentem, ad autorem ſuæ ſalutis curſitantem, neque conuerſionem ſuam procraſtinantem. Ita cum nos Deus per concionatores ad ſe vocat, ſanctis ſuis inſpirationibus reſpondere debemus, cogitantes bene gerendæ rei occaſionem ſemel deperditam recuperari non poſſe. Certe Propheta Dauid, quoties de effectis prædicationis Euangelicæ, iuxta expoſitionem Diuus Auguſtini, & Diuus Hieronymi verba facit, toties eam rebus in momento temporis tranſeuntibus comparat. *Multitudo ſonitus aquarum*, inquit ille, *vocem dederunt nubes. Etenim ſagittæ tuæ trãſeunt, vox tonitrui in rota. Illuxerunt corruſcationes tuæ orbi terræ; commota eſt & contremuit terra.* Id eſt, Plures populi conuerſi ſunt, quando concionatores tui voces ſuas eleuauerunt. Vox enim nubium nihil aliud eſt, quam tonitru, cui verba veſtra ſimilia ſunt, quia videlicet, ipſa hominum corda penetrant, atq; tranſcurrunt. Vox tonitrui veſtri nunquam inſiſtet, ſed admirabili cũ celeritate oĩa percurret Fulgura prædicationis veſtræ Euangelicæ, totũ terrarũ orbẽ colluſtrabũt, ipſa animarum ſecreta penetrantia, & peccatorum tenebras diſpeſ-

Pœnitentia non eſt procraſtinãda.

Verſ. 76.

ſentia

ſentia. Vbi videmus Prophetam Dauid verbum Dei quatuor rebus velociſſimo motu præterlabentibus comparare, puta tonitrui, ſagittis, rotæ, & fulguri, quod ſæpe ante paret quam videatur Hoc autem ille alio fine non facit, quam vt conſtet verbi Diuini effecta, niſi promptè à nobis recipiantur, celerrime auolare, & quod peſſimum eſt, nunquam redire. Amplectenda itaque illa ſunt cum obueniunt, neq; occaſio ea admittendi vnquam negligenda: Quod omnino faciemus, ſi conſtituerimus, ſemel illam ex manibus nobis dilapſam, recuperari non poſſe. Quæ autem malum hæc ſtulta confidentia eſt, craſtinum ſibi polliceri? An ergo non conſtat, Deo te illum, cum libuerit priuare poſſe? *Maximum bene viuendi impedimentum eſt*, inquit, Seneca: *Expectatio quæ pendet ex craſtino, perdis hodiernum, & quod in manu fortunæ eſt, diſponis, quod vero in tua eſt dimittis. Quid expectas? quod tendis? omnia quæ ventura ſunt in incerto ſunt?* Conſiderent mihi omnes Chriſtiani hæc verba ab Ethnico Philoſopho prolata, ne deinceps tempus ſuum adeo inutiliter præterlabi patiantur, & præſentium obliuiſcentes, ſpes ſuas in futuris defigant. Conſidera mihi vocem corui hominibus ſibi præfidentibus, propriam eſſe, quemadmodum tunc à me demonſtratum eſt, cum Sophoniæ illud: *Coruus in ſuperliminari*, explicarem. Coruus inquit, in ſuperliminari præfidentium canit, qui de die in diem emendationem ſuam differunt. Et obſeruat D. Hieronymus vocem illam, quam nos *coruus* interpretamur, etiam gladium & vaſtitatem ſignificare: quo videlicet intelligamus, animam aliquam in cuius ſuperliminari corui vox auditur, nihil certius quam cladem & vaſtitatem manere Quid autem Chriſtiane tale te periculum adire compellit? Quomodo ſalutem tuam, rem dico tanti momenti, in adeo manifeſtum diſcrimen immittere non dubitas. *Hodie ſi vocem eius audieritis*, inquit Dauid, *nolite obdurare corda veſtra*. Vbi obſerua non cras, ſed hodie dici. Etſi enim Deus hodie te vocet, fieri poteſt vt cras non vocet: Quod ſi fiat quid vanam illam tuam confidentiam aliud, quam ſempiterna damnatio ſequetur? *Tolle moras*, inquit Lucanus: *Semper nocuit differre paratis*. Et Ouidius: *Qui non eſt hodie, cras minus aptus erit*. Præcipue autem in conuerſionis materia,

Fronte capillata poſt eſt occaſio calua.

Lib. de breuit vita. Cap. 9.

Cap. 2.

Pſal. 94 Heb. 3.

Pœnitentia dilata peccādi cōſuetudinem generat. quæ quanto diutius differtur, tanto amplius malefaciendi conſuetudo creſcit, qua creſcente ipſa natura indies ineptior ad virtutem efficitur. Hinc Ieremias ait: *Si poteſt Aethiops mutare pellem ſuam, aut Pardus vari etates ſuas, & vos poteritis benefacere, cum didiceritis malum*; mala namque conſuetudo in naturam abit. Nolite mihi proinde Chriſtiani mei contra adeo fortem aduerſarium dimicare, ſed ſimulac Dei vocem auditis de conuerſione cogitate. Diſcite inquam à D. Magdalena, quæ etſi famoſiſſima peccatrix eſſet, tamen *vt cognouit*, & ſimulac Dei vox cordis ſui auribus inſonuit, cognoſcens diuinitus lumine ſibi infuſo pericula in quibus verſabatur, ſciensque Seruatorem noſtrum in domo Phariſæi accubuiſſe, ſubito ad eum acceſſit, & quo plærumque vtebatur, *Attulit Alabaſtrum vnguenti*. Et videtur mihi hoc loco Magdalena peccatum ſuū recepto in Hiſpania more punire voluiſſe, vbi ſi quid vetiti à Typographorum aliquo impreſſum erat, non modo omnia illius exemplaria flammis abſumebantur, ſed ipſi etiam characteres & matrices deſtruebantur. Non contenta enim Maria Magdalena ſeipſam amare flendo caſtigauiſſe, inſtrumenta etiam peccatorum ſuorum, &, vnguenta ſuperbiæ ſuæ adminicula Chriſto ſiſtere, ac luere voluit. Vnde & idem plane feciſſe videtur, quod de Regina Heſter legimus, quę Deum placatura, illiusque iram per Regem Aſuerum à Iurato Iudæorum hoſte perſuaſum detonaturam à populo ſuo auerſura. *Pauens periculum, quod imminebat, fugit ad Dominum, cumq; depoſuiſſet veſtes Regias, fletibus & luctui apta indumenta ſuſcepit. Et pro vnguentis varijs, cinere & ſtercore impleuit caput, & corpus ſuum humiliauit, omniaque loca in quibus ante lætari conſueuerat, crinium laceratione compleuit*. Idem nos Magdalenam noſtram feciſſe poſſumus ſuſpicari, quæ à ſermone Seruatoris in quo conuerſa erat reuertēs cubiculū ſuum ingreſſa, vbi ante ſe comere, & ornare conſueuerat, omnem mundum muliebrem terræ affixit, ſpecula pedibus proculcauit, reticula, calamiſtra, & ſimilia ſuperbiæ inſtrumenta, confregit. Eſt namque hoc Auditores certiſſimum ſignum, muliercularum hactenus laſciuientium, conuerſionis, quando vanitatis ſuæ inſtrumenta Deo ſacrificare non dubitant. Ita in Exodo legimus, quod

Cap. 13. verſ. 23.

Cur alabaſtrum attulerit.

Heſter. 14.

Moy-

Moyſes, *Fecit labeum aneum, à Speculis mulierum, quæ excubabant in oſtio tabernaculi*. Cum enim illæ mundo valedixiſſent, ac vni Deo in templo ſuo ſeruire conſtituiſſent, demonſtraturi, conuerſionem ſuam veram eſſe, ſpecula ſua templo offerebant. Velim mihi hoc loco mulieres omnes intelligant, cincinnato & calamiſtrato capillo, tum odoribus perfuſas in publicum procedere, non ſicut vulgus hominum exiſtimat, exiguum peccatum eſſe: ſiquidem illæ quæ ex animo Deo vnquam placere voluerunt, à capillis & odoribus reformationem ſuam inceperunt. Conſtat ſane formoſiſſimũ illum Abſalonem, qui adeò magni capillum ſuum faciebat, eum vt auro appẽſum, puellis Hieroſolymitanis mundo muliebri inſeruiturum venderet, ab eo non aliter quam ex catena pependiſſe. Nec immerito ſane: Conueniebat namque crines illos, qui mulieribus eos in capitibus portantibus laquei perditionis fuerant, autori etiam ad extremum ſuo funis ac reſtis loco eſſe. Quid autem ego hoc loco de odoribus dicam, quibus qui vtuntur, hi veluti quibuſdam furcinulis prætereuntes per naſum rapiunt, atq; vt transeuntem olfaciant, inuitant? Audite perelegans Martialis ad Poſthumum amicorum ſuorum non neminem odoribus iſtis affluentem, Epigramma.

Cap. 38.

Quantũ peccatũ ſit cinnatum prodire.

2. Reg. 18.

Odoribus vti quam dedeceat.

Hoc mihi ſuſpectum eſt quod oles bene, Poſthume ſemper:
Poſthume, non bene olet, qui bene ſemper olet.

Et quis omninò ſanus vnquam dubitauit, odores iſtiuſmodi laſciuiæ quædam ſulphurata, illecebraſq; eſſe? Imò quẽ Spiritus S. Illud elogium fugit dicentis, mulierem luxurioſã ad inſtar fimeti in via cõſtituti ſe habere? ſciant proinde omnes qui odoribus iſtiuſmodi delectantur, ſordium ſe ſuarum fœtorem prodere, ac manifeſtare. Meminerint illi Deum per Iſaiam minari ſe calamiſtratos illos capillos caluitio, odores autem intolerabili fœtore eſſe puniturum. *Et erit*, inquit ille, *pro ſuaui odore fœtor, & pro criſpante crine, caluitium*. Maneat proinde Reginam Eſther, & peccatricem Magdalenam capillos & odores ſuos Deo immolantes gratius illi ſacrificium offerre non potuiſſe, illoſq; adeo omnes, qui iam nunc talibus delectantur, egregiè pœnitentia ductos iri, quod concionatoribus non obtemperantes, vanitates ſuas fuerint ſectati.

Eccl. 9. verſ. 10.

Cap. 3.

Primus pœnitentia gradus pudor. *Et ſtans retro ſecus pedes Domini, lachrymis cepit rigare, &c.* Ecce vobis primum pœnitentiæ paſſum, pudorem, dico, quo ſuffunderis, quia aliquando Deum oſtendere non dubitaſti. Qui enim Deum humeros illi obuertendo contempſit, eius audaciæ nequaquam eſſe debet vt directe & in faciem illum intueatur. Hunc pudorem ac ruborem etiam Deo gratiſſimum eſſe, ſponſa in Canti-

Cap.4. cis docet, cum ait: *Sicut fragmen mali punici, ſic gena tua.* Hoc eſt, genæ tuæ mirum in modum mihi placent, quia ruborem malorum punicorum imitantur, quæ verecundorum ſymbolum ſunt. Econtra autem Scriptura ſacra meretrices animas illas appellat, quas Deum offen-

Cap.3. diſſe non pudet, *Frons mulieris meretricis facta eſt tibi*, inquis Ieremias, *& noluiſti erubeſcere.* Et alibi hominibus quos peccatorum ſuorum non pudebat ita minatur,

Cap.6. inquiens: *Confuſi ſum, quia abominationem fecerunt. Quin*

verſ.15. *potius confuſione non ſunt confuſi, & erubeſcere neſcierunt. Quamobrem cadent inter ruentes, in tempore viſitationis ſuæ corruent*, dicit Dominus. Cauete proinde vobis Chriſtiani mei ab hac vindicta, ſtare retro ſecus pedes Domini, & pudore ſuffundemini, quod Deum veſtrum, quem vnicè amare debebatis, adeò grauiter & enormiter offendiſtis: Idcirco enim exemplum illud Mariæ Magdalenæ nobis ob culos ponitur vt videntes eam totaliter confuſam, & ſecus pedes Chriſti ſtantem propter peccata noſtra erubeſcere diſcamus.

Secũdus gradus pœnitentia eſt humilitas. *Secus pedes Domini.* Ecce vobis ſecundum paſſum, quem peccator in conuerſione ſua facere debet, humiliando ſeipſum, & propriam vilitatem agnoſcendo. Reuera namq; homo peccata ſua frequentans, turpiſſimum ſe reddit, dicente Propheta; *Quam vilis facta ei nimis, iterans vias tuas* Humiliare proinde peccator, & ſiquidem peccata tua adeò te infamem fecerunt, aduoluere pedibus Seruatoris noſtri cum Maria Magdalena.

Tertius gradus eſt dolor de peccatis. *Lachrymis capti rigare.* Eſt hic certe tertius pœnitentium paſſus, vt videlicet, Deum ſe offendiſſe doleant, ac in illius doloris ſignum lachrymentur, & quidem ſic, vt poſt filium Dei ſedentes pedes illi lauare poſſint. Id etſi Mariam Magdalenam feciſſe conſtet, attamen ſi Euangeliſtæ credimus, erat hoc tantum initium lachrymarum; Hoc

enim

enim verba illa inſinuant, *lachrymis capit rigare*, Itane verò? lachrymas adeò copioſe effundere, hoc ne eſt lachrymari incipere? Et tamē Auditores nemo id mirabitur, qui ſciuerit, quam enorme ſit Deum offendere. Recordamini mihi parumper, quemadmodum S. Lucas in frontiſpicio hiſtoriæ Apoſtolicæ dicat: *Primum quidem ſermonem feci de omnibus o Theophile; quæ cœpit Ieſus facere & docere*, hoc eſt: Primus liber quem ſcripti Euangelion meum eſt, in quo omnia continentur, quæ Seruator noſter ab inſtāti ſuæ cōceptionis vſq; ad glorioſam aſcenſioné *cœpit facere & docere*. Euoluite mihi Euangelium S. Lucæ, cuius in principio actuum Apoſtolorum meminit, reperietis illic hiſtoriam conceptionis, natiuitatis, prædicationis, miraculorū, paſſionis, mortis, reſurrectionis, ac ipſius denique aſcenſionis. Quæ omnia myſteria, etſi S. Lucas Euangelio ſuo complexus ſit, dicit nihilominus aliud ſe non ſcripſiſſe, quam ea quæ *cœpit Ieſus facere & docere*: Vt videlicet intelligamus, ea quæ Seruator mundi pro ſalute hominum fecit & tolerauit, cum ijs quæ facere deſiderauit comparata, aliud nihil quam initium rerum gerendarum eſſe. Et idcirco is cum moreretur ſitire ſe clamauit, quo videlicet conſtaret mori ſe cum indicibili deſiderio longe adhuc plura & grauiora perpetiendi. Quod ſi iam nunc verba illa, *cœpit facere & docere*, cum illis, *cœpit rigare pedes eius* cōparaueritis, mirabilē correſpōdentiā inuenietis. Si enim filius Dei, poſtquā tot ac tāta pro homine ſuſtinuiſſet, ſuſtinere tantū incœpit, comparatis videlicet tormentis, quæ pertulit, cum ijs quæ perferre deſiderabat, luce reuera meridiana clarius eſt, omnes illas lachrymas quæ pro peccatis admiſſis fundi poſſunt, cum ijs quæ effundi deberent comparatas ſigna tantum, & initia lachrymarum eſſe. Obſeruate præterea cum S. Athanaſio Epiſcopo non alio medio quā lachrymarum Deo nos pro peccatis noſtris poſſe ſatisfacere. Quæ quamuis etiam omnibus plane peccatis conueniāt, mihi tamen neſcio quo pacto maiorem correſpondentiam cum peccatis ſenſualitatis habere videntur; Quod credo in alijs peccatis homo ea Diabolo ſacrificat, quæ corporis ſubſtantiam non attingunt: in carnalibus autem peccatis, portionem ex corporis ſui ſubſtantia deuouet ac immolat. Atque hoc D. Paulus Apoſtolus

Quomodo dicitur cœpit rigare.

Nota.

Neceßitas lachrymarum.

1.*Cor.6.* ſtolus ſignficare voluiſſe videtur,cum diceret:*Omne pecca-*
*verſ.*18. *tum quodcunque fecerit homo extra corpus ſuum eſt: qui autem fornicatur, in corpus ſuum peccat.* Vnde fit vt in alijs peccatis ſufficere videatur, Deo earum rerum aliquid offerre, quæ corporis noſtri ſubſtantiam non attingunt,licet id etiam animæ peccanti inſtrumenti loco fuerit. Ad carnalium autem peccatorum ſatisfactionem lachrymæ aptiſſimæ ſunt, quod videlicet in ijs partẽ aliquam corporis noſtri Deo immolare videmur, pro ſatisfactione illius, quã Diabolo cœleſte Numen offendentes, obtulimus Sunt nãque lachrymæ particulę quædam humanæ ſubſtantiæ, deſtillatæ per oculos, impellente vi ac igni Diuinis amoris. Maneat ergo Magdalenam;quæ toties in hoc genere peccauerat, copioſiſſimas contritionis lachrymas effundere debuiſſe.

Pro peccatis carnalibus debentur lachrymæ.

Tu autem Chriſtiane,qui hactenus cæco ac pleno impetu,eidem peccato inhiaſti, eam lachrymando imitari necdum conſtituis? Certe Rex & Propheta Dauid, mundo vniuerſo viam quam hactenus inſtiterat,patefacturus,
*Pſ.*101. ſeriam pœnitentiam faciens, dicit: *Similis factus ſum pellicano ſolitudinis factus ſum ſicut Nycticorax in domicilio, vigilaui & factus ſum ſicut paſſer ſolitarius in tecto*. Tribus inquit,auium generibus aſſimilatus ſum: Pellicano,qui iuxta communem opinionem pullos ſuos ipſemet occidens, aut à ſerpente enectos videns,ipſo triduo luget, & impacto in pectus roſtro ſanguinem elicit, vitam ijs redditurus: Nycticoraci,qui de nocte Eccleſias ingreditur, & alimenti loco lampades, oleumque exſugit: Paſſeri ſolitario, qui omnem ſocietatem auerſatur,& , quo melius lateat, ſub noctem tecta domorũ inſidet, Iam peccator pellicano ſimilis eſt,dũ videlicet opera ſua per peccatum occidit,& propriæ animæ vitam eripit; Crudelior longe Flaminibus illis, qui liberos ſuos idolo Moloch immolabant, qua videlicet illi Diabolo, aliorum carnes ſacrificabant, iſte autem propriam ſuam animam eidem offert ac cædit. Aſſimulatur deinde noctuæ, ſiue nycticoraci, quia videlicet lumen diurnum fugit,iuxta Seruatoris noſtri ſententiam,
*Ioann.*3. *qui male agit odit lucem*; Denique paſſeri ſolitario com-
*verſ.*20. paratur, quia bonorum conſortia deuitat, metuens ne illorum incorrupti mores ſuorum operum malitiam mani-

Cur pœnitentes pellicano, Nycticoraci, et paſſeri comparetur.

manifeſtent. Et quoniam conſtat peccatores vniuerſos aues illas in malo imitari, quid cauſæ eſt, quod eaſdem in bono ſequi auerſantur? Plorent ergo illi, & ad inſtar pellicani pectora ſua effodiant, quo videlicet lachrymis, quæ cordis ſanguis ſunt, animas ſuas reſuſcitent, & opera per peccatum mortua viuificent, Ingrediatur templa cum nycticorace, miſericordiæ oleum illic epoturi. Recipiant ſe in ſolitudinem cum paſſeribus, peccata ſua deplorantes, infinitamque Dei potentiam obſecrantes, quatenus ſub illa, tanquam ſub tecto latere poſſint. Et quis amabò non intelligit, peccatricem noſtram Magdalenam omnia iſthæc accuratiſſime obſeruauiſſe? Quid aliud lachrymæ illæ eius ex oculis defluentes ſunt, quam ſanguinis riui ex imò pectore bullientis, vt opera ſua illo reſuſcitet? Dum adeo curioſe Seruatorem noſtrum circumſpicit, quid aliud quam oleum in ipſius lampade quærit! Nam quis ignorat per oleum miſericordiam ſuam mundo iterum poſt diluuium facere, in eiuſdem miſericordiæ ſymbolum columbam, oliuæ ramum roſtro præferentem ad Noe fuiſſe reuerſam. Prima namque oliua inter vniuerſas arbores, generali illo cataclyſmo inuolutas floruit, vt nimirum intelligeremus, præ reliquis Dei perfectionibus, miſericordiam ipſius, elucere. Quis autem neſcit Seruatorem noſtrum Eccleſiæ lampadem fuiſſe appellatum? *Propter Syon non tacebo*, inquit Iſaias, *& propter Hieruſalem non quieſcam, donec egrediatur vt ſplendor iuſtus eius, & Saluator eius vt lampas accendatur*. Ipſum autem Sacros ſignificari? Quaſi non conſtet volente Deo miſericordiam nomen Ieſus nunquid etiam oleum à ſponſa appellatur? *Oleum effuſum nomen tuum*. Dum ergo Magdalena Seruatorem noſtrum obit, oleum miſericordiæ quærit, & dum ſecus illius pedes ſtat, ad inſtar ſolitarij paſſeris abſcondere ſe nititur, accipiendo tecti loco protectionem mundi Seruatoris, à quo Dauidicam illam benedictionem expectabat: *Beatus, cuius tecta ſunt peccata*. O cęleſtẽ Pellicanum! ô Diuinum Nycticoracem! ô mirabilem paſſerem ſolitarium! ô rarum pęnitentiæ exẽplum! Poteſtne fieri, vt peccatores hæc audientes non commoueantur? Deliquiſti cum Magdalena ô Chriſtiane, fac quod aliquando S. Ambroſius Imperatori Theodoſio conſu-

Quomodo Magdalena has aues expreſſerit.

Gen. 8.

Cap. 62.

Cant. 1.

Pſal. 31.

Concluſio.

conſulebat: *Qui ſequutus es errantem, ſequere pœnitentem.* Nolo mihi hoc loco procraſtinare, ignoras enim vtrum ſuperuicturus ſis, & ſi ſuperuiuas, dubium eſt an Deus te ſit vocaturus. Quære Ieſum Chriſtum, ſicut Magdalena, & noli tibi præſumere, vt coram illo peccator compareas. Plora, & lachrymare propter peccata tua quibus Dominum adeo clementem offendiſti: Et quoniam ad inſtar Pellicani opera animæ tuæ occidiſti, eadem lachrymis ex imò corde hauſtis reſuſcitare memento. Accede cęleſtem lampadem Ieſum Chriſtum, miſericordiæ oleum epoturus, quæ quia neque hoc tempore imminuta eſt recipiet te vtique cum Magdalena, & ſicut illam defendet. Nihil ille perinde deſiderat, quam miſericordiam facere, non recuſabit ergo eam illi, qui precibus & lachrymis illam efflagitarit; conferet autem ipſi gratiam ſuam, & poſtmodũ gloriam ſempiternam, *quam mihi & vobis, &c.*

CONCIO TRIGESIMAOCTAVA
PRO FERIA SEXTA
POST DOMINICAM IVDICA.

Collegerunt concilium Pontifices, & Phariſæi, &c. Ioann. 11.

Vtilitas conciliorum.

SINGVLARE planè Sapientiæ Diuinæ aſſiſtentiam obtinendi medium eſſe, concilia in Eccleſijs celebrare, & comitia generalia in regnis indicere, nemo eſt, qui vnquam in controuerſiam vocauerit. Etſi enim illa infinita omnia quaqua verſum impleat, mirabiliter tamen concilijs intereſſe, & conuentibus generalibus aſſiſtere ſemper amat. Ita namque ipſamet per ſapientem ſignificauit dicens: *Ego ſapientia habito in conſilio, & eruditis interſum cogitationibus.* Quemadmodum enim ego ipſa ſapientia ſum, ita inter inſipientes verſari non poſſum. Et ſi quidem ſapienti alicui

Prou. 8.

Digitized by Google

cui nihil perinde moleſtum eſt, quam in inſipientium cætu verſari; hinc vt ſapientia in concilijs reperiatur, neceſſe eſt, vt qui ei interſunt diſcretas & eruditas cogitationes apportent. Quod omnino fiet, ſi qui ad iſtiuſmodi concilia aduocantur, ſe ad eam quæ à D. Ioanne præſcribitur regulam conforment. Vidi inquit ille, ſedem in cœlo, cui velut in tribunali iudex inſidebat. *Et in circuitu ſedis ſedilia vigintiquatuor, & ſuper thronos viginti quatuor ſeniores ſedentes, circum amictis veſtimentis albis, & in capitibus eorum corona aurea.* Vbi primo obſeruandum eſt in medio iſtorum ſeniorum ſupremum iudicem, id eſt, Deum reſediſſe. Nihil enim æquè conſiliarios in officio ſuo retinere poteſt, quam præſentiæ Diuinæ conſideratio, quam illorum actiones latere non poſſunt. *Deus ſtetit in ſynagoga Deorum*, inquit Dauid, *in medio autem Deos dijudicat*. Sciant perinde omnes ijs qui Dei munere in terra funguntur, Deum in medio ipſorum eſſe, tametſi ij illum non audiant, ab eoque omnia illorũ dicta, iudicia, & conſilia trutinari. Et addit idem Propheta: *Ego dixi, Dij eſtis, & filij excelſi omnes: vos autẽ ſicut homines moriemini.* Sciant, inquit Iudices, ideo me illos Deos appellauiſſe, quia Dei vicarij ſunt: ſciant autem iuxta homines ſe eſſe, vt homines morituros, & hominum inſtar, exactiſſimam omnium factorum rationem ſupremo Iudici reddituros. Secundũ quod in hoc Concilio à D. Ioanne deſcripto obſeruandũ videbatur, hoc eſt, quod videlicet omnes conſiliarij ſenes fuerint. Omnis enim gubernatio prudentiam requirit, quæ intra breue tempus comparari non poteſt, quemadmodum Iob docet, cum ait: *In antiquis eſt ſapientia, & in multo tempore prudentia.* Væ itaque Rebuſpublicis vniuerſis, quæ à iuuenibus & adoleſcentibus gubernantur: eorum namque conſilia plerumque non diſſimilia illi ſunt, quod nobiles adoleſcentes Roboamo dederunt, ac per quod deinde ipſe miſerrime traductus fuit. Tertia qualitas in conſiliarijs D. Ioannis animaduerſa hæc eſt, quod omnes veſtimentis candidis induti fuerint, per quæ vitæ innocentia conſiliarijs ſummopere neceſſaria ſignificatur. Nam quomodo is conſilium contra improbos ſuggeret, qui ipſe ante accuſandus eſt, quomodo is concubinarios accuſabit, qui meretricem ipſemet domialit? quomodo alea-

Apoc. 4.

In concilijs debet vnus præſidere.

Pſal. 81.

Conſiliarios decet eſſe ſenes

Cap. 12. verſ. 12.

Conſiliarios decet eſſe innocentes.

aleatores, ſententia ſua iugulabit, qui domi ſuæ totos dies ludendo abſumit? Quarto, conſiliarij iſti Apocalyptici ſedebant; quo matura deliberatio in conſilijs dandis neceſſaria ſignificatur: Quæ.n. ſubito calore conſuluntur, ea non niſi forte fortuna prodeſſe poſſunt. Denique coronæ aureæ quæ in capitibus ferebāt, per aurum charitatem ſignificant, qua omnes conſiliarios inſtructos eſſe decet, vt non proprij commodi, vel priuatæ vtilitatis, ſed publici boni rationem habeant. *Charitas non quærit, quæ ſua ſunt*, inquit D. Paulus, Corona autem autoritatem, & poteſtatem ſignificat, quam qui conſulturi ſunt, in ſuas paſſiones habere par eſt: Quæ vbi regnant ſanum conſilium dari non poteſt. Meminerint proinde alijs qui conſilio profuturi ſunt, ſuas ſibi ante paſſiones eſſe refrænandas. Ecce vobis conſilium quod Diuus Ioannes vidit; conſilium verè cœleſte, & quod non alibi quam in cœlo videatur potuiſſe celebrari. Quod ſi etiam terra iſtiuſmodi conſilia haberet, mihi credite, cœlum repente efficeretur. Videamus autem iam nunc, vtrum eædem illæ qualitates, & conditiones eo in concilio repertæ fuerint, quod Diuus Ioannes Hieroſolymis à Pontificibus, & Phariſæis dicit fuiſſe celebratum. Ad primam itaque conditionem quod attinet, dubium nullum eſt, Deum, ipſumque adeo Spiritum Sanctum ei interfuiſſe, tametſi vocati non fuerint: determinandus enim illic erat articulus fidei, quod abſque illorum aſſiſtentia fieri non poterat. Quin &, Caiphas concilij huius Anteſignanus prophetauit dicens: *Expedit vobis vt vnus homo moriatur pro populo, & non tota gens pereat*. Ac vt planè euidenterque conſtaret, Spiritum Sanctum hæc dicenti linguam rexiſſe, adiungitur: *Hoc autem à ſemetipſo non dixit*. Adeo vt dubitari non debeat, Deum, in concilio hoc præſentem fuiſſe, tametſi qui intererant id animaduertere non valerent: quippe cum illi nihil minus quam Deum cogitarent, qui nihilominus inter eos reſidebat, ac ſingulorum actiones iudicabat. Quod ſi etiam ſecundam boni concilij conditionem quæras, inuenies, pleroſque hic imprudentes, & neque ſenes, neque inculpatæ vitæ fuiſſe: Non habebant enim eam canitiem quam Spiritus Sanctum requirit, id eſt, maturum iudicium, quo qui pollent, hi

Debent maturi charitatiui, & paſſionibus domi nantes.

1. Co. 13 verſ. 5.

An præfata conditiones fuerint in concilio Caiphæ.

hi vero plerumque integram, & inculpatam vitam ducunt. *Cani enim ſunt ſenſus hominis, & ætas ſenectutis vita immaculata*. Reliquas autem conditiones quomodo habere potuerũt, qui pleni paſſionibus, odio, & inuidia contra Seruatorem noſtrũ æſtuabant? Qui omnia clamoribus, & turbis gerenda arbitrabantur, quemadmodum ex eo liquet, quando dicebant: *Quid facimus, quia homo hic multa ſigna facit?* Non habebant adhæc aurum charitatis in capitibus ſuis, quia videlicet, vti mox oſtẽdemus, omnia priuato ſuo commodo poſtponebant. Poteſtne aliquod conciliũ damnabilius, & peius cogi, quam contra Seruatorẽ noſtrũ coactum eſt? Reuera quemadmodũ Spiritus S. illi interfuit, ita decretũ, & finalis illius ſententia, iiſdem verbis caſum feliciſſimũ, & culpã poſt homines natos turpiſſimã cõprehendit. Id poſtea ex diſcurſu Euangelico manifeſtius elucebit. Sap. 4.

Quid facimus quia hic homo multa ſigna facit? Conſiliorum illorum ſtupor in eo præſertim conſiſtit, quod Deum exiſtimabant, non alio quam miraculorum medio doctrinæ ſuæ fidem, & autoritatem poſſe conciliare. Hinc cum viderent tot, & talia ab eo miracula patrari, ira efferueſcentes, conſtituebant, omnem tunc ei ſe fidem, & autoritatem ademiſſe, hoc ſi illi medium reſecauiſſent. Vbi ante mihi obſeruari velim ea agentia quorum virtus finita ac limitata eſt, neceſſario media fini ſuo adæquata ac proportionata habere oportere, alias enim nunquam quo cogitant peruentura ſunt. Deus autem ſicut agens liberum, & infinitæ virtutis eſt, imò cuius voluntati creaturæ vniuerſæ ſubiacent, de ijs quidlibet conſtituere poteſt, atque ad id nulla aut diſpoſitione aut proportione opus habet. Itaque cum Deus eas vt inſtrumenta vſurpare vult, accommodat repente ſibi illas, & fini ſuo quem intendit, aptat. Sic ſaxa quæ naturaliter percuſſa, nonniſi ignem emiſſura videntur, Deo imperante aquam Iſraelitis ſuppeditauerunt. Sic ignis qui naturaliter ardet, Deo iubente rubum in quo ipſe Moyſi apparebat depaſtus non eſt. Quin ita idem ignis modo ad improbos puniendos, modo ad bonos refrigerandos Deo adhibetur: quemadmodum in tribus pueris apparet, quos fornacis Babilonicæ ignis illæſos dimittens, inſtar molliſſimi Fauonij eoſdem refrigerauit. Sic morbi humana corpora debi-

Soluit Deus nullis medijs alligatur

Exo. 17.

Exo. 3.

Dan. 3.

Digitized by Google

debilitant, & nihilominus à Deo, tanquam fortitudinis inſtrumenta adhibentur, prout id D. Paulus agnouit dicens: *Cum infirmor tunc potens ſum*, ſic limo oculi humani occæcantur, iubente autem, & aſſiſtente Deo per eundem homini iam inde ab infantia cæco reſtituuntur. Vnde pulcherrimam, & conſolatione pleniſſimam doctrinam eruere poſſumus, vt cũ videlicet Deo bene inuocato negotium aliquod minus feliciter nobis ſucceſſerit, cogitemus diuinæ Maieſtati facillimum eſſe ad noſtrum nos finem perducere, etiam media à noſtro vt videntur inſtitutis quã maximè aliena adhibendo. Vultis hoc ad oculum intelligere? Quomodo commodius ac facilius Seruatoris noſtri doctrina fidem authoritatemq; conſequi poterat, quam ſi miracula faceret, & ſapientiſſimi cum quiq; huius mundi reuerentur? Quomodo autem hominum opinionem ſequendo, medio certiore penitus opprimi, quam ſi mundi huius Magnates, & Sapientes ei aduerſarentur, morti illum adiudicarent, ac inter duos latrones crucifigerent? & delegerunt reuera illi ipſam hanc rationem, quia compendioſiorem adeoq; accuratiorem reperire ſe non poſſe exiſtimabant. Mundus miracula illius videre geſtiẽs, eum inſequitur, tollamus illum de medio, morteque quam poſſumus maximè infami afficiamus, ita enim omnem exiſtimationem perdet, & cæterum miracula patrare non poterit. Hanc illi innocentiſſimum Seruatorem noſtrum diffamandi optimam rationẽ arbitrati fuerunt, ſequentes Prophetiam illam Ieremiæ: *Venite, mittamus lignum in panem eius, & eradamus eum de terra viuentium, & nomen eius non memoretur amplius.* Hoc eſt, iuxta phraſin chaldaicam: intoxicemus illum, propinantes ei venenum in cibo ſuo, eradamus eum de terra viuentium, ita vt vel nominis ipſius memoria amplius nõ exaudiatur. Vel ſi D. Hieronymi explicationem ſequi mauis, ita præfata verba interpretare. Hic homo gloriatur ſe eſſe panem qui de cælo deſcendit, occidamus illum, & in crucem ſuffigamus, eradicemus illum ſtirpitus ex terra viuentium, nulla vt illi ſpes ſuperſit, ea quæ adhuc terræ inhærent, aliquando eſſe repullulatura. Vnde intelligimus Iudæos ſibi perſuaſiſſe, à morte, & crucifixione Seruatoris noſtri neminem, crucifixi nomen inuocare auſurum, quoniam ſcriptum eſt;

2. Co. 12. verſ. 10. *Ioan. 9.* *Deus me dia maris me in idonea fine optime aptare nouit.* *Cap. 11. verſ. 19.* *In Ioan.* *Crux Chriſti gloria eius.*

Male-

Digitized by Google

Maledictus à Deo eſt qui pendet in ligno. At videte mihi hoc *Deut. 21*
loco infinitam Dei ſapientiam, ac omnipotentiam, qui
opere, & effectu ſapientis illud voluit comprobare: *Non
eſt ſapientia, non eſt prudentia, non eſt conſilium contra Domi-
num*: Imò ea ipſa conſilia, quæ homines voluntati Diui- *Prou 21.*
næ aduerſaturi excogitant, Deus, velut inſtrumenta San- *verſ. 30.*
ctiſſimam ſuam voluntatem exequendi vſurpat. Apparuit hoc euidenter, in paſſionis illo myſterio. Mors enim crucis quam Iudæi ad Seruatorem noſtrum diffamandum inuenerant, modus fuit, per quem Deus exiſtimationem ac nominis ſui gloriam amplificauit. Non eſt ergo abſque cauſa quod D. Paulus toties Ieſum Chriſtum de- *1. Cor. 1.*
clamat, non illum ſapientem, non omnipotentem, non *& alibi.*
infinitum, neque æternum, quemadmodum eſt; Sed crucifixum, ſed flagellatum, vt videlicet nobis demonſtret Ieſum Chriſtum Eccleſiam Gentilium ad ſe pellecturum non ea quæ pretioſiſſima in illo erant vſurpauiſſe, ſed ea tantum quæ contemptus, & infamiæ plena videbantur adhibuiſſe, vt etiam hoc pacto mundus intelligeret, iiſdem ſe medijs ad honorem, & gloriam peruenire, quibus *Greg. lib.*
ille eum diffamatum iri arbitrabatur. Et refert ad hanc *6.*
materiam D. Gregorius verba illa Eliphæ, vbi de mundi
huius ſapientibus, ac de Deo eorum conſilia præuenien- *Moral.*
te, differens ait: *Qui apprehendit ſapientes in aſtutia eorum*, *cap. 12.*
& conſilia prauorum diſſipat. Ad quæ verba D. Gregorius *Iob. ca. 5*
addit: Tunc Deus ſapientes in aſtutia conſiliorum ſuorum comprehendit, quando nimirum ea pro ſanctæ ſuæ voluntatis complemento adhibet, quibus ille eidem ſe aduerſari poſſe exiſtimabant: quemadmodum in fratribus Patriarchæ Ioſeph apparet, qui myſterioſum illud ſomnium quod is habuerat impedituri dicebant, vendamus illum Iſmahelitis, ne eum adorare cogamur. *Ideo ab
eis venditus fuerat Ioſeph ne adoraretur, ſed ideo eſt adoratus* *Gen. 37.*
quia venditus, inquit D. Gregor. Qui etiam ad eundem lo- *Gregor.*
cum exemplum iſtud in hodierno Euangelio contentum *ſup.*
reuocat. Occidamus eum inquiunt Phariſæi, & Principes ſacerdotum, *quia ecce mundus totus poſt ipſum vadit:* Reſecemus hoc caput, ne membra ab eo dependentia amplius vitam habeant. Itane vero? vos ergo, inquit Deus, caput Eccleſiæ meæ amputare vultis, ne de cætero poſt

filium

filium meum vadat? amputate ſane, ego enim faciam, vt ſanguis qui ex reſecto iugulo promanabit, glutinis loco ſit, quo membra longè quam antè fortius cum capite ſuo committantur. Permitte proinde ô Chriſtiane homo, vt diuina ſapientia te gubernet, patere te à Deo regi, ſine te ab illius voluntate flecti ac moderari: Etſi enim negotia tibi quandoque tua deplorata eſſe videantur, cogita tantùm Deo ſapientiæ potentiæque eſſe, ea vt etiam per contraria media feliciter ad finem ſuum poſſit perducere. Optimus autem modus quidlibet à Deo impetrandi eſt, in ſola illius maieſtate omnes ſpes ſuas collocare.

Diuina prouidētia noſtra permittamus.

Si dimittimus eum ſic, venient Romani, & tollent, &c. Faxit Deus auditores, ne vnquam iſtiuſmodi cætus, & concilia celebremus, in quibus potius priuatæ vtilitatis, quam publici boni rationem habuiſſe videamur. Vt enim eo quo propriæ vtilitatis ſpe rapiuntur, perueniant, videbis Iudæos iſtos Rempublicam prodere, & ne bonum ad quod aſpirant perdant ſententiam contra Seruatorem noſtrum pronuntiare. Iſtiuſmodi autem hominum conſilia Samſonis illis vulpibus non abſimiles ſunt, quæ caudis colligatæ, ignem ſegeti Philiſtinorum intulerunt, *Cepit trecentas vulpes*, inquit Scriptura, *caudaſque earum iunxit ad caudas, & faces ligauit in medio, quas igne ſuccendens dimiſit, vt huc illucque diſcurrerent.* Quo facto vniuerſa hoſtium ſeges conflagrauit. Cuius tu infortunij quam amabò aliam cauſam fuiſſe putas; niſi quia vulpes caudis colligatæ, & capita libera habentes, in diuerſia rapiebantur, dum quælibet ad ſuum antrum properaret, hæcque in hanc, iſta in illam partem transfugeret, omnibus interim quaquauerſum agris igne collucentibus. Ita cum in Republica aut ſenatu aliquo conſiliariorum cogitationes, ad vnum eundemque finem non collimant, qui bonum commune eſſe debet, ſed dum quilibet priuati commodi rationem habet; iunguntur certè, & vniuntur caudis, id eſt corporibus: capitibus autem, id eſt, ingenijs diuiduntur. Quin ſicuti auaritiæ ignem, qui eos perpetuo depaſcitur, ſecum circumferunt, & quemlibet alium ad id quod proprium commodū ſpectat, pertrahere conantur; inde conſequitur, quod vnuſquiſq; domeſticum peculium reſpiciens, publicæ ſa-

Conſilia priuata Rēp. inſtar vulpiū Sāpſonis intendunt. Iud. 15.

cæ ſa-

tæ ſalutis obliuiſcitur, & omnia poſſum ire ſuſque deque fert. Cui horrea, & granaria plena ſunt, hic ſanè vellet maiore pretio frumentum vendi: cui magna vini copia eſt, is carius illud venire optaret. Hic cōditionem aliquam pro nepote ſuo venatur, nunquam interim cogitans vtrum is ea dignus ſit. Alius pro filio ſuo dignitati alicui inſidiatur, non cogitans ante, vtrum is quæ ad id muneris requiruntur, præſtare poſſit. Quæ cum ita ſint, & gerantur, omnia certè peſſum ire neceſſe eſt, dū videlicet iuxta D. Paulum, *omnia quærunt quæ ſua ſunt, non quæ Ieſu Chriſti*. At que ex hoc nunc loco Eccleſiaſt. illud intelligetis: *à conſiliario ſerua animam tuam, prius ſcito quæ ſit illius neceſſitas*. Explora, inquit, qua cauſa impellente, vel ad quem finem, conſilia, quæ tibi ſuggeruntur, colliment; Si enim conſiliarium intelligas propriam ſuam vtilitatem ſpectare, protinus illum à te amolire, illiuſque dicto obtemperare noli. Ita Moyſes cum ab Ietrone conſilium accepiſſet ad commodius cauſis, & litibus vacandum aſſeſſores deligendos eſſe, quatuor inter cætera, quibus conſiliarios ſeu aſſeſſores illos affectos eſſe volebat, obſeruauit. Nimirum vt ſapientes, vt timorati, vt veritatis amatores, & denique vt auaritiæ hoſtes eſſent, quam quiſquis non eiurat ab eo tu conſilia bona, & ſalutaria expectare noli. *Optimus conſiliarius*. dicebat Titus Aemilius apud Dyoniſium Halicarnaſſæum, *qui ſententiam ſuam non ad gratiam, aut ad priuatas inimicitias, ſed ad communem vtilitatem refert*. Hoc ſi Euangelici noſtri conſiliarij melius aliquanto conſideraiuſſent, nunquam equidem ſcio in tam verum facinus prolapſi fuiſſent. Quilibet autem priuatum bonum ſpectabat, atque dicebat; ſi Romani venientes videant vniuerſum populum poſt hunc nouum Prophetam currere, bonis nos noſtris exuent, officijs priuabunt, & peſſimis modis affectum ibunt. Conſiderate iam nunc vtrum non optimo iure vulpibus beſtijs aſtutiſſimis eos compararim, ſiquidem ipſas illas ſuas priuatum peculium ſpectantes cogitationes zelo boni communis tegere, ac illius affectu inuoluere conabantur, dicentes totius ſe populi miſereri. Eſt enim hoc admodum auaris proprium, vitia vt ſua publici boni zelo inducere ac cohoneſtare ſatagant. Cuius rei etſi innumera paſſim exempla in ſcripturis ſa-

Phil. 2.

Cap. 37.

Exo. 18.

Lib. 10. ſuæ Bibliothecæ.

Auari freqūēter ſuo malo

Bonū cō-munepra tendunt. cris inuenire liceat, mihi tamen admirabilius nullum eſſe videtur, quam id quod in Actis Apoſtolorum reperitur. Narrat ibi S. Lucas in Macedoniæ quadam vrbe, filiam à
Cap. 16. Diabolo obſeſſam fuiſſe, ex qua illius heri fructum non mediocrem percipiebant. D. Paulus, & Silas eo loci deuenientes, illamque in publico loco reperientes, compaſſione moti Diabolum qui miſerrime mulierem affligebat, ex diuturna ſua poſſeſſione, eiecerunt. Hoc cum heri, & magiſtri puellæ conſpexiſſent, cogitarentque quemadmodum *exiuit ſpes quæſtus eorum*, D Paulum & Silam magiſtratui ſtiterunt, dicentes: *Hi homines conturbant ciuitatem noſtram:* cum reuera perditi illi ac profligati, nihilminus quam publicum bonum cogitarent, ac ſuæ tantum vtilitatis ſibi ſpem reſecatam amputatamque dolerent. Eodem planè modo Phariſæi noſtri Euangelici bonorum ſuorum aliquam iacturam metuentes, timorem hunc ſuum publicæ vtilitatis zelo palliabant, grauiſſima quæque à Romanis populo expectanda eſſe dicentes, niſi
Incidit in Scillā cupiēs vitare charibdim. quam maturrime filium Dei de medio ſuſtuliſſent. Quin poſtquam hanc ſeipſos conſeruandi rationem & miſeriam quam timebant fugiendi modum ſortiti, nunquid non egregiè fruſtrati ſunt? nunquid ſpe ſua non exciderunt? opinor ſanè quippe cum hoc eorum conſilium in grauiſſima planè ipſos mala coniecerit, & ſapientis illud
Prou. 10 ijs euenerit, *quod timet impius veniet ſuper eum.* Et illud D.
Iob c. 6. Iob, *qui timent pruinam, irruet ſuper eos nix:* volentis indicare, malum illud quod impius timet, duplicatum illi iri. Ita Iudæi noſtri detrimentum aliquod in rebus temporalibus metuebant, quod tamen ipſum leue, & ad inſtar pruinæ tranſitorium fuiſſet. Cum ecce hoc malum euitaturi Ieſum Chriſtum Dei filium occidere conſtituunt, ve-
In c. 11. *Ioan.* rum Deus facinus iſtud vindicaturus, eos in manus Romanorum cadere permiſit, & vt non tantum tributarij eorum efficerentur, quod metuebant, ſed vt etiam animarum ſuarum iacturam paterentur, conceſſit. Hoc ſenſu Rubertus Ieremiæ illa verba quæ hoc tempore multo-
Cap. 17. ties ab Eccleſia recitantur, exponit: *Confundantur, qui me perſequuntur, & non confundar ego, paueant illi & non paueā ego, induc ſuper eos diem afflictionis, & duplici contritione contere eos.* Non eſt hæc maledictio inquit Rubertus. Sed Prophetia

phetia illorum,quæ impijs Iudæis euentura erant. Eandē enim ærumnarum ac miſeriarum vim, quam in Ieſum Chriſtum Dei filium congerere moliebantur, eandem dico ipſi paſſi ſunt; quando videlicet à duobus Imperatoribus, Tito & Veſpaſiano grauiſſimo bello afflicti, conſpirationem illam *aduerſus Dominum, & aduerſus Chriſtum eius*, quemadmodum Regius Propheta Dauid inquit, iuſtiſſimè planè luerunt. *Pſal.2.* Et permiſit diuina iuſtitia Iudæorū illam Metropolim Hieruſalem à Romanis funditus deleri, eius ciues & inquillinos triginta numero vno argenteo vendi, quemadmodum ipſi Redemptorem noſtrum triginta argenteis vendiderant, permiſit inquam bonis pariter, & honoris inſignibus eos ſpoliari. Quæ tamen omnia leuia adhuc fuiſſent, ſi in infidelitate ſua, quemadmodum prædictum ijs erat: *in peccatis veſtris moriemini*, non omninò miſerrime perijſſent. *Ioan. 8.* Atque hic finis omnium propè illorum eſt, qui priuati boni cauſa Diuinam maieſtatem offendere non verentur. Caueant proinde ſibi, quotquot Chriſtiani eſſe audireque volunt, ne quid illiciti medij ad finem ſuum commodius attingendum ſuſcipiant: Vero enim uerius eſt, quod Spiritus Sanctus ait: *Qui mittit in altum lapidem, ſuper caput eius cadet*: & nos nunquid etiam dicimus, qui contra cœlum ſpuit, ſinu ſputum recipit? *Nō ſunt facienda mala vt eueniant bona.* *Eccl.27.*

Vnus autem ex ipſis Caiphas nomine, cum eſſet Pontifex, &c. dixit. *vos neſcitis quicquam, nec cogitatis, quia expedit vobis, vt vnus homo moriatur pro populo, & non tota gens pereat.* Hæc Caiphæ verba ſunt, quorum vim & energiam accuratius vt intelligamus, preſupponendum ante fuerit, Pontificem cum ea pronunciaturus eſſet, à Spiritu Sancto & Diabolo pariter fuiſſe afflatum, altero intenſionem, altero vero linguam ipſius moderante. *Caiphas ſimul à diabolo, & S. Spiritu afflatus.* Diabolus ei autor erat, vt Ieſum Chriſtum condemnaret. Spiritus Sanctus illi inſpirabat verba hęc pronuntiare, quibus oſtenderet Seruatorem noſtrum non ob delictum aut peccatum aliquod, ſed propter publicæ ſalutis cauſam eſſe moriturum. Vnde manifeſtè colligere eſt, omnes iſtos peruerſos Iudices, tametſi animas, & voluntates, vt qui maximè corruptas haberent, cū de ſententiæ pronunciatione ageretur, crimen planè nullum, aut illius ſuſpicionem Seruatori noſtro potuiſſe adfricare. Hinc Pontif. ait, condemnare ſe Chriſtum, ſed nō ob

factum aut delictum aliquod, Spiritu S. videlicet linguam illius gubernante: adeo vt ipſa hæc verba manifeſtè ſignificent, Seruatorem noſtrum mortem publici tantum boni cauſâ oppetiuiſſe. *Ne tota gens pereat.* His autem ita præſuppoſitis verba ipſa myſterijs referta, accuratius al quanto

Explicatur prophetia Caiphæ. examinemus. *Expedit vobis;* vbi vide Spiritum S. vocē hanc *vobis* illi indidiſſe, vt clare demonſtraret quid Pōtifex intenderet, & quomodo ſi quod dicebat intellexiſſet nunquā equidem verba iſta protuliſſet: *expedit vobis.* Admodum.n. laconice hoc loqui erat, & verbis pauciſſimis sēſus grauiſſimos, & myſteria plurima complecti. *Parum eſt*, dicebat Deus Pater, filium ſuum vnigenitum apud Iſaiā alloquēs,

Iſaiæ 49 verſ. 6. *vt ſis mihi ſeruus, ad ſuſcitandas tribus Iacob, & faces Iſrael conuertendas Ecce dedite in lucem gentium, vt ſis ſalus mea, vſq; ad extremum terræ.* Quo ita poſito; quemadmodum Deus Pater dixit, clarū manifeſtumq; eſt, Caipham laconice locutum fuiſſe, cum diceret: *Expedit vobis*, demonſtrans, temporalis ſe tantum boni rationem habere, quod ijs qui præſentes erant fauebat. Si n. recte ſenſum verborum intellexiſſet, non dixiſſet vobis tantum expedit, ſed omnibus ijs qui ſunt, erunt ac futuri ſunt. Imò ipſe Euangeliſta demōſtraturus nimis breuem eum fuiſſe adiungit: *Prophetauit quod Ieſus moriturus erat pro gente, & non tantum pro gente, ſed*

Mors Chriſti omnibus fuit neceſſaria. *vt filios Dei qui erant diſperſi congregaret in vnum.* Non debebat ergo Caiphas dicere *expedit vobis*, ſed, expedit omnibus Mors.n. IESV Chriſti omnibus neceſſaria erat, hoc eſt cœlo, terræ addo etiam inferno: Hominibus, Angelis, imò ipſi Deo. Deo inquam, vt conſilium ab omni æternitate initum ſententiaque ſemel in Sacroſanct. Trinit. conſiſtorio lata, opere ipſo adimpleretur. Quod ſi factum non fuiſſet: æterna illa æterni Patris conſilia pro falſis ac vanis haberi potuiſſent. Mortem autem filij Dei in cœlo decre-

Actor. 4. tam fuiſſe D. Petrus Apoſtolus in Actis manifeſtè oſtendit, quemadmodum proxima feria ſexta fuſius ac vberius ibimus declaratum Decreto autem illo in cæleſti cōſiſtorio ita lato, dubitari planè non poteſt, quam maximè expediuiſſe, pro ipſo Deo creatore, filium illius mori, vt illius ſententia ac conſtitutio, ab ipſo opere, & facto, vim, autoritatemq; conſequeretur. Cum.n. Deus ipſa veritas ſit, erat planè impoſſibile, vt quod in Scriptura ſacra reuelatū fuit,

ali-

aliquando non adimpleretur. Expediebat deinde etiã Angelis, vt videlicet eorum ruina hominum ſucceſſu reſtauraretur quod planè vt fieret, ac Ieſus Chriſtus non moreretur, Adynaton fuit. Quod ſi mors Redemptoris noſtri ob cauſas modo dictas Deo, & Angelis expediebat, optimè dixiſſe videor, cœlo illam fuiſſe neceſſariam. De terra autem quid dicam, quæ illa tantopere opus habebat? Certè quod Patrifamilias conuenit ipſi etiam domui conuenire debet. At fuitne aliquid in rerum natura aliquãdo, melius quod homini, quam mors Ieſu Chriſti conueniebat? Illius ſanguis pacem, & concordiam inter Deum ac hominem erat facturus; vnde D. Paulus ait: *In ipſo complacuit omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliare omnia in ipſũ, pacificans per ſanguinem crucis eius. ſiue qua in terris, ſiue qua in cælis ſunt*. Si autem tanti referebat hominem cum Deo reconciliari, idq; nonniſi per mortem vnigeniti illius filij accidere poterat, expediebat ſanè homini Deum mori, & per conſequens ipſi terræ conueniebat. Quin, & inferno id expediuiſſe dicendum eſt; nã Seruator noſter, ſpiritum in ligno crucis reddẽs ad ſubterranea illa inferorum loca deſcenſurus, & ſanctorum inde Patrum animas protracturus erat, quo videlicet Zachariæ illud adimpleretur: *Tu autem in ſanguine Teſtamenti tui eduxiſti vinctos tuos de lacu in quo non eſt aqua*. Si autem mors Ieſu Chriſti cælo, terrę, inferis, Deo, Angelis ac hominibus cõueniebat, patet ſane Caipham breuiter nimium animi ſui ſenſa expreſſiſſe, cũ diceret: *expedit vobis*, dicendum namq; erat, *expedit omnibus vt vnus homo moriatur*. Vbi obſecro loquendi modum Spirit. S. admodum familiarem obſeruate, & non pauca maximaq; myſteria illi ſubeſſe inuenietis. Incipiamus aũt à voce *vnus* quæ mihi hoc loco non adiectiua, ſed ſubſtantiua eſſe videtur, cum præſertim ipſe interpres, & autor vulgatæ latinæ verſionis, græcum textũ ſecutus nõ fuerit, qui ait: *Expedit vobis vt vnus homo moriatur pro populo*, ſed ſeparauit *vnus* ab *homo*, ac medio loco *moriatur*, cõſtituit, quo facilius hic nobis ſenſus remaneret: neceſſe eſt hominem, qui vnicus eſt, mori, ne vniuerſi pereant. Quod ſi quæratis, quiſnam ille vnicus ſit, dico ſolum Deum eſſe, cui conuenit (abſolute, & Philoſophice loquendo) vnum eſſe; ſiquidem ſecundum omnium doctorum opinionem, id quod vnum

Coloſſ. 1. verſ. 19.

Cap. 9.

Vox vnus hic ſubſtantiue accipitur.

Cur Chriſtus dicatur vnicus.

eſt,etiam indiuiſibile,& conſequenter actus puriſſimus ac ſimpliciſſimus eſſe debet. Id autem nulli creaturarum etiam ſpiritualium poteſt accidere. Omnes enim Creaturæ diuiſibiles ſunt, quia nimirum, (vt vel Metaphyſice rem confirmem) ex genere, & differentia componuntur. Vnde conſequitur vnum eſſe ſoli Deo conuenire, atque hoc

Cap 6. ſenſu Deuteronomij illa verba interpretari poſſumus: *Audi Iſrael Dominus Deus noſter, Deus vnus eſt*, non modo quia præter eum alius Deus non eſt, ſed quia is tantum vnus ſimpliciſſimus, ac indiuiſibilis poteſt appellari: ſoli Deo proprietatibus iſtis conuenientibus. Quin,& D. Paulus ſæpenumero hunc loquendi modum vſurpat, vt cum

1.Ti. 2. ait, *vnus Mediator Dei, & hominum, homo Chriſtus Ieſus*; vbi vocem *vnus* à termino *homo* ſeiungit, Euangeliſtam no-

2.Cor.5. ſtrũ in eo imitatus. Et alibi inquit: *Si vnus pro omnibus mortuus eſt*. Maneat proinde verborum iſtorum, *expedit vt vnus moriatur*. hunc ſenſũ eſſe: expedit vt is qui vnus eſt, Deus videlicet, moriatur, ne vniuerſus populus intereat, id autẽ quo pacto fieri poterit? Deus eſt æternus, infinitus, immortalis, impaſſibilis, & conſequenter mori non poteſt. Afflictio tabernaculũ illius accedere non audet, infirmitas eius domum non ingreditur, quodlibet malorum genus eũ perhorreſcit, ærũna timet, infirmitas metuit, mors auerſatur.

Quomodo hic vnus pro nobis mori potuerit.

Quomodo ergo Deus qui vnus eſt, mortem, & ante illam tot tormẽta poterit tolerare? Audite Chriſtiani quid Deus propter vos fecerit, & quomodo illius Diuina miſericordia te ſaluatura, quaslibet difficultates ſuperarit. Ferũt profanæ hiſtoriæ, impium illum Neronẽ, cum immaniſſimas beſtias obiectos ſibi ſanctos martyres accedere non audere conſpiceret, Diabolica inuentione vtẽdum ſibi eſſe exiſtimauit. Cum.n. ſanctorum aliqui ad eas condemnandi eſſent, diebus aliquot ante veruecina illas carne iuſſit ſaginari, ipſoſque poſtea ſanctos martyres veruecinis pellibus cooperiri, vt beſtiæ carnis cui aſſueuerant ſpe illectæ, quos alias auſi non fuiſſent, iam audacter, & crudeliter adorirẽtur. Idem planè Deus noſtræ ſalutis auidus vnigenito ſuo filio ac Redemptori noſtro feciſſe videtur. Videns.n. creaturas in Dei forma illum inuaſuras non eſſe, & per conſequens in propria ſua natura nõ moriturum, videamus, inquit quæ natura pęnis, tormentis, ac morti perpetiendæ

aptiſ-

aptiſſima ſit. Et cui omninò iſtiuſmodi conueniunt, ſi homini non conueniunt? Age ergo veſtiatur filius meus habitu & forma hominis, vt quia in propria ſua forma pati non poteſt, in aliena ſaltem id faciat. Habes hic ad oculum modum, & rationem per quã Seruator noſter ac Deus hominẽ aſſumpſit: Vt i.n. martyres veruecum pellibus inſtrati, veri homines erant, tametſi aliud eſſe viderẽtur, propter tegmen videlicet: ita Seruator noſter, veram hominis naturam induit, tametſi externas tantum peccatoris apparẽtias haberet. Atq; hoc nobis S. Paulus oſtendere voluit, cum diceret: *In ſimilitudinem carnis peccati:* & alibi: *Pro ſimilitudine abſq; peccato.* Nunc ſententiæ huius verba adiungamus, & quodnam myſterium ſub ijs lateat confeſtim intelligetis, *Expedit vobis*, inquit Caiphas, vt vnus moriatur, qui quia vnus eſt, & in propria ſua natura mori non poteſt, reſtat vt in humana mori debeat. Quibus ita explicatis, quis non conſtituat Spiritus S opus fuiſſe, vt Iudaicus Pontifex tam pauculis verbis, tam multa, & tam mirabilia myſteria complecteretur? Rom. 8. verſ. 3. Heb. 4. verſ. 14.

Ab illo ergo die cogitauerunt vt interficerent eum: Cum.n. Caiphæ ſententiam audiuiſſent, hanc confeſtim cornutam conſequentiam extruebant. Expedit nobis vt vnus homo moriatur, ne tota gens pereat, ergo expedit, ac neceſſarium eſt, illi vt nos vitam eripiamus. O ſtuporem, ô amentiam! An ergo non intelligitis, ante vos conſiderare oportere, vtrum id facere liceat, vel vtrum nõ liceat? *Non ſunt facienda mala vt eueniant bona*, inquit S. Paulus Apoſtolus: Et quamuis apud omne Philoſophorum vulgus admodum trita, & vulgata ſententia ſit, categorias actionis, & paſſionis, neceſſario debere eſſe coniunctas: Impoſſibile enim eſt rem aliquam pati, niſi alia detur quæ agat: Non tamen ſequitur ſi paſſio bona ſit, actionem etiam bonam eſſe oportere *Oportet hæreſes eſſe*, inquit S. Paulus, vt videlicet Dei ſerui tanquam aurum in igne examinentur: non ſequitur autem ideo hæreſes excogitandas, aut quæ iam excogitatæ ſunt amplexandas eſſe. Dubium non eſt expedire vt Eccleſia Dei martyres habeat, & pro amore Dei pati, rem omninò Sanctiſſimam eſſe. Cruciare autem Martyres vt coronam illos manẽtem indepiſcantur, id vero neq; bonum eſt, neque vllo modo debet tolerari. *Neceſſe eſt vt veniant* Rom. 3. verſ. 8. 1. Co. 11

Mat. 18 *ſcandala*, dicebat Ieſus Chriſtus, *veruntamen væ homini illi per quem ſcandalum venit.* Eodem modo ac ſenſu de paſſione Dominica loquendum eſt: Nihil ab orbe condito Deo gratius fuit, quam filij ſui paſſio; nihilque etiam magis abominabile, quam actio, ex qua paſſio illa dependebat. Mors Dominica hominibus ſalutaris fuit, occidere autem Seruatorem noſtrum, peccatũ grauiſſimum, & maximorũ malorum cauſa. Paſſio Ieſu Chriſti, conſtitutio, & decretũ cœleſte fuit, actio autem quæ illam cauſauit, humanæ malitiæ ſignum fuit, & argumentum. Hinc in eo ipſo loco quem pro S. Petro ex actibus Apoſtolorũ indigitaui, paſſio decreto Diuino, actio autem malitiæ humanæ adſcribitur. Congregati fuerunt, inquit Apoſtolus, in ciuitate Hieruſalem, *facere quæ manus tua, & conſilium tuum decreuerunt fieri.* Vbi oſtendit Dei decretum fuiſſe, potentemque ipſius manum determinauiſſe, filius vt ſuus mortem oppeteret. Ad executionem autem quod attinet, Iudæi ſuapte ſponte decreto illi aſſenſerunt, congregante illos propria malitia, ac impellente innocẽtem Ieſum Chriſtum morti adiudicare. Permiſit ergo Deus vnum, & determinauit alterum, vtrumque enim ad noſtram ſalutem neceſſarium erat, vt nimirum Deus determinaret quod ſimpliciter bonũ erat, & permitteret quod extremè malum fuit. Atq; ex hoc potiſſimum puncto diſcere intelligereq; poſſumus, quam immenſe nos Deus amauerit, ſiquidem id quod chariſſimum habebat, puta vnigenitum ſuum Filium, crudeliſſimę morti ſubijcere non dubitauit, iubens, & ordinans, vt pro ſatisfactione noſtrorum peccatorum moreretur, manumq; ſuam ab hominibus auertens, ea illum cæderet vitaq; priuaret. Conſiderauit hoc D. Gregorius cum diceret: *O ineffabilis dilectio Charitatis, vt ſeruum redimeres filium tradidiſti?* Noſter autem Euangeliſta hiſtoriam ſuam concludit, dicens, ab eo tẽpore quo ſententia iſthæc prolata fuit, Seruatorem noſtrum in ciuitatem Ephrem iuxta deſertum ſe recepiſſe, atque in tempus à iuſtitia diuina præſtitutum ſe reſeruare voluiſſe. Et quoniam Seruator noſter his diebus Patri ſuo pro peccatis noſtris ſatisfacturus in deſertũ conſugit, conueniens ſane eſt, idem vt nos faciamus, & ſaltem per contemplationem ſocium illi nos addamus. Recordamini proinde Auditores vel ad confuſionem veſtram fortis ac

Decretũ Dei bonum hominũ malitia exequitur. *Cap. 4.*

Bonum decernit, malum permittit

Dei erga nos ſummus amor.

Chriſtũ in deſertum abeuntẽ comitaride bemus.

tis ac ſtrenui illius militis Vriæ, cui cum à Rege Dauide imperatum eſſet vt ſe in domum ſuam reciperet, ac in lecto decumberet, reſpondit: *Arca Dei & Iſrael & Iuda habitabant in papilionibus, & Dominus meus Ioab, & ſerui Domini mei ſuper faciem terræ manent; & ergo ingrediar domum meam, vt comedam & bibam & dormiam cum vxore mea?* O inſignem animum fortis ac bellicoſi militis! O non verba tantum illuſtria, ſed rem etiam dictis ac verbis reſpondentem! Refert enim ſcriptura cum tota illa nocte ad pallatij Regij portas excubaſſe, hoc eſt, aut in terra iacuiſſe, aut haſtæ innixũ dormiendo vigilauiſſe, ac vigilando dormiuiſſe. Non erubeſcat ergo Chriſtianus homo, ſi in hoc ſanctiſſimo tempore parẽ deuotionem non exerceat, vidẽs veram Arcam Dei, quæ eſt Seruator noſter, in deſertum Ephrem ſe recepiſſe. Quod ſi diabolus ad malum peccatumq; aliquod vos inuitet, reſpondete ei alacriter cũ Vria & dicite: Capitaneus meus Ieſus Chriſtus pro peccatis meis ſatisfacturus, in campo excubat, in deſerto latet, & tegmen nõ habet, à Iudæis enim ad mortem perquiritur, & quomodo ego voluptatib. & mundi huius delectationibus inſeruiam? Abſit, abſit. At nolite hoc contenti eſſe Auditores mei, ſed conijcite vos in aliquem domus veſtræ aut Eccleſiæ angulum, aſſotiate vos Seruatori noſtro, & precando ac meditando cum illo conuerſamini. Cogitate paulisper, & cogitate ſemel ac iterum, in quo ſtatu illius ſancta anima fuerit, cum ab hominibus quos tantopere amabat, ad mortem ſe quæri conſpicaretur. O Domine, poteſtis dicere, quænam ſolitudo iſta eſt? quantis doloribus anima tua affligitur, dubium ſane nõ eſt, inſolentias meas ab hominum te conuerſatione elongauiſſe, peccata mea in campum te eieciſſe, delictaq; mea grauiſſima in deſertum iſtud retruſiſſe, aſſume me tibi ſocium, tametſi indignum: alloquere in hac ſolitudine animam meam, quo ex mundo ad te transfugiat, & quoniam peccata hominum ita male & miſere te tractant, ne permitte, obſecro, vt ſæpius te offendam: fac vt peccata deteſter, erga virtutum exercitia afficiar, gratia tua inſtruat, vt ita qui iam nunc dolorum ſocius tibi ſum, de gloria aliquando tua etiam communicare merear, *quam mihi & vobis, &c.*

2. Reg. 11.

Quid in ſolitudine cum Chriſto meditandum ſit.

CON-

CONCIO TRIGESIMANONA PRO SABBATO POST DOMINICAM IVDICA.

Cogitauerunt Principes Sacerdotum ut & Lazarum interficerent. Ioan. 12.

Quam grauiter peccẽ qui ex malitia peccant. *Hom.* 41. *operis im perfecti.*

VErba illa quibus S. Ioannes Chryſ. peruerſorum ſceleratorumq; hominum naturam deſcribit, elegantiſſima & conſideratione digniſſima mihi eſſe videntur: *Omnis quidem malitia confunditur aliquãdo ratione veritatis, corrigitur autem nunquam, maximè eorum qui propoſito malo, & non ignorantia peccant*; Adeo videlicet, mẽs ita flagitijs obſita nulla eſt, quæ non aliquando à veritate confundatur: Veritas ſiquidem illa, (dicebat Regis Darij familiaris quiſpiam) rerum planè omnium fortiſſima, potentiſſimaque eſt. Ita Saul Dauidis bonitate explorata ab illa conuictus eſt. Et Nero audiens de ciue quodam Romano cui male volebat malum dici, etſi improbus ac improborum improbiſſimus tamen reſpondit; *Vtinam eſſet tam amicis quam bonus.* Cogebat enim veritas inimici ſui virtutem illum agnoſcere, vt propria ſua malitia confunderetur, ſiquidem ciuem illum virtute præditum eſſe intelligẽs, nihilominus amare eum non volebat. Vnde præclare liquet D. Chryſoſtomum à veritate non aberrauiſſe, cum diceret hominem peruerſum ita non reperiri, quin aliquando à veritate cõuictus confundatur. *Corrigitur verò nunquam*, hoc eſt, confuſio illa nunquam tam efficax eſt, eos vt à male agẽdi inſtituto abſtineat, & ad meliora ſanioraque conſilia traducat. Ita Saul Dauidis innocentiam & agnoſcebat et ſuſpiciebat, ſed nihilominus illum perſequebatur, quod videlicet improbi, adeo pertinaciter malo ſuo adhereſsũt, vt etiam à ratione conuicti & confuſi, ab illo ſe abſtinere

Veritas ab huius aliquã- do expri mitur.

3. *Eſd.* 3.

1. *Reg.* 24.

Nũquã tamen vita emẽ datio.

non

non poſſint. Atque hoc ex ijs intelligitur, qui propoſito malo &c. non ignorantia peccant: Qui enim ignoranter peccat, vbi veritatem agnoſcit, peccatum deſerit, quemadmodum S. Paulus fecit, qui ſe Deum grauiter offendiſſe teſtatur, addens id per ignorantiam factum fuiſſe. Hinc à Deo illuminatus errorem ſuum confeſtim reliquit, &c. vocem voluntatemque Diuinam eſſe ſecutus. Fecit idem plane S. Auguſtinus, & complures alij. Peruerſorum autẽ malitia aquæ cum magno impetu, & in quadam furia prçterlabenti aſſimilatur: Quæ in vno loco retenta, in altero erumpit, hic præpedita, illic obices peruadit atque perrũpit. Videtur autem etiam Auditor. D. noſter Chryſ. verbis illi ſui Principum Sacerdotũ de quibus in noſtrũ Euãgelium ſermo eſt, malitiam ad viuum repræſentare voluiſſe. Ferebantur enim illorum maledictæ paſſiones tanto cum impetu ac violentia, ipſum vt Dei filium diffamare non verentur prout ex verbis à Seruatore noſtro ijs dictis colligere facillimum eſt. *1. Tim. 1.*

Vos ex Patre Diabolo eſtis, & deſideria Patris veſtri vultis adimplere. Quod ſi hoc loco quæritis, quænam Diaboli voluntas ſit, reſpondebit vobis S. Bernardus, Dei Filio æqualem fieri velle, ſanctam illius humanitatem vſurpare nolle, ac vt vno verbo dicam, illius ſedem & honorẽ vſurpare. Hanc autem cum ipſe voluntatem adimplere non poſſet, adfuerunt confeſtim Iudæi, qui vt ſuam apud populũ exiſtimationem conſeruarent. Ieſum Chriſtum diffamare non dubitauerunt. Vnde etſi admirabili omninò vi ac poteſtate illius doctrina ad Iudæorum malitiam coercendã polluerit, parum tamen imò nihil effectum eſt, aduerſarijs quæ ſibi dicebantur omnia calumniantibus. Fecerat ille non pauca miracula ad eorum perueſitatem & malitiam confundendam, cum ecce tibi omnium illorum euidentiſſimum, Lazari videlicet reſuſcitationem calumniari nõ valentes, videnteſq; interim immanem hominum multitudinem eo illectam certatim illum ambire, Lazarum reſuſcitatum occidere decreuerũnt, vt ita teſte virtutis Dominicæ ſublato, ipſe Redemptor noſter, facilius diffamaretur: plane ac ſi non æque vt antea ad vitam illum reuocare, reſuſcitareq; poſſet: *O ſtulta cogitatio, & cæca ſæuitia*, inquit S. Auguſtinus. *Dominus Chriſtus qui ſuſcitare potuit in fine.* *Ioan. 8.* *Quæ ſit voluntas Diaboli.* *Serm. de Aduētu.* *Obſtinata Iudæorum malitia.* *Et cæca ſæuitia.* *Tract. 50. ſuper. Ioa.*

mor-

mortuum, non potuiſſet occiſum? quando Lazaro inferebatis necem, nunquid auferebatis Domino poteſtatē? Hic certe ad maiorem veſtrā confuſionē, vti Lazarūm morte naturali defunctū reſuſcitauit, ita morte, violēta, eūdē à vo. is ſublatū, cur non in vitam poſſet reuocare? & reuocabit cer.è, ac ſeipſum etiā reſuſcitabit, non quidē bono veſt o ſe ad illius potentiam confirmandam Vero enim verius eſt quod D. Chriſ. dixit: *Confunditur aliquoties ratione veritatis, corrigitur autem nunquam* Huius nos rei exēplum quod in hodierno Euāgelio eſt, accuratius examinemus, & ipsā hiſtoriam aliquid ex ea emolumenti precepturi accedamus.

Cogitauerunt vt & Lazarum interficerent Ecce vobis Auditores quo peccata homines deducant, niſi in principio ſtatim ijs obueniatur. Cumulantur videlicet, & coaceruātur illa, donec in tale cænum immergant, ex quo ſe poſtea nunquam expedire, emergereque poſſint. Quod quidem Deus ideo accidere & ijs euenire permittit, quia male agē di inſtitutum immutare nunquam ſatagunt. Veteres Philoſophi cognouerunt Deum, inquit S. Paulus, non autem voluerunt illum adorare, *ſed euanuerunt in cogitationibus ſuis. Vnde obſcuratum eſt inſipiens cor eorum*, priuatosque naturalis rationis lumine, tradidit illos DEVS in deſideria cordis eorum, à quibus poſtea in mille præcipitia acti, horrenda flagitia deſignare non dubitauerunt, quorum vel ſola mentio aures ac animos audientium poſſit ſcandalizare. Et videtur mihi ſane Dauidica illa Prophetia, contra Hieroſolymorum hoſtem pronunciata in ijs fuiſſe adimpleta, *Deus meus*, inquit ille, *pone illos vt rotam, & ſicut ſtipulam ante faciem venti, ſicut ignis qui comburit ſyluam, & ſicut flamma comburens montes*. O infelices illas animas, & ad inſtar rotarum inconſtantes, quæ poſtquam in hoc loco impegerunt, in alio quoque corruunt: Quæ ad inſtar paleæ à quolibet tentationum vento ſe eleuari patiuntur: quæ adeo damnum ſuum agnoſcere non poſſunt, ipſa vt peccandi conſuetudo deſiderium illis malefaciendi augeat, quemadmodum Ethnicis illis contigit de quibus Apoſtolus dicit: *qui deſperantes ſemetipſos tradiderunt impudicitiæ in operationem immūditiæ omnis, in auaritiam.* Vbi ex verbis illis *in auaritiam* D. Hieronimus hanc ſimilitudinem elicit dicens: ſicut auarus bonorum acquiſi-

Qui peccati initijs non reſiſtit in grauiora prolabetur.

Rom. 1.

Pſal. 82.

Epheſ. 4. verſ. 16.

acquiſitorum precio deſideria plus habendi, alit ac fouet, ita peccata, quæ improbi deſignant, deſiderium offendendi ijs auget: quaſi non peccata, ſed theſaurum aliquem ſint accumulaturi. Et accumulant ſane illi & theſaurizant, non id quod volunt, ſed quod D. Paulus dicit, puta iram diuinam: *Secundum duritiam tuam, & impœnitens cor theſaurizas tibi iram*. Vnde vel ex hoc loco intelligere cæterum poteritis, quare Scriptura ſacra, peccatum ebrietatem appellet. Vti enim vinum ſtomachum & caput inebriati calefaciens ſitim illi auget, vt quo plus bibit, hoc amplius ſitiat: ita peccatum quo ſæpius committitur, hoc frequentius vt deſignari poſſit occaſio quæritur. Spiritus ſanctus in prouerbiorum libro peccatorem nobis deſcribit, qui ebrio nautæ altum nauiganti, neque tamen pericula in quibus verſatur conſideranti comparatus, in ſomnum prolabitur, & dormiens iuxtaque ſomnians inquit: *Quando euigilabo & rurſus vina reperiam?* Talia ſunt peccatorum ebriorum ſomnia plena deſiderijs ad peccata ſemel patrata reuertendi. Quod ſi ex peccatis emerſurus ea inprimis deteſtari debet, vide mihi paulisper quam de meliore vita admodum iſti ſoliciti non ſint, qui aliud non deſiderant quam malum, aliud non concupiſcunt, quam quod ex Diametro bono ac virtuti aduerſari intelligunt. Quid ergo remedij eſt homines iſtiuſmodi à malo ad quod illi adeo violenter impelluntur abſtinendi? in nimirum idipſum quod ſapiens in Prouerbijs ſuggerit cum ait: ***Ne intuearis vinum quando flaueſcit cum ſplenduerit in vitro color eius. Ingreditur enim blande, ſed in nouiſſimo mordebit vt coluber, & ſicut Regulus venena diffundet.*** Mihi credite Auditores, nihil in hac materia ſalutarius eſt, quam omnes occaſiones deuitare, & ipſis peccatorum initijs obuiam ire. Suadeo proinde tibi Chriſtiane homo, vt in principio ſtatim malo reſiſtas, niſi penitus ab eo animam tuam occupari ac deſtrui velis. Atque hoc ſenſu Diuus Gregorius verba illa Beati Iob ea poſuiſſe videtur: *Quare non in vulua mortuus ſum, egreſſus ex vtero non ſtatim perij, cur exceptus, cur lactatus vberibus?* Vbi quatuor ipſius infantis quoſdam velut gradus mihi obſerua. Primus eſt in vtero matris vbi concipitur: Secundus in eo tempore quo ex il-

lo

Et iram Dei theſaurizat

Rom. 2. verſ. 5.

Cur peccatum ebrietas appellatur.

Cap. 2. verſ. 35.

Vt peccata euitemus occaſiones cxueamus.

Verſ. 31.

Lib. 4. Moral. cap. 25.

Iob. 3. verſ. 11. & 12.

lo ad lucem communem egreditur: Tertius, quando à nutrice in genua collocauit, Quartus cum vberibus lactandus adhibetur. Atque hi quatuor gradus non minus in peccato, quam in infantia reperiuntur. Primus enim in anima & cogitatione eſt, vbi illud concipitur: Secundus in voluntate, quæ opere id deſignare conſtituit; Tertius in decreto ac ipſius decreti quadam executione: Quartus in confirmatione & conſuetudine, quando videlicet, ad inſtar pueri, lactentis peccatis homo paſcitur, & recreatur. In huius rei ſignum & figuram inquit Diuus Auguſtinus, quatuor mortuorum genera in Euangelio reperiuntur. Primus fuit reſuſcitatus in domo patris ſui, puta filia Archiſynagogi. Secundus qui iam ad terram deferebatur filius viduæ Naim. Tertius iam in ſepulchro conſtitutus, qui fuit Lazarus. Quartus qui reſuſcitatus non fuit, dicente Seruatore noſtro: *Sinite mortuos, ſepelire mortuos ſuos:* Vt videlicet intelligamus peccatum cum in conſuetudinem abierit, nonniſi raro & difficulter veniam promereri. Quid ergo remedij ô Chriſtiane? ſuffocare peccatum dum adhuc in vtero eſt, & in ipſo ſtatim principio illud iugulare. Quod ſi mihi credere non vultis, conſiderate quid Euangeliſta de principibus ſacerdotum dicat, qui vſque adeo ſuijpſius obliti fuerunt, vt Seruatorem noſtrum & amicum eius Lazarum occidere ſatagerent.

Quatuor gradus peccati. *Quatuor mortuorũ genera.* *Matt. 8.*

Quod ſi etiam cauſam tanti ac tam immanis facinoris ſciſciteris, aliam quàm inuidiam aſſignare non poſſum, quia videlicet ferre non poterant, vt Lazarus teſtimoniũ de Ieſu Chriſti virtute potentiaque ferens, populum ipſi addictum efficeret. Faxit Deus, nunquam vt iræ paſſio animos veſtros occupet atque inuadat. Quod ſi ſemel fiat infinitum amentiæ numerum vos incurrere illico factura eſt. Marſilius Fidinus inſignis noſtræ memoriæ Philoſophus, in commentarijs ſuis ſuper Platonis conuiuium, duo ſtultitiæ genera aſſignat: Alterum quod ſedem ſuam in capite habet, & quo qui laborant, amentes latino vocabulo appellantur, alterum cor occupat, quo qui affecti ſunt, hi cholerici vocantur, & non minus quam primi illi ſtulti ac fatui ſunt. Et eſt tamen inquit Seneca, maxima inter duo iſthæc genera differentia, ſiquidem

Ira vitiũ graphice depingitur. *Marſil. Ficinus.* *Stultitiæ duo genera.* *Lib. 2. Epiſt. 18.*

dem primum illud longum ac continuum eſt, poſterius autem iſtud breue, & interfectum. Et concludit nihilominus iram ſeu coleram breuem quandam, at furibundam & phræneticam quandam amentiam eſſe. Vnde nonnullis placuit, ebrietatem illam potius, quam amentiam appellare. Atque hoc mihi ſenſum Dauidicum illud intelligendum eſſe videtur. *Et excitatus eſt tanquam dormiens Dominus, tanquam potens crapulatus à vino.* Vbi Dauid iram Diuinam contra populũ ſuum conceptam homini ebrio, & rationis iudicio deſtituto comparat. Hanc metaphorã tanti Seneca eſſe iudicauit, vt diceret ebrios & iracundos vno eodemque modo tractandos eſſe, obijciendo vtrique ſpeculum, vt in eo ſe contemplari poſſint. Si enim vitij ſui deformitatem intelligerent, paſſiones ſuas refrænare ſatagerent, ne faciem adeo deformem, qualis quidem iratorum eſt, haberent. *Ira ſtimulis accenſum cor*, inquit Sanctus Gregorius, *palpitat, corpus tremit, lingua præpedit, facies igneſcit, exaſperantur oculi, lingua clamorem format, ſed ſenſus quid loquatur ignorat. In quo itaque iſte abreptitijs longè eſt, qui actionis ſuæ conſcius non eſt*: Quod ſi omnes iſtæ immutationes & metamorphoſes in ira reperiuntur, etſi actionum ſuarum rationem reddere non poteſt, quid eſt quod non dicere poſſimus; iracundum ab eo qui à Diabolo obſeſſus eſt, parum aut nihil plane differre? Hæc D. Gregor. qui etiam longe plura & grauiora dicere potuiſſet. Ouidius namque iratos deſcribens, acrius adhuc eos perſtringit, & haud paulo rufius naturam illorum depingit. Quoniam ergo vitium illud extremum etiam hominem tantopere immutat, hinc ſi iratus aliquis, ſeipſum in ſpeculo poſſet contemplari, procul dubio inſanam illam paſſionem melius aliquanto coerceret ac refrænaret. Ferunt Poetæ Mineruam fiſtulis ſummopere delectatam, eas depoſituram non fuiſſe, niſi aliquando buccarum inflatarum, ac totius etiam faciei turpitudine in fonte ſpectata, cæterum eas amplius non attrectare conſtituiſſet. Idem proinde ſi iracundi facerent, nunquam hercule adeo temere iraſcerentur. Autor eſt Marinus Barletius Scodrenſis ſacerdos in hiſtoria ſua, quam de vita & rebus geſtis magni illius Georgij Caſtrioti. Regis Albaniæ ſcripſit. Heroem illam Turcarum imperio formidabi-

Ira ſimilis ebrietati.
Pſal. 77. verſ. 65.
Iratus abreptio ſimilis
Lib. 5. Moral. Cap 3.
Lib. 3. de arte amãdi.
Appoſita ſimilitudo.
Ira vehementia.

dabilem, cum iraſceretur pectore æſtuauiſſe ac bulliuiſſe, magnamque ſanguinis copiam ex inferiore labro infudiſſe. Quis ſanus, & non omnino demens vitium iſtiuſmodi effecta producens ex animo non deteſtetur? Quod ſi etiam Hippocratis illud verum eſt, eum morbum periculorum videri, qui mutabiliter faciem immutarit: dubitandum certe non eſt iram paſſionem eſſe omnium perniciosiſſimam, ſiquidem faciem humanam tantopere variat atque immutat. Sed non eſt hoc ſolum, cur id vitium omnibus modis metuendum fugiendumque nobis ſit: offendit namque Deum, lædit proximum, ipſum ſubiectum cui inhæret deſtruit, vſurpando contra Deum potentiæ ſuæ effectum, priuando proximum debita beneuolentia, & proprium ſubiectum ſano rationis iudicio ſpoliando. Diuinæ potentiæ effectus eſt, iniurias ſibi illatas vlciſci, iuxta Diui Pauli illud: *Mihi vindictã & ego retribuã*, & iuxta illud ipſius Dei, *Mea eſt vltio, & ego retribuam eis in tempore.* Hoc autem diuinæ potentiæ munus ira ſibi acorgat, dum videlicet iniuriam ſibi illatam vlciſci deſiderat. Beneuolentia proximo debita exigit, vt ei non noceatur, vtque nec ipſius perſonæ, nec honori, nec facultatibus damnus aliquod inferatur; hæc autem omnia ita ſusq; deque fert, dũ videlicet neque bonis, neque vitæ illius parcit, contra quam ſemel iram concepit, & quem ſi poſſet penitus extirpare, ac perdere vellet. Quid autẽ ego hoc loco de damno illo dicam, quo ira proprium ſuum ſubiectum plectit & afficit? Quantum tu illorum eſſe putas, qui & ſalutem animæ, & corporis ſanitatem amiſerint eo quod in nimiã choleram efferbuerint Certiſſimum eſt, animalia cholerica breuioris vitæ eſſe, quod idem in hominibus videre eſt: ideoq; Eccleſiaſticus ait: *Zelus & iracundia minaunt dies, & ante tempus ſenectam adducet cogitatus.* Magis tamen verendum eſt, ne ira rationem turbans, & omne iudicium homini eripiens, in beſtiam eum conuertat, occaſione cuius aiebat Cato; *Impedit ira animum, ne poſſit cernere verum*; imò plurimi præſtantes viri ira commoti, ea patrarunt, quorum ipſos ſtultos, & omni iudicio ſpoliatos puduiſſet. Refert Plutarchus Xerxem monti Athos miſſis litteris minitatum eſſe, ſe eum in mare deiecturum, ſi ceptis ſuis incommodaret. Cyrus Rex Perſarum, vt ſcribit Seneca, cuidam

Triplex ira offenſa. — *Dei* — *Heb. 10.* — *Deu. 32.* — *Proximi.* — *Sue ſubiecti.* — *Eccl. 30.* — *Exempla iræ.* — *Seneca lib. 3. de ira.*

dam

dam fluuio, Gideo nomine, iratus, iuſſit eum in trecentos & ſexaginta canales diſtrahi, hoc vano labore, & tempus ſuum, & exercitus ſui vigorem cõſumens. Quęnã eſt ſtultitia, quæ huic comparetur? Quis eſt qui impudentiam tã inordinatę paſſionis ferat: *Per tria mouetur terra, & quartũ non poteſt ſuſtinere*, inquit Spiritus S. in Prouerb. libro, & indicans quartũ, quod terra ſuſtinere nequit, ait; *Et per ancillam cum fuerit hæres Domina ſua.* Solet enim ordinarium eſſe hominibus humili loco natis, vt ſi eis bona aliqua, dignitas, aut iuriſdictio eueniat, omnes ſpernant, & nullius perſonę rationem habeant: Ita Agar cum ſe filium Domino ſuo concepiſſe cerneret, in eam arrogantiam, vt ipſi Saræ intolerabilis fieret, euaſit. Malum autem hoc quod Spiritus S. intolerabile dicit, ex ira procedit: cum enim iuxta Dei diſpoſitionem ratio dominetur, & ſenſualitas ſeruiat, hunc ordinem; tam ineptè ira inuertit, vt perturbata ratio, plus quam mille ineptias faciat. Hiſtoriæ profanæ plenæ ſunt exemplorum quæ hanc doctrinã confirmant, nullum tamen eſt quod malitiam, cuius in hodierno Euangelio mentio habetur, adæquet. Audiuimus enim Iudæorum iram, qui erant Filij Dei iurati hoſtes, ad eum gradum conſcendiſſe, vt non ſuffecerit ipſis Chriſtũ morti deſtinare (quæ quidem ſtultitiarum maxima erat) niſi inſuper ſtatuiſſent, Lazarum qui Chriſtum amabat, & honorabat interficere.

Pro. 30. Aſperius nihil eſt, humili cum ſurgit in altum. Gen. 16. Summa ira Iudæorum.

In Craſtinum autem turba multa, & vſque obuiam venit ei, &c. Deus volens inuidos caſtigare, pro more habet eos honorare, quibus ipſi inuident, vti & his inuidiam Principum Sacerdotum, quibus honor Chriſti oneri erat puniuit, corda habitantium Ieruſalem permouendo, vt maiori cum gaudio, ac alacritate ei occurrent, quam vnquam Regi aut Principi ſuo Ieroſolymam intraturo occurriſſent. Ita honore per populum Dauidi exhibito Saulis inuidiam caſtigauit, & Amani rancorem triumpho Mardochæi compeſcuit, ita & quotidie plurimos reprimit; ſed nos multo vilioribus negotijs occupati; hæc non aduertimus, Verum eo in præſentiarum omiſſo, videamus cur Dominus noſter Ieſus Chriſtus aſcendẽs Ieroſolymam, vt ignominioſſimam mortem ſubiret, prius tam feſtiuis acclamationibus voluerit honorari.

Quomodo Deus inuidos puniat. 1. Reg. 10. & 18. Eſther. 6. Cur Chriſtus prius honori quã contemni voluit.

rari. Poſſent huius rei diuerſæ rationes allegari, mihi tamen commodiſſima videtur, ſi dicamus diuinam ſapientiam hæc ideo taliter diſpoſuiſſe, ne vlla circumſtantia, quæ ſenſum Paſſionis Dominicæ aggrauare poſſet, deeſſet. Vbi cum Boetio nota, inter aduerſa & infortunia vix quicquam maius reperiri, quam honoratum ac benefortunatum fuiſſe. Si pauperculus quiſpiam dicterium ſuſtinet; ſi inhonoratus aliquis contemni ſe videat, vtrique ſane moleſtum id erit: ſi tamen is qui diues eſt & opulentus ſubito pauper eueniat, ſi is qui ab vniuerſis honorabatur, paſſim diffamari ſe audiat, dolor eſt quem verbis exprimere nequimus. Teſtis nobis erit Aman, cum ſubito ſe lictorem, at accenſum Mardochæi, eique gloriæ, quem oderat, tibicinem vidit; maximè autem cum mortis, & quidem patibuli, ſententiam contra ſe ferri audijt, qui alter ab Aſſuero fuerat. Quæ confuſio putatis faciem eius operuit? Quis rubor vultum eius ſuffudit? non ſolum, quia exauthoratum ſe cum ignominia conſpiciebat, ſed quia etiam magnitudiné ſuam, & honores, vnde exciderat, cogitabat. Quam multos indignatio ſuſtulit cum ſe Principum, Regumque fauoribus ſpoliatos cernerent? Quam multos melaucolia exſiccauit, cum ſe poſt maximam felicitatem omnibus bonis miſerrime exutos viderent? Neque putare, Auditores, dolorem hunc eſſe ſolum modo hominum male mortificatorum, nam & ſancti nonnulli eius factum viuidè perſenſerunt: Specialiter autem B. Iob & Regius Propheta Dauid, quorum hic ait: *Cinerem tanquam panem manducabam, & potum meum cum fletu miſcebam, à facie iræ & indignationis tuæ, quia eleuans alliſiſti me:* ideo ſcilicet, quia fortiter Dei indignationem apprehendebat, idq; ex eo maximè quod primò in altum eleuatum, paulò poſt miſerè decidere permiſerit. Non enim videbatur Dauidi hanc Dei conſuetudinem eſſe, vt quem iamiam exaltaſſet, ſtatim in miſeriam deijceret, niſi cui iratus eſſet Deus, & contra quem furor indignationis accenſus eſſet. Vnicum exemplum veræ patientiæ S. Iob, videns ſe lepra onuſtum, à vermibus arroſum, ab amicis derelictum, paupertate circumdatum, & iacens in ſterquilinio, cui nihil præter fragmen teſtæ ad vulnerum ſordes detergendas ſupereat, nihil adeo planxit, ac proſperitatem ſuam, in qua ſe conſtitu-

Maxima miſeria eſt feliciter fuiſſe.

Eſth. 6.

Ibid. 7.

Pſ. 101.

Multi exaltantur vt grauius ruant.

ſtitutum meminerat, *Eleuaſti me*, (inquit) *& quaſi ſuper ventum ponens, eliſiſti me validè*. Quaſi diceret, ſupra pennas ventorum me extuliſti, & ecce in ictu oculi ſuper ſterquilinium hoc me proiecilti; ſicuti facere ſolent, qui ollam aliquam de terra ſubleuant, vt eam contra rupem, aut ſimile quid allidentes, facilius in mille partes diſrumpant. Eodem modo mundus ſuos nutritios tractare aſſolet, de quibus Poeta ait. *Iob. 30.*

Tollantur in altum
Vt lapſu grauiore ruant.

Quo enim quis ex altiori loco cadit, eo & caſus eſt grauior, & reſurrectio difficilior. Practicauit idem Diabolus, cum Chriſtum ad pinnaculum templi ſuſtulit, vt ei ad ima deiectionem perſuaderet. Deus tamen non eleuat hominem vt deijciat, ſed deijcit vt eleuet. Sic S Paulum ex equo proſtrauit vt eum poſtea ad tertium vſque cœlum abriperet. Cum itaque hæc ſit Dei proprietas, non adeo miror, quod Iob tantopere ſe primò eleuatum, ex hinc abiectum conqueratur; ſed cum exemplar, & idæa perfectæ patientiæ eſſet, conueniens erat, vt etiam hoc malum, quod ceterorum grauiſſimum eſt, experiretur, ſic enim in ipſum intuentes, habebunt quo ſe conſolentur, qui ex magna aliqua proſperitate exciderunt. Eâdem quoque ob cauſam rationi congruebat, Chriſtum etiam illam miſeriam ſubire, tam, vt dolor eius omnium maximus redderetur; quam vt fidelibus, in ſimili aduerſitate conſtitutis exemplum præberetur. Voluit itaque, Auditores, Deus Pater Filium ſuum Dominum noſtrum ad paſſionem Hieroſolymam intrãtem, maximè honorati, & ſumma lætitia ſuſcipi, vt poſtmodum magis mens eius affligeretur, abiectum ſe, & contemptum poſt maximam gloriam cõſpiciens. Prædixerat hoc per Iſaiam Prophetam, cum ait: *Ecce intelliget ſeruus meus exaltabitur, & eleuabitur, & ſublimis erit valde: ſicut obſtupuerunt ſuper te multi, ſic inglorius erit inter viros aſpectus eius & forma eius inter filios minum*. Quę Prophetia, ſi vnquam, certè hodie impleta eſt. Vultis videre honoratum, & exaltatum? conſiderate occurrentes cum palmarum, & aliarum arborum ramis: aſpicite viam ſuis veſtibus quaſi tapetibus ſternentes; audite canticum lætitiæ concinentes nomen Saluatoris,

Matt. 4. *Deus hominem deijcit vt eleuet.* *Act. 9.* *2. Co. 12.* *Iſa. 52. verſ. 13.* *Chriſtus ſtatim poſt honores ignominiam ſuſtinuit.*

Digitized by Google

Mat. 27 ris,& filij Dauid acclamantes, *O Sanna Filio Dauid Benedi ctus qui venit in nomine Domini.* Auetis abiectum? Vultis contemptum? Ciuitatem intrate, videbitis quem tanto honore, & applauſu ſuſceperant inter duos latrones cruci affixum: audietis Filio Dei homicidam Barrabam præferri; pulchritudinem vultus eius ita deformatam inuenietis,
Iſa. 53. cap. 2. vt verè quod ſcribit Iſaias, dicturi ſitis, cum dolore. *Non eſt Spiritus ei, neque decor, vidimus eum & non erat ei aſpectus;* & infra; *Nos putauimus eum quaſi leproſum, & percuſſum à Deo, & humiliatum.* Poteſtne caſus huic ſimilis inueniri? Chriſtus itaque eſt de quo dicitur: *intelliget ſeruus meus,* poſt honorem nempe ignominiam ſuſtinebit, vt ſic intellectus dolor, paſſionem ſenſus aggrauaret. Tu interim, mi Domine Deus, benedictus ſis in ſæcula, quia honores & magnificentiam admiſiſti, vt mei amore, his ipſis paſſionis tuæ dolores cumulares. Tu autem Domine gratiam mihi concede, & ita me inſtrue, vt & beneficium agnoſcam, & & quotidie materiam aliquid perficiendi habeam, & ſemper ob tui amorem aliquid patiar.

Erant autem quidam Gentiles &cæt. *Venit hora.* Non inhærebo diutius huic pompæ magnificæ, qua Dominus noſter ſuſceptus fuit, craſtinum enim diem ſibi proprium habet. Pergo itaq; cum Euangeliſta narrante, quod gentiles quidam, qui Ieroſolymam adoratum venerant, & Chriſtũ videre deſiderabant, peracta hac, quaſi ſolemni eius inauguratione, ad Philippum acceſſerint, dicentes, *Domine, volumus, Ieſum videre venit Philippus & dicit Andreæ;* Et vterque Ieſu. Ieſus aũt in conſideratione Paſſionis, & mortis ſuæ, quæ conuerſionis gentilium cauſa futura erat, abreptus, reſpondit eis, dicens: *Venit hora, vt clarificetur Filius hominis:* & cuius generis hæc clarificatio futura eſſet, ſimilitudine grani frumenti oſtendens, ſubiungit: *Amen, amen dico vobis, niſi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipſum ſolum manet, ſi autem mortuum fuerit multum*
Chriſtus eſt pecu liariter filius Dei viui. *fructum afferet:* ita enim ſimiliter vt fides Chriſti in gentilium cordibus multiplicetur, neceſſarium fore Chriſtum, quem Deus ab omni æternitate genus humanum ſuo ſanguine redempturum prædeſtinauit, mori. Notandum hoc loco venit S. Petrum, in mirabili illa de Chriſto confeſſione, cuius intuitu fundamentalis Eccleſiæ petra appellari

lari meruit, de filio hominis dixiſſe: *Tu es Chriſtus filius Dei viui*: ita neque Marthæ ſuffeciſſe, quod Filium Dei nominaſſet, ſed voculam illam, *viui* addidiſſe. Econtrario autem S. Ioannem, cum initio ſui Euangelij agit de aduentu incarnati verbi in hunc mundū, dicere: *Quotquot autē receperūt eū, dedit eis poteſtatē filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius* &c. neque addere hanc particulam *viui*. Aduertendum enim eſt, quod cum de filiatione aliorum hominum loquitur, nō dicat eos fieri *filios Dei viui*, ſed ſimpliciter & ſine addito, *filios Dei*, cum vero ei de Chriſto ſermo eſt; appellat eum filium *Dei viui*, vt differentiam, quæ inter hanc & illā filiationē eſt inſinuet. Hic enim eſt filius Dei viui, quia eius filius naturalis; & vt talis ſit: neceſſariū, eſt ſecundū oīum Theol. opinionē, ꝙ procedat à principio viuente ſecundum ſimilitudinem naturæ: generatio enim nihil aliud eſt, quam actio vitalis ſecundum ſimilitudinē naturæ à principio vitæ procedens. Vt itaque hæc generatio æterna, & ab æterno fuiſſe demonſtretur, dicitur ſecundum hanc filius Dei viui, quia procedit per actum intellectus, qui omnis vitæ fons eſt, iuxta illud Pſalmi: *Quoniam apud te eſt fons vitæ*. Nos autem bene quidem appellamur *Filij Dei*, ſed non bene *Dei viui*, non enim ſumus eius filij naturales, ſed adoptiui tātùm, quæ adoptio per mortē Chriſti facta eſt; adeo vt potius filij *Dei mortui*, diceremur, cū ad noſtrā adoptionē mors Chriſti Dei, & hominis prærequiſita fuerit. Ecce ergo quomodo Chriſtus morte ſua gētiliū cōuerſionē, & in filios Dei adoptionem impetrās, clarificatus fuerit: Erant enim hi, qui Philippo ac Andrea intercedentibus, Dominum videre cupiebant, primitiæ, & quaſi legati totius gētilitatis, de quib. Dauid prædixerat: *Veniēt legati ex Aegypto, Aethiopia præueniet manus eius Deo*: quæ verba de gentiū cōuerſione explicuit Origenes, quaſi diceret, Aegyptus quæ terra paganorum eſt, Meſſiæ, filioq; Dei legatos ſuos obſequij præſtandi cauſa mittet: & Aethiopia, quæ peccato idololatriæ tota denigrata eſt, in ſignum fęderis, & amicitiæ, ſupplices manus Deo extēdet, atq; occaſione conuerſionis gentiū Chriſtus, apud omnes omnino nationes clarificabitur, & ꝓ Deo adorabitur. Sermonē hunc & diſcurſum paululum protraxi, Auditores, vt his diebus, quibus Dominicam paſſionem celebramus,

Ioan. 1.
Ioan. 11.
Pſ. 35.
Nos autem abſque addito filij Dei.
Pſ. 67.
Orig. hom. 2. 5. Cant.

Dolores paſſiones ſunt tormenta partus quo Deo nos genuit.

videntes eum flagellis cæſum, colaphis impetitum, ſpinis coronatum, cruci affixum, ſerio cogitemus, hos eius partus, quo nos editi ſumus, dolores eſſe, mortuum ipſum, vt nos *Filij Dei*. ſed ob difficultatem partus, *Dei mortui*, naſceremur. Et ſi matres partui ſuperuiuentes, ob partus tamen difficultatem, tam tenerè filiolos amant, vt filij viciſtim eis maximum honorem, & amorem debeant. Quantum putatis nos, & à Deo amari, & ſimul eius Diuinæ Maieſtati obligatos eſſe? Nam Chriſtus vt Deo patri ſuo filios pareret, nō ſolum dolores, omnium quos homo vnquam ſuſtinuit maximos, pertulit, ſed ipſam mortē, mortem inquam Crucis ſubijt. Nos ergo Auditores, qui Chriſtiano nomine gaudemus, æs alienum diſſoluamus, à debito nos expediamus: Magnum eſt Chriſtum pro nobis mortuum eſſe, voluntates noſtras ei præparemus, omni diligentia ei ſeruiamus, qui tanto beneficio nos affecit; fe-
Rom. 8. cit nos filios Dei: *Si autem filij, & heredes, heredes quidem Dei, coheredes autem Chriſti*, non bonorum temporalium, quæ trāſitoria & caduca ſunt, ſed ſpiritualium gratiarum, & theſaurorum æternæ gloriæ. *Quam mihi & vobis, &c.*

CONCIO QVADRAGESIMA QVAE EST DOMINICAM PALMARVM.

Cum appropinquaſſet Ieſus Ieroſolymis, & veniſſet Bethphage ad montem Olıueti. Matt. 21.

Triumph⁹ Chriſti ab Iſaia prę dictus.

MAgnus ille Applauſus, & extraordinaria populi lætitia, qua cum Dominus Saluator noſter Ieroſolimam intrauit, quāque ſancta Eccleſia ſolemnibus ceremonijs hodie nobis ſpectandam exhibuit, tam luculenter ab Iſaia prædicta fuit, ac prophetata, quaſi ipſe hæc oculis luſtraſſet, aut præſens interfuiſſet, cum ait, *Lætabuntur coram te, ſicut qui lætantur in meſſe, ſicut exultant victores cap-*

ta præda, quando diuidunt ſpolia. Sicut enim meſſores tempore meſſis obliti omnis diurni laboris, ſub ardentiſſimo ſole tolerati, bene ſerò domum redeunt, caput aut pileum grauibus ariſtis operti triticeis, & ramos manibus geſtãt, ac tam alacriter cantant, vt totum populum gaudio afficiant. Aut ſicuti victores, fugatis iam hoſtibus, & direptis caſtris, ad prædam diuidendam lætabundi ſubſiſtunt; & effuſi ſanguinis, aut receptorum vulnerum planè immemores, potius ſuam aduerſus hoſtes victoriam deprædicant, & vrbes ingreſſuri eandem decantant, ducis nomen clarè, altaq; voce inſonantes, & omnem confecti belli gloriam in eum transferentes. Ita ſimiliter (inquit Iſaias) populus Iudaicus, ô Domine, tua præſentia lætabitur: Neque abs re: *Iugum enim oneris eius, & virgam humeri eius, & ſceptrum exactoris eius ſuperaſti, ſicut in die Madian*. Quaſi diceret, victoria tua inſolita eſt, ideoque eam in conſueto applauſu, & ſingularis lætitiæ demonſtratione celebranda eſt: Excuſſiſti enim a collo hominis iugum Sathanæ, quo eum deprimebat: eripuiſti de manu Diaboli virgam, qua nos tanquam iumenta ſarcinam miſeriarum noſtrarum portare, & viam perditionis ambulare cogebat. Suſtuliſti ſceptrum importuni illius exactoris, authoritatem ſcilicet Dæmonis: qua ab hominibus voluntatem peccandi, tanquam ſenſum aut tributum ſibi debitum impotenter exigebat. Cum nos omnibus his miſerijs, deuicto Sathana exemeris, æquiſſimum eſt, ſi coram te lætemur, *ſicut qui lætamur in meſſe, ſicut exultant victores, quando diuidunt ſpolia*. Maximè cum hæc victoria abſque vlla ſanguinis noſtri effuſione; ſicut in die Madian obtenta ſit. Legimus enim Gedeonem præter omnem bellandi conſuetudinem, Madianitas inter ſe mutuo concurrentes, ſine militum ſuorum vulnere, & defatigatione debellaſſe. Verum quidem eſt, quod in hoc ſtratagemate, ollas terreas, vt ſubito apparente lumine terrerẽt, confregerint; ita etiam neceſſarium fuerit, in paſſione tua confringit teſtam humanitatis veſtræ, vti eam pſalmiſta appellat, cũ ait, *Aruit tanquam teſta virtus mea*, & lumẽ diuinitatis detegi, quod videntes inimici admirentur, & dicant, *Vere Dei filius erat iſte*, & diſſentientibus opinionibus ipſos conficiant. Tunc enim clariſſimè lux tuæ diuinita-

Iſaia. 9.

Quomodo victoriam obtinuerit, et de quibus triũphauit.

Iud. 7.

Pſal. 21.

Marc. 15.

tis illuxit, quando vaſculum tuæ humanitatis eſt confractum. Ergo ne Auditores iniquum eſt hanc victoriam alacriter celebrarre? Surge ſurge Ieruſalem exeant ex te parui & magni & ducem ſuum glorioſè triumphantem ſuſcipiant, acclamet ei vnuſquiſque fauſtis vocibus, *Oſanna filio Dauid.* Arborum ramis plateas ſternant, tapetibus vias tegant, palmas manibus appræhendant, glorioſſimâ hanc victoriam plenis buccis decantent, impleant quod

Iſai. 9. Iſaias prædixerat: *Latabuntur coram te, ſicut qui latantur in meſſe, &c.* Sed dicet forte quiſpiam, hæc nihil ad rem præ-

Quomodo Christus ante triumpharit. ſentis feſti facere. Nam lætitia de qua Iſaias agit, victoriam ſequitur, in hoc autem ſuo triumphali ingreſſu. Saluator noſter nondum victoriam obtinuerat, ſed hoſtes de bellaturua intrabat. Et bene quidem, ſed conſideremus velim ſolitum triumphantium morem in hoc inſolito triumpho filio Dei a Ieroſolymitanus exhibito, inuerſũ fuiſſe, non tamen abſq; ratione: Quod enim nullus Imperatorum aut Ducum ante victoriã triumpharint, ideo eſt, quia de victoria obtinenda incerti erant, adeoque ſtultum, ac temerarium fuiſſet honorem triumphi admittere, cum belli exitus dubius adhuc eſſet, ſi enim aduerſi quid, & præter opinionem eis contigiſſet, pudor & ignominia duplicata fuiſſent Chriſtus autem cum filius DEI eſſet, de ſua victoria erat certiſſimus & ſecuriſſimus. Illi

2. Reg. 11. autem non item nam vt inquit Dauid, *Varius eſt euentus belli*, & futuram ſibi victoriam certiſſimo promittere, maxima vanitas, imò dementia, ac ſtultitia eſt, Huius rei exempla multa, tam in ſacris, quam profanis hiſtorijs legimus, quomodo ſcilicet exigua hominum manus,

Belli euẽtus incertus. maximas victorias ex potentiſſimis & copioſiſſimis exercitibus reportarit. Teſtes erunt Madianitę quos Gedeon ſuis gladijs confecit. Teſtis exercitus Gorgiæ, quem ma-

Iudic. 7. gnanimus ille Iudas Machabęus in fugam coegit. Re-

2. Mach. 12. fert Pauſanias Barbaros quoſdam ſuæ multitudini confidentes, Athenienſes inuaſiſſe, adeoque eos de victoria ſecuros fuiſſe, vt maximè molis lapidem, in quo triumphum deſculperent, aduexerint. Verum Athenienſes non minus prouidi, quam bellicoſi, tam cautè caſtrametati ſunt, & fortiter ſeſe defenderunt vt timidos Barbaros proſtrauerint, & lapidem, quẽ illi tãto labore ac moleſtijs

ad-

aduexerant, in ſuam poteſtatem redegerint, atque in eo manu Phydiæ, ſculptoris famoſiſſimi, Deam frenum tenentem, & exercitum ceruorum in fugam conuertentem, exſculpſerint; vt nimirum ſignificarent Palladem ſeu Bellonam præliorum præſidem, ſuperbia Barbarorum benè refrænaſſe, qui licet in maximo numero eſſent, ceruorum tamen inſtar timidi erant. Et ſane iuſta fuit de cælo vindicta, cum ex re incertiſſima, certiſſimam ſibi victoriam, ne viſis quidem hoſtibus, promiſiſſent. Peculiare itaque fuit Chriſto priuilegium, qui vt Deus omnem rerum omnium euentum præſciebat, abſque vlla temeritatis nota triumphum ante victoriam admittere. Ex quo vlterius infertur, quod ſicuti Chriſto, propter ſuæ præſcientiæ certitudinem, licuit prius triumphare, quam vincere; ita Iſaiæ propter Prophetiæ infallibilitatem, de futuris tanquam de præteritis loqui licuiſſe. Addit autem Auguſt. ideo Saluatorem noſtrum triumphum præoccupaſſe; quia, cum victoriam ſua morte eſſet conſecuturus, poſtea impaſſibilis, & ab hominibus ſegregatus, non potuiſſet ita commode in ſimili pompa Ieroſolymam intrare, & victoriam ſuam toti mundo promulgare. Aduertendum inſuper eſt, quod ſicuti ſibi per natiuitatem in hunc mundum intranti ab Angelis, *Gloria in excelſis*, voluit decantari, ita *Luc. 2.* iam iam de mundo exiturus, idem officium per infantes præſtari ordinauit, ſignificans omnes Eccleſiaſticos, qui diuinis laudibus ſunt mancipati, ſi non puritate Angelorum, ſaltem innocentia paruulorum, ornatos eſſe debere.

Cum appropinquaſſet Ieſus Hieroſolymis. S. Lucas narrat, Chriſtum paulo ante hunc ſolemnem, &, honorabilem in vrbem ingreſſum eam defleuiſſe, cum ait, *Videns* *Luc. 19.* *ciuitatem fleuit ſuper illam:* &, paulo poſt Chriſtus filius Dei in hac eadem vrbe morti adiudicatus, &, extra eam crucifixus eſt: ita vt ſi totam rei geſtæ hiſtoriam diligenter inſpiciamus, videbimus honores huius mundi inter lachrymas, &, crucem eſſe. Dominus noſter antequam Rex nominaretur plorabat, & poſtquam Rex audiſſet, cruce oneratur, vt nimirum nos doceret, honores cum quadam renitentia, & ploratu admittere, cruci autem, & moleſtijs quæ eos comitantur, promptè humeris ſupponere. Legimus in libro Iudicum, quod cum ar- *Iud. 9.*

bores

bores omnes ad regem eligendum conueniſſent, neque vineam, neque oliuam, neque ficum, dignitatem regiam acceptare voluiſſe, eo quod natiuam quandam dulcedinem haberent. Rhamnum autem, tanquam ſtultam, & ſpinis oneratam, oblatam dignitatem ſuſcepiſſe, vt diſceremus honores, & dignitates tribulis, & ſpinis ſociari. Cum Deus Moyſen caput, & ducem populi ſui conſtituere decreuiſſet, tradens ei omnem populi gubernationem, & ſimul virgam illam miraculoſam, qua, vt inquit

Exod. 3. Scriptura, Deus Pharaonis inſtituebatur; refert textus quod in medio ignis, & rubi apparuerit, ad ſignificandum omnem honorem, & dignitates regias ſpinis, & igne circumdari. Cum itaque populus Chriſtum regem facere

Ioan. 6. vellet, fugit in montem, & ſe eis ſubduxit, cum vero ſpinis coronaretur, quietus ſedit, & regem ſe appellari permiſit, vt nos commoneret coronam ſpineam dignitati re-

1. Reg. 16 gali oporteret coniungi Nunquid non audiuiſtis aliquando, quod cum Dauid in Regem inungendus eſſet, Deum iuſſiſſe Samueli, vt lenticulam ſeu cornu ſuum impleret oleo? & cur potius cornu, quam aliud vaſculum? ſcilicet vt nobis inſinuaret, honorem, & curam regalem ſuſcipere nihil aliud eſſe, quam inter taurorum cornua collocari. Honores itaque lachrymæ præcedunt, crux ſequitur; nam dignitates conferre, vel ſuſcipere locum honorabiliorem, eſt inter ignem, ſpinas, crucem, & taurorum cornua iacere. Quæ ergo quies, quæ voluptas inter lachrymas, & dignitates grata poteſt videri? quomodo molliter conquieſcet, qui in ſpinis volutabitur? O infortunatos qui honoribus onerantur; ac tanto etiam infortunatiores, quanto minus pericula diſcriminaque ſua, in quibus verſantur agnoſcunt. Non fugerunt ergo abs cauſa omnes ſemper

In honore abſq; dolore eſſe eſt impoſſibile. honores, & dignitates ſancti vniuerſi ſcientes adynaton eſſe in honore ac quiete pariter vitam degere. Cum arbores regem electuræ oliuam idcirco expeterent, reſpondit: *Nunquid poſſum deſerere pinguedinem meam*, vt alias arbores gubernem? Et Ficus: *Nunquid poſſum deſerere dulcedinem meam*, vt Rex audiam? Et vitis Nunquid poſſum deſerere

Iudic. 9. vinum meum, alienis curis opprimenda? Quibus ſane omnibus arboreus ille cætus poterat reſpondere: Non deſideramus vos vt aut oliua ſuam pinguedinem, aut ficus ducedi-

cedi-

cedinem, aut deniq; vitis vinum ſuū deſerat: petimus autē ſolummodo, & obteſtamur quatenus nobis præeſſe impetrareq; velint. Cū ecce tibi illæ nihil penitus moræ dignitatem oblatam cōſtanter repudiarunt, & fieri non poſſe ſimul vt in quiete ac honore viuerent, prudēter exiſtimauerunt. Vt. n. alia taceam, quid tu curam rationemq; pro alijs ſuſceptā eſſe putas, quam crucem, quam ſpinarū aculeos, quam ignem, quā deniq; cornua taurorum? Et auſit adhuc quiſpiā honorib. inſidiari? Auſit ad dignitates aſpirare, rerū ſummas appetere, titulos regios, & triumphales exoptare, ſi illi qui Redēptori noſtro deferūtur, lacrymis, & cruce nō carēt? Aperiat nobis Deus oculos noſtros, qua bonitate eſt, vt quid in iſtiuſmodi dignitatibus fallat cognoſcentes, non adeo auide illis inhiemus, ſed potius in mediocri ſtatu viuamus, vt neq; nos alijs, neq; alij nobiş poſſint inuidere.

Cum veniſſet in Bethphage, miſit duos ex diſcipulis, &c. *Recreatio Sacerdotum qualis.*
Bethphage domus ſeu villa cāpeſtri in loco ſita erat, neq; longe ab vrbe Hieroſolymitana diſtans, ad quam plerūq; Sacerdotes recreationis ergo exſpatiabantur. Habent nāq; Eccleſiaſtici recreatione, & animi aliqua relaxatione opus quam ipſam tamen à ſecularibus ſeparatam eſſe decet, ne reuerentiæ ac authoritatis ſuæ iacturam aliquā patiantur. Hinc inter reliquas conditiones quibus S. Paulus Summum noſtrum Sacerdotem ac Pontificem ad patriotas ſuos ſcribens præditum eſſe debere dicit, hanc etiam addit, vt ſit *ſegregatus à peccatoribus*, ne videlicet commercium illud improborum deſpectum ac contemptum aliquem generet. Debebat autem is in tantum ab illorum familiaritate abſtinere, vt *excelſior cælis factus* videretur; nam, & Sacerdotes in Scriptura ſacra Angelos appellari, ideoq; cum Angelis conuerſari oportere certum eſt. Quoniam vero mortali etiam carne circumdati ſunt, hinc recreatione indigent, at ta'i quæ cum ſæcularibus commune nil habeat? *Prouidentes bona*, inquit S. Paulus, *non ſolum coram Deo ſed etiam coram hominibus, ne vituperetur miniſterium noſtrum*. Simulac enim ſæcularis ſacerdotem more hominis plebei agere, nugari, ac ridere conſpicit, ipſum ſacerdotium rem plebeiam ac communem eſſe incipit exiſtimare. Cæterum cum Seruator noſter in Bethphage perueniſſet, duos diſcipulorum ſuorum in proximum caſtel-

Heb. 7. *Malach. 2.* *Rom. 12.*

Cur ex discipulis duo mittantur. caſtellum miſit, vt aſinam cum pullo illic ligatam, ſibi adducerent. Vbi obſerua duos ex Diſcipulis fuiſſe ablegatos, non quod vnus ad illud miniſteriũ non ſuffeciſſet, ſed vt myſterium per id declararetur. Diſcant proinde ex hoc facto, & loco omnes Diuini verbi præcones, & confeſſarij quorum partes ſunt animas peccati catenis innexas ſoluere, diſcant inquam vnione, & conformitate præ cæteris ſibi opus eſſe: *Dentes tui*, inquit ſponſus ad ſponſam. *ſicut greges tonſarum, quæ aſcendunt de lauacro, omnes gemell's fœtibus, & ſterilis non eſt inter eas:* Vbi Concionatores ac confeſſarij Eccleſiæ dentes vides appellari; quia, ſicut dentium officiũ eſt cibum mandere, & reliquo corpori ſufficere, ita Cõcionatores, & Confeſſarij huic publice, illi priuatim, ſalutaria & cuilibet accommodata doctrinæ pabula debent ſuppeditare. Quod vt facilius præſtent, bonorum dentium qualitatibus ac conditionibus illos pollere neceſſum eſt. Erũt ergo primo candidi per puritatem vitæ, quemadmodum lana ouium de lauacro aſcendentium candidiſſima eſſe ſolet. Ante omnia autem curare debent, vt vniti, & æquales ſint: quippe cum abſque duabus iſtis conditionibus dentes nullò modo officio ſuo fungi poſſint. Curabunt proinde ne quid eos ab inuicem ſeparet ac diuellat, cogitantes minimas etiam cárnis aut piſcium comeſtorum particulas dentibus noſtris inhærentes, nullo nos modo poſſe tolerare Atque hoc nobis vnionem, & conformitatem illam repræſentat, quæ inter concionatores, & confeſſarios tanta ac talis eſſe debet, nihil vt planè reperiri poſſit, quo illorum doctrina ſeparata fuiſſe videatur. Nihil enim æque populum ſcandalizat nihil maiore incommodo illum afficit, quam paſtorum ſuorum diſſidia, & diuerſas opiniones intueri. Quod ſi vnus liget, dicens peccatum mortale id eſſe: alius autem ſoluat, contrarium affirmans: Si confeſſarius iſte abſolutionem peccato alicui denegat, quam hic impertit, quæ amabò ædificatio inde poteſt expectari?

Cant. 4.

Concionatores, ac confeſſarij Eccleſiæ dẽtes appellantur.

Eccl. 34. *Vnus ædificans, & vnus deſtruens*, inquit Spiritus S. *quid prodeſt illis niſi labor?* ſi nimirum hic deſtruat quod alter ædificauit, quis eos laboris ſui fructus, vel quod emolumentum conſequetur? ſi duo iſti Apoſtoli à Seruatore noſtro miſſi, animis ac opinionibus diſſenſiſſent, ita vt hic aſinam ligare, iſte autem ſoluere voluiſſet, nunquam mihi credite

eam

eam Domino noſtro adducere potuiſſent. Et ſi vniti non fuiſſent, nunquam quod Deus cogitabat exequi valuiſſent. *Si qua eſt conſolatio*, inquit S. Paulus Apoſtolus admodum ad noſtram materiam apte, & accommodate, *in Chriſto, ſi quod ſolatium charitatis, ſi qua ſocietas Spiritus, ſi qua viſcera miſerationis, implete gaudium meum vt idem ſapiatis, eandem charitatem habentes, vnanimes, idipſum ſentientes, nihil per contentionem, neque per inanem gloriam arbitrantes*. Quibus verbis Apoſtol. breuiter ac neruoſe nobis oſtendit, quemadmodum ex humilitatis defectu, diſcordiæ ac diſſenſiones inter ſeruos Dei ſoleant exoriri. Hinc enim contentiones promanãt, dum videlicet quilibet ſapientem ſe eſſe exiſtimat, ſi audacter alijs contradicat, & dum nullius numeri putat, regia, & vulgari via incedere. Vnde intelligis à vana illos gloria turpiſſime diuelli, ac à ſe inuicem ſeparari. Non agite mihi iſthoc modo, inquit Apoſtolus, ſed ambulate in omni vnione, & doctrinæ conformitate, eandẽ ſemper doctrinam tradentes, vt bonorum dentium officio rite fungamini. Ita fiet vt ſitis oues *omnes gemellis fœtibus, & ſterilis non eſt inter eas*. Quam cõformitatem, ſeu ſi mauis vniformitatem, Seruator noſter in hodierno Euangelio docere nos voluit, quando duos ſuorum diſcipulorum ad aſinam, & pullum ſibi adducendos ablegauit.

Phil. 2.

Ex defectu humilitatis cõtentiones oriũtur.

Et adduxerunt aſinam, & pullum Duo hi Diſcipuli magiſtri ſui mandato, morẽ à veſtigio gerentes, eo quo ablegati fuerant abiuerũt; duasq́; illas beſtias petitas eidem adduxerunt; Et quamuis in hoc vrbico ſuo ingreſſu ac triũpho, ab ipſis hoſtibus, & inimicis pro Rege haberi volebat: noluit tamẽ idcirco ſolitę ſuę humilitatis obliuiſci, ſed vili iumẽto in vrbẽ inuehi, quo videlicet Sãcti Spiritus illud cõſiliũ adimpleret: *Quãto magnus es, humilia te in omnibus, & corã Deo inuenies gratiã.* Admodum.n. humilitate inter honores, ac dignitate opus eſt quæ proxime ſuperbiam accedunt, quemadmodum S. Auguſtinus agnouit, dicens: *Menſura humilitatis cuique ex menſura ipſius magnitudinis data eſt, cui perículoſa ſuperbia, quæ amplius amplioribus inſidiatur.* Patet hoc in ipſis rebus naturalibus, quas quiſquis attentius conſiderat, è veſtigio intelliget, humilitatem ac altitudinem pares æqualeſque eſſe: quanto enim aliquid profundius eſt, tãto altius ſurſum erigitur ac eleuatur. In hoc

In ſummis honoribus humilitatis meminiſſe decet.

Eccl. 3.

De ſancta virginitate. Cap. 31.

autem

autem differentia conſiſtit, quod altitudinem conſideratu-ri, oculos ex humili in ſublimi attollimus, profunditatem autē ex alto deſpicimus. Hinc ſi is, qui in ſublimi ſe loco cōſtitutum videt, oculos deijciat & originis ſuæ vilitatem conſideret, tanto ei humilior videbitur, quanto ex altiore loco illam deſpectabit. Liquet hoc in ijs, qui in ſublimi ali qua turri conſtituti in terram deſpiciunt: Quæ quanto altior eſt, tanto ijs profundior eſſe videtur. Iam ſi altitudinis & profunditatis, etiam in rebus naturalibus tanta vnio eſt, cur non eandem in rebus ſpiritualibus inter magnitudinem & humilitatem reperiri poſſe exiſtimemus? Eſt ergo hoc planè illud conſilium à Spiritu Sancto profectum, quo monemur tanto vt humiliores ſimus, quanto in altiore dignitatis gradu fuerimus conſtituti. Porro quem non ad humilitatem inuitet ſtrictiſſima illa ratio, quam omnes Magnates Deo reddere debent, ſicut præclarè D. Gregorius animaduertit dicens: *Dum creſcunt dona, rationes etiam creſcunt donorum.* Vnde conſequitur quod *Tanto humilior atque ad ſeruiendum Deo promptior quiſque debet eſſe ex munere, quanto ſe obligatiorem eſſe conſpicit in reddenda ratione.* Atque per huius planè rei conſiderationem Spiritus Sanctus Reges ad Iuſtitiam, ac ſapientiam amplexandam exhortari voluiſſe videtur cum diceret: *Exiguo conceditur miſericordia, potentes autem potenter tormenta patientur. Non enim ſubtrahet perſonam cuiuſquam Deus, nec verebitur magnitudinem cuiuſquam: quoniam puſillum & magnum ipſe fecit, & æqualiter cura eſt ei de omnibus. Fortioribus autem fortior inſtat cruciatio:* Et poſtea concludens inquit: *Ad vos ergo Reges ſunt hi ſermones mei, vt diſcatis ſapientiam, & non excidatis.* Itane vero? Poteſt fieri vt Principes, & Magnates ſe non humilient, vt non toti contremiſcant, audientes dignitatem poteſtatemque illam maiorum tormentorum cauſam, ijs futuram? Quod ſi etiam iſtis non mouentur, neque vt ſe humilient adducuntur, conijciant ſaltem oculos in humilitatem Ieſu Chriſti, qui cum triumpho vrbem Hieroſolymitanam ingreſſurus, vili iumento, non phaleris aut ſericis pannis ornato, ſed depexis Diſcipulorum ſuorum veſtibus inſtrato voluit inſidere.

Altitudinis et profunditatis vnio.

Creſcentibus donis creſcunt debita.

Hom. 9. S. Euan.

Sap. 6.

Humilitas Chriſti.

Impoſuerunt ſuper eos veſtimenta ſua. Poſtquam Apoſtoli,

li,ſicut imperatum erat,aſinam cum pullo nudam adduxiſſent,dedecere rati Ieſum Chriſtum ſummum noſtrum Pontificem,ita in vrbem inuehi, veſtimenta ſua iumento impoſuerunt. Videns autem populus Apoſtolos ita diſcinctos,atque exutos,ſaga ſibi etiam ſua exuit,terramque ijs operuit,indignamque illam eſſe exiſtimans,quæ pedes iumenti tam ſanctum onus portantis contingerent. Videte proinde vel ex hoc loco Auditores quantum Superiorum exempla valeant, & quomodo ijs Deo pallia ſua offerentibus, inferiores ſaga ſibi ſua detrahant, & eleemoſynarij cōfeſtim euadant. Si autem Superiores è contra auari,ac immiſericordes ſunt, inferioribus repente etiam vitium illud adfricatur; prout ex Epulonis Euangelici domeſticis liquet, qui æquè ac illorum Herus pauperes aſpernabantur. Lazaro ergo micas tantum petente,*nemo illi dabat*,quia videlicet Patrifamilias non placebat bonorum ſuorum,vel leuiſſimam portiunculam in pauperes erogari. Hic autem populus Apoſtolorum erga Seruatorem noſtrum liberalitatem intuens,veſtimenta ſua in terram cōtinuo proſternit. Non mirabor ego cæterum Auditores Ionatham, qui vt Dauid vnicè ſibi carum tegeret, ſemet amictu ſpoliauit: Non ſuſpiciam Eliam quod curru igneo in cęlum euectus pallium ſuum Diſcipulo dedit: Non D. Martinum Epiſcopum, qui pauperi clamydem ſuam per medium diſſectam donauit: non etiam D. Franciſcum,qui liberius Ieſum Chriſtum ſecuturus coram Epiſcopo Aſſiſienſi ſeipſum nudare non dubitauit. Quid enim amabò illi fecerunt, aliqua quod ſaltem ex parte cum populo illo poſſit comparari? Ionatha facilè erat Dauidi amictum ſuum donare,cui ante cor dederat. Poterat non difficulter Elias Eliſæo Diſcipulo tunicam ſuam elargiri,qua nec ipſe amplius egebat,& verò Diſcipulus pro ſua conſolatione opus habebat. D. autem Martinus & D. Franciſcus pro illius amore veſtimentis ſe ſpoliauerunt,quem verum Deum eſſe ſciebant, & cui ſe longè plura adhuc debere intelligebant. Iſti autem homines ex fœce vulgi,qui vix ac ne vix quidem Chriſtum cognoſcebant,qui cum eo familiarius nunquam conuerſati fuerant, adeo promptè veſtibus ſemet ſpoliantes, non Seruatorem noſtrum veſtire, ſed plateas ac vicos inſternere voluerunt: omni interim

Superiorum exempla maximè ſubditos mouent.

Luc. 16.

Diſcipulorum liberalitas & plebis.

rim

rum timore ſepoſito, neque hortulanos metuentes quorum palmas & alias arbores ramis exuebant, Seruatoremque noſtrum inſpectantibus illius capitalibus inimicis Regem appellabant, & tanquam à vero Deo peccatorum ſuorum veniam repoſcebant. Itane vero? Quis non admiretur adeo parum nos pro Deo noſtro facere, qui tot ac talia pro nobis facere non dubitauit? Quis ex vobis Auditores mei Deum ſuum in pauperis perſona veſtiturus ſemet veſtibus ſpoliauit? Quis pallium ſuum nudo dedit? Quis & quotus ex vobis veſtem depexam, attritam, & à tineis arroſam, indigo elargitus eſt? Aut quis lacernas in domus angulis putreſcentes pauperi donauit? Mihi credite, conſurget aliquando in extremo Iudicij die Iudaicum illud vulgus, vt videlicet vos Chriſtianos condemnet, qui adeo duri, ac immiſericordes erga pauperes Ieſu Chriſti extitiſtis.

Ad liberalitatē exhortatio.

Turba autem quæ præcedebant, & quæ ſequebantur, clamabant dicentes, &c. Non pauca, imò multa in Seruatoris noſtri illo in ciuitatem Hieroſolymitanam ingreſſu videntur nobis eſſe conſideranda. Primum eſt ordo, quem populus ille, qui Chriſtum ſtipabat, & comitabatur ſeruauit. Neque enim omnes illum antecedebant, ſed multi etiā ſubſequebantur, repræſentantes Iudaicum, & Gentilem populum, qui cum Domino noſtro vniri debebant, quemadmodum D. Paulus ad Epheſios docet, cum ait: *Vt duos condat in ſemetipſo in vnum nouum hominem, faciens pacem, & reconcilians ambos in vno corpore, Deo per crucem.* Qui ergo Seruatorem noſtrum præcedebant, hi populum Iudaicum, Ethnicos qua dignitate, qua Dei cognitione præcedentem repræſentabant. Qui autem ſubſequebantur, populum Gentilem nobis præfigurabant. Idem autem omninò myſterium etiam per aſinam, & pullum quibus Seruator noſter inſedit fuit declaratum. Conſtans namque omnium Theologorum ſententia eſt, aſinam quæ iam oneribus aſſueuerat, & cui Seruator noſter primo inſedit, Iudæos legis ſarcinæ aſſuefactos ſignificare, quibus etiam Seruator noſter omnium primo fuit appromiſſus. Per pullum autem indomitam, & cui nemo adhuc inſederat, Gentiles denotabantur, qui necdum legi vlli ſubiacebant, ſed liberi ac indomiti vſque ad

Quid populus præcedēs & ſubſequens ſignificet.

Cap. 5.

Aſina Iudæos, pullus Gentiles præfigurat.

Serua-

Seruatoris noſtri aduentum permanebant. Secundo obſeruandum fuerit omnia in triumphali hoc ingreſſu præpoſtere, & contra communem mundi ordinem fuiſſe geſta. Videmus enim in Regum magnorumq; Principibus ad vrbem aliquam acceſſibus, eos qui præcedunt plurimum ſumptus ac operæ illuc conferre, vt egregie compti ornatiq; ſint. Hic autem tantum abeſt vt noua veſtimenta induantur vetera ad duo myſteria patefacienda exuuntur. Alterum eſt, quod ad Ieſum Chriſtum excipiendum veterem hominem exuere debeamus. Alterū inter Ieſu Chriſti ac aliorum Regum Maieſtatem differentia. Vti enim iſti naturalem poteſtatem authoritatemque non habent, quia morti interituique ſunt obnoxij, ita neceſſe habent exterius coli ac obſeruari. Seruator autem noſter qui Rex natus fuit, quique Rex erat antequam naſceretur, quem D. Paulus Regem ſæculorum, inuiſibilem ac immortalē vocat, cum authoritate naturali ſummaque Maieſtate præditus eſſet, non veniebat de cœlo in terram vt honoraretur, ſed vt ipſe homines honoraret: Ac ideo ad authoritatem acquirendam nullo externo habitu indigebat. Noluit proinde ſe excepturos nouis veſtibus indui, ſed ijs etiam quæ ornatui eſſe poterant exui Ob eandē planè cauſam in hunc mundum veniens non in ſuperbo aliquo palatio, ſed in ſordido ſtabulo ac aranearum tantum telis inſtrato naſci voluit, reddente diuinā præſentia ſtabulum illud quolibet palatio nobilius. Et ideo Bethlehem celeberrima vrbium Iudaicarum fuit, non ob aliam quam ob Dominicæ Natiuitatis cauſam, dicente Propheta. *Et tu Bethlehem terra Iuda, nequaquam minima es in principibus Iuda, ex te enim exiet Dux qui regat populum meum Iſrael*. Qui ergo à ſeipſo tantum authoritatis habet, hic reuera pompa ac apparatu exteriore opus non habet. Tertio ſi ingreſſus ille Dominicus vt Imperatoris alicuius bellici triumphus conſideretur, quod quidem rami ac palmæ ſignificant, res denuo præpoſtere mihi inſtituta fuiſſe videtur. Cum enim Ieſus Chriſtus victor ſit, conueniens planè erat illum manu palmam ferre, reliquos autem ipſum abſque palmis comitari: quippe cum ipſe tantum pugnare debuerit. Hic autem quid? Omnia præpoſtere, & modo contrario: Populus enim palmas in manibus fere-

Cur totius triūphi ordo hic ſit inuerſus.

Mich. 5.

Cur in hoc triūphe omnes palmas geſtens.

Digitized by Google

bat Seruator autem noſter nequaquam, vt videlicet conſtet fructum ex victoria Dominica promanantem nō tam ſuum, quam noſtrum futurum. Etſi enim per paſſionem pro ſe corporis ſui gloriam meriturus erat, deinde nominis ſui exaltationem, triumphum Aſcenſionis, & poteſtatem Iudicis in creaturas vniuerſas, plura tamen pro nobis videtur promeritus fuiſſe: puta vocationem, gratiæ diſpoſitionem, meritorum ſuorum applicationem, naturalia adminicula, dona Spiritus Sanctus remiſſionem peccatorum, primam gratiam, ſeptem Sacramenta, & mille alias excellentias, quibus S. Eccleſia fuit & eſt exornata. Vnde nō male nec immeritò dicere poſſumus illius palmam noſtram videri. Et hoc ſenſu S. Pauli illud accipien-

1. *Co.* 15 dum eſt: *Deo autem, gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.* Merito proinde illi qui Chriſtum comitabantur palmas prætulerunt, tametſi is victor eſſet. Denique in hoc triumpho conſiderandum fuerit, quemadmodum in proſperitate omnis populus illum comitetur, eundem autem poſtea acerbiſſimæ Paſſionis ſuæ tempore nemo deſerat, ac dereliquat:

Donec eris felix, multos numerabis amicos,
Tempora ſi fuerint nebula, ſolus eris.
Aſpicis vt veniant ad candida tecta columba,
Accipiant nullas ſordida turris aues:

Inſtabilitas amicorū exēplificatur. Inquit Ouid. lib. 1. Triſt. eleg 8. & ſunt omninò tales omnes mundi amici, qui ſimulac res deficit, ij quoque animo ſequendi deficiuntur. Quanta cum congratulatione, & acclamatione Dauid poſt Gigantem occiſum Hieruſalem introiuit? Quilibet certè eum proſequebatur, quia

1. *Re.* 18. gratia apud Regem valere illum conſtabat. Simulac autem Saul eum perſequebatur, tum vero ſolus derelictus fuit, ita vt ſacerdos Abimelech miretur quod tam ſolus eſ-

Cap 21. ſet, vt docet ſcriptura. Audi etiam quid Iob de ſe in proſ-

Iob. 29. peritate conſtituto dicat: *Sedebam primus, cumque ſederem quaſi Rex circumſtante exercitu, eram tamen mœrentium conſolator. Senes aſſurgentes aſtabant, Principes ceſſabant loqui, &*

Iob. 6. *digitum ſuperimponebant ori ſuo.* At vide quemadmodum paulo poſt in ſterquilinio iacens, & teſta ſaniem radens dicat: *Ecce non eſt auxilium mihi in me, & neceſſarij quoque mei receſſerunt à me;* Et paulo poſt: *Fratres mei præterierunt*

me

me ſicut torrens qui rapitur tranſit in canalibus. Deus bone! Quid hoc rei eſt, hominem adeo bonum ab omnibus dereliqui? ſi auarus, ſi crudelis, ſi impius foret, admirationē planè nullam factum hoc haberet. Quis autem non obſtupeſcat vidēs hominem moribus ſanctis, & integris ab omnibus planè derelictum? Colligo tanè ex hoc eum nō quia bonus & virtutibus præditus; ſed quia diues erat, fuiſſe honoratum: vnde poſtea diuitijs deficientibus, ipſa quoque ſocietas vniuerſa defecit. O Mundum, ô Mundū, *Mundi*
baculum verè arundineum, ſicut Propheta ait: deficiētem *vanitas.*
in neceſſitate, & manum illi faucianrem qui te ſcipionis *Iſaia 36*
loco vti volebat! Ita videlicet tibi faciendum eſt, vt homines deinceps tibi amplius non fidant, ac manifeſtè intelligant quam vanæ fallaceſq; amicitiæ tuæ omnes ſint. Hæc nobis Auditores ſtimuli loco eſſe debēt, quo facilius mundum execremur, ac omnes ſpes noſtras in vno Deo collocemus. Expertus fuit illum Patriarcha Ioſeph, cum à fratribus in ciſternam conijceretur, ac poſtea ope adulteræ in *Gen. 37.*
carcerem retruderetur. Hinc clarè & expreſsè ſcriptura *& 39.*
inquit: *Hæc venditum iuſtum non dereliquit, ſed à peccatori-* *Sap. 10.*
bus liberauit eum: deſcenditque cum eo in foueam, & in vinculis non dereliquit eum. Poteſtne in mundo amicus reperiri aliquis qui amicū ſuum carceri ingredientem ſuaptè ſponte comitari non dubitet? At nunquid Scriptura nos docet Deum id feciſſe, vt nimirum liquido intelligatur, quemadmodum amor Dei à mundi amore differat. Mihi credite, cum ab vno Deo diſceſſeritis fidum ſincerumq; amicum non inuenietis. Quod ſi mundus Filio Dei fidem non *Chriſtus*
præſtitit, quomodo amabò tibi illam ſeruaturus eſt? Con- *hic ſe om-*
ſiderate itaq; nunc deuoti Chriſtiani myſteria in hoc triū- *nium Do-*
pho contenta, & inuenietis Seruatorem noſtrum omniū *minū de-*
ſe rerum vniuerſalem Dominum in illo monſtrauiſſe. *monſtrat*
Alijs certè temporibus morborum Dominum ſe demonſtrauit, ægrotos ſanando: alias animarum peccata dimittendo: alias cordium intima illorum ſenſa reuelādo. Hoc autem die omnium ſe Dominum oſtendit, ac demonſtrauit. Populi, quem ad ſe præeundum ſubſequendumque excitauit: Bonorum, quia aſinæ Domino ſimpliciter dici iuſſit: *Dominus his opus habet:* Inimicorum, quia eam triumphans vrbem incolumis introiuit, in qua poſtea occiſus

Ii 2 fuit:

fuit: Agricolarum, quia populo frondes arborum reſcindente, nemo oblocutus eſt: Mercatorum quia templum intrans omnes expulit, menſas numulariorum euertit, ac illos ad inſtar latronum excepit: Sacerdotum, quorum nemo vel hiſcere contra audebat: Infantum, qui Deum laudaturi materna vbera dereliquerunt. Quid multis? omnia illi in præſentiarum obediunt, quia poſt paucos dies ipſam etiam mortem ac infernum pariter debellabit. Nec adhuc æquum tibi videtur ô Chriſtiane, illi vt te ſubijcias, atque ſubmittas? Vt Regem hunc agnoſcas? Et vt Domino tuo inſeruias? Inſerui ſane ô homo vt præmij, ac mercedis loco gratiam in præſenti vita, & in futura gloriam ſempiternam tibi imperiat: *Quam mihi, & vobis, &c.*

CONCIO QVADRAGESIMAPRIMA PRO FERIA SECVNDA SEPTIMANÆ SANCTÆ

Ante ſex dies Paſchæ venit Ieſus Bethaniam, &c. Ioann. 12.

Hæc vnctio qua Chriſtus vngitur. Extremum vnctionem præfigurat.

QVEMADMODVM ijs, qui in extremo mortis articulo conſtituti ſunt, extrema vnctio ſolet conferri; ita hodierna die Seruator noſter vltimam vnctionem accipit, vt morti proximum illum eſſe oſtendatur, Hæc autem vnctio neutiquam Sacramentum eſt, quemadmodum ea quam Eccleſia Catholica agonizantibus impertit, tametſi myſterij referta, extremam etiam noſtram vnctionem præfigurare videatur. Exhibet itaque nobis Maria Magdalena Eccleſiam Catholicam, illius fideles Ieſus Chriſtus, vltimi autem noſtri Sacramẽti oleum, liquor ille quo humani generis vindex fuit perfuſus. Et accepit eandem poſtremam vnctionem ipſis ſex ante mortẽ diebus, vt videlicet Chriſtiani omnes intelligant, extremam vnctionem non in vltimum vitæ punctum, quando homo quid dicatur, quidue ſecum geratur vix, ac ne vix quidem intelligit, eſſe differendam, ſed eo tempore recipiendam,

quo

Digitized by Google

quo Sacramenti cauſam conſiderare, illud grata animi ſignificatione acceptare, Deoque gratias perſoluere poteſt, qui fideles, adeo periculoſam viam ingreſſurus, eo tanquam viatico inſtruere voluit. Quamuis autem hodierna die B. Maria Magdalena Seruatorem noſtrum inunxerit, eundē tamen multo ante, hoc eſt in mundi ingreſſu, Deus Pater Spiritu Sancto inunxit, quemadmodū Regius Propheta Dauid intellexit, conferendo illi ab inſtanti ſuæ cōceptionis, hoc eſt, quando humana ac diuina pariter natura in vnam coaluerunt gratiam omnis menſuræ expertem. Idem autem Deus Pater hodie quoque Filium ſuum vngi vult, antequam geminæ illæ naturæ à ſe inuicem ſeparentur. Vetus conſuetudo eſt quod Reges, & Sacerdotes vngebantur, prout ex diuerſis ſcripturæ locis apparet. Ieſus autem Chriſtus qui ſecundum Dauidis prophetiam Rex & Sacerdos pariter erat futurus, eum mūdum introiret, quatenus Rex & Sacerdos inungi vtrique debuit: *Iurauit Dominus*, inquit Rex Dauid, *& non pœnitebit eum; tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech*. Quæ verba Apoſtolus reſpiciens ad Hebræos ſcribit: *Melchiſedech Rex Salem, Sacerdos Dei Summi, primum quidem qui interpretatur Rex iuſtitiæ. Deinde autem Rex Salem qui eſt Rex pacis, ſine patre, ſine matre, ſine genealogia, neque initium dierum, neque finem vitæ habens, aſſimilatus autem filio Dei, &c.* Filio inquit Dei, qui idcirco Sacerdos dicitur ſecundum ordinem Melchiſedech, non autem ſecundum ordinem Aaron: Regalis enim & Sacerdotalis dignitas non æquè in Aarone, vti in Melchiſedech fuerant coniunctæ. Non debebat ergo Ieſus Chriſtus quatenus Rex, & ſacerdos abſque vnctione mundum introire. Quin cum etiam nos relicturus ac viſibiliter ex hoc mundo egreſſurus eſſet, ſimiliter vngi voluit, vt videlicet conſtaret eum veluti bonum Regem pro Regni ſui libertate mori, & tanquā Sacerdotem pro populo ſibi commendato ſemet immolare. Fuit quoq; apud veteres receptum, vt pugiles & luctatores vngerētur; quanto autem iuſtius Seruator noſter vngi voluit, paulo poſt contra Mortem, Diabolum, & Infernum præliaturus, ac cum ijs acerrime luctaturus? Atque eodem omninò fine ægrotis extrema vnctio confertur, quippe qui mox cum Diabolo conflicturi ſunt, qui eo tem-

Chriſtus à primo inſtanti fuit vnctus.

Pſal. 44.

Reges & Sacerdotes vngi ſolent.

Leu. c. 8. 1. Reg. 9. 10. 15. 16.

Pſ. 109.

Cap. 7.

Luctaturi inūgitur.

temporis puncto acrius homines ſolet adoriri, ſciens quē in poſtremo hoc conflictu terræ afflixerit, nunquam amplius ſurrecturum. Videmus ergo in hodierno Euangelio Seruatorem noſtrum quatenus Regem, Sacerdotem, & pugilem fuiſſe inunctum. Nunc ipſius vnctionis myſteriū examinantes, quis eam conferat, quibus modis detur, & quando illa accipiatur perpendamus.

Maria autem accepit libram. Dico proinde inprimis deuotam Magdalenam vnctionem illam contuliſſe. Accipiēs enim illa vaſculum Alabaſtri plenum vnguento ex ſpica nardi compoſito, domum Simonis Leproſi introiuit, in qua Seruator noſter vna cum Lazaro menſæ erat accubiturus, accedenſque ad illum pedes ei inunxit, ac ſicut alias apud Phariſæum fecerat, crinibus inunctos extersit. Non legimus autem eo tempore illam fleuiſſe, quia videlicet peccatorum ſuorum ſordes prima ſtatim vice ſufficienter eluerat. Non contenta quoque pedes illi vnxiſſe, ipſum vaſculum Alabaſtri confregit, vnguentumq; omne in Filij Dei caput effudit, odore illius vniuerſam domum peruagante. Vnde neceſſe fuit admodum pretioſum id fuiſſe, tametſi non omnibus perinde illud videretur. Iudas namque perditum id exiſtimans dixit: *Vt quid perditio iſta vnguenti facta eſt?* Nunquid ſatius erat illud venundare, pretiumq; ex eo collectum in pauperes erogare? Hæc cum cæteri Diſcipuli audirent, neq; tamen aduertent Iudam auaritiam ſuam pauperum zelo tegere, murmurare inceperunt, exiſtimantes ſatius eſſe argentum illud inter egenos diſtribui. Magdalena verò conticuit, quippe quæ alias didicerat cui bono eſſet ſilere, quando videlicet Phariſæo cōtra illam murmurante, ſororeq; Martha otioſam illā exiſtimāte quod ſecus Domini pedes ſederet, ipſe Seruator illā defendit, dicens: *Sinite illam, bonum opus operata eſt in me. Quod habuit hoc fecit; præuenit vngere corpus meū in ſepulturā.* Si.n. ante mortem meā non feciſſet, poſt eā nunquā facere potuiſſet, tunc.n. mortuū quærens reſuſcitatum inueniet. Tantum autē abeſt vt repræhenſionem mereatur, è contra vobis dico: *Vbicunq; prædicatum fuerit hoc Euangeliū in vniuerſo mundo, & quod fecit hoc narrabitur in memoriam eius.*

Inſiſtamus proinde huic loco parumper, Auditores cum S. Chryſoſtomo, admodū enim multa conſideratione digna

Magdalena deuotio.

Magdalena tacēdo hoſtes ſuperat.

Luc. 10.

Sup. S. Mat. ca. 26.

digna in verbis iſtis occurrunt. Itane verò? inquit S. Doctor. Et quid adeò eximium in vnctione iſta eſt, cuius Seruator noſter perennem memoriam eſſe, quodque per vniuerſum mũdũ cupit publicari? Quis opus illud in toto terrarum orbe prædicauit? Certè plurimorum Regũ ac Imperatorum heroica facinora, ita vetuſtatis tenebris inuoluta ſunt, vix vt aliqua ex parte appareant. Multi ciuitates cõdiderunt, muros duxerunt, bella geſſerunt, trophæa erexerunt, prouincias ſubiecerũt, ſtatuas poſuerunt, ac alia ad memoriam ſuam propagandam monumenta ſtatuerunt, quæ temporis tamen ſitu interciderunt. Mulierem autem diſſolutam, nullo in theatro conſtitutã, ſed in priuata domo coram duodecim teſtibus verſantem, apud Indos, Scythas, & Barbaros, atque in remotioribus multo inſulis habitantes debere innoteſcere, quis non miretur, & tanquam myſteriũ ſuſpiciat? Atq; hic D. Chryſoſtomi diſcurſus eſt, qui non immerito admiratione poterat percelli. Quod ſi etiam Dei conditionem, & Magdalenæ iuxta deſideria ex ardentiſſimo amore procedentia conſideremus, Deo ſeruituti adminiſtrationem ſeponemus, ſanctamque illam matronam imirabimur. Non conijcit Deus oculos ſuos in id quod ſibi offertur, magis autem in deſiderium donantis, ac in affectum à quo illud promanat. Hinc munera leuia ac exigua cum magno affectu ſibi oblata maximi facit, præſertim ſi calida donantis iuxta deſideria animaduertat: & è contra pretioſiſſima dona ab exiguo, & tepido profecta amore vilipendit. Ita S. Paulus ad Corinthios ſcribens multus eſt in dono Prophetiæ, in myſteriorum diuinorum cognitione, atque in fide montes transferentes commendatione: quæ tamen eadem omnia ſine charitate nulla eſſe dicit, quod nimirum charitas verus amor eſt, quo abſente res vt aliqua quippiam valeat, inter ea eſt quæ fieri non poſſunt. Amor, & Deus honeſtum inter ſe bellum gerunt, nam, ſicuti S. Thomas poſt D. Bernardum docet, perfecti amoris proprium eſt: *Operari magnus, & reputare parua: operari multa, & reputare pauca; operari diu, & reputare breui.* Deus autem quid facit? Videns Amorem magna parui facere, multa pauca iudicare, longa breuia exiſtimare, ſimulque aduertens ex animo ab homine ſe diligi, parua magni fac.t, pauca multa inter-

Deus nõ doni, nec donantis dignitatem, ſed affectum æſtimat.

Dei, & amoris amicum bellum. Opuſcu. lo de Dilectione Dei.

pretatur, & breuia longa opinatur: nolens videlicet in certamine adeo honeſto ſuperari. Fecit proinde magni donum Mariæ Magdalenæ Seruator noſter, non quia trecentis denarijs, ſicut à Iuda æſtimatum fuit veniebat, ſed quia ſibi ex animo ab illa oblatum erat, cum deſiderio inſuper maiora, ſi poſſet præſtandi. Hinc Filius Dei dicens. *Quod habuit hoc fecit:* indicare voluit, quod plura non obtulit id vero idcirco factum eſſe, quia plura non habuit; voluiſſet enim dubio procul totum illi mundum obtuliſſe. Vnde etiam hoc vnguentum ſecundum ipſius Filij Dei æſtimationem toti mundo æquiualebat. Quemadmodum ergo Deus Sancti Martini clamydem ſui pro amore pauperi datam Angelis oſtendit, vt quod ſanctus ille vir clam, & in ſecreto fecerat ab omnibus publicatum palam prædicaretur: Ita voluit vniuerſum mundum ſcire, laudareque, quod B. Magdalena coram duodecim teſtibus ſibi præſtiterat. Bono animo, mi frater, & quod pauper es id te quæſo male non habeat. Si enim Deo pauxillum illud quod habes amore, & deſiderijs cumulatum offeras, faciet non minoris id, quam duas illas viduæ Euangelicæ drachmas in gazophylacium conjectas.

Qui quod habet offert ſummũ offert.

Luc. 21.

Maria ergo accepit libram, &c. vſque terſit. Seruator noſter Magdalenæ illam vnctionem non modo ob eximiam conferentis charitatem, ſed etiam propter multa alia myſteria, ac illuſtria in illa contenta exempla accepit. Ideo enim in toto paſſim terrarum orbe decantari illam voluit, vt quotquot verba de ea fieri audiuiſſent, eximia illius myſteria conſiderarent, & exempla iuxta imitarentur. Ac primo quidem loco cum S. Auguſt. capillos pro corporis ſuperfluitatibus, pedes vero Ieſu Chriſti myſtice loquendo, pro pauperibus, & indigentibus accipiamus. Si n. vniuerſa Eccleſia prout D. Paul. docet, vnum tantum corpus eſt, eius autem caput Ieſus Chriſtus, & pars omnino infima (iuxta vulgarem opinionem) pauperes ſunt, luce reuera meridiana clarius eſt, pauperes myſtici huius corporis pedes eſſe, qui in ijs, quæ corporis laborem concernunt, totius Reipub. molem ac machinam ſuſtinent. Nam vt inquit Auguſt. *Si habes ſuperflua da pauperibus, & Domini pedes terſiſti Tibi ſuperflua ſunt, ſed pedibus Domini neceſ-*

Moralis allegoria huius vnctionis.

Auguſt. Trac. 50 in Ioan.

Rom. 12 & 1. Co. 10.

neceſſaria: Forte in terra pedes Domini indigent. Vnge pedes Domini bene viuendo Dominica ſectare veſtigia. Quod ſupereſt, *Luc. 11.* dicebat Ieſus ad Phariſæos, *date Eleemoſynam*. Non vult *Exod. 10* Deus ſuperfluum perire, aut otiari, & ideo illud in pauperes iubet erogari. Inter cæteras Agni Paſchalis cæremonias hæc quoque erat, vt qui cum ſuis domeſticis integrum illum comedere non poterant, vicinos aduocarent, reliquum inter eos partituri, nolebat enim vt quæ ſupererant perirent. Verum conſiderate vobiſcum adhuc paulo attentius, quam apte ac bene D. Auguſt. bona ſuperflua capillis comparet, quo ita accuratius ſenſum mentemq; illius perſpiciatis. Capilli ad hominis ſubſtantiam nihil, ad ornatum autem aliquid faciunt; ita ſplendida, ſuperbiſſimaque ædificia, fimbriatæ feneſtratæque veſtes, pediſſiquorum ſeruorumque agmen, ſybariticæ, & exquiſitæ epulæ, non de ſtatus conditioniſque tuæ ſubſtantia ſunt, ſed ad illius tantum ornatum pompamque faciunt, quæ tu falſa opinione perſuaſus ad aliquem in mundo locum tenendum putas eſſe neceſſaria. Quemadmodum deinde capillos in capite portas, ita diuitias quas pedibus proculcare debebas in ſummo loco conſtitutas ſummi maximeque facis. Iam ſicut etiam capillus prolixior caput grauat, dolorem excitat, vnoque hoc opus habet, vt forfice reſecetur: ita fluxa caducaque illa mundi huius bona, mille inquietudines, curas, moleſtiaſque pariunt, quibus tu liberari non potes, niſi ſuperfluas facultates amputans, pauperibus elargiaris. Conſidera proinde Dei bonitatem, miſericordiam, ac liberalitatem, qui pro rebus ſuperfluis ac caducis cælum tibi elargiri non dubitat. Tolle inquam ſuperflua illa periſtromata, aufer aureas, argenteaſque illas fimbras, vanitatis tantum adminiſtras, amolire inquam inutile illud famulorum agmen, & habebis capillos quibus pedes Ieſu Chriſti extergas. Congere in hos mihi pedes quo affluis, & videbis illico eum capiti illud imponere. Aequumne tibi videtur caput tuum ſuperfluis ornamentis grauari, pedes autem Ieſu Chriſti nudos à frigore grauiter affligi? O inhumanitatem cordibus humanis indignam! Diſcite cum Magdalena, quod vobis ſupereſt fructuoſe impendere: noliteq; adeò temere, & inutiliter ea perdere, quibus cælū vobis

Cur bona ſuperflua capillis comparentur.

Pulchra ad eleemoſynā faciendam exhortatio.

vobis poteſtis comparare. Impium eſt pluris veſtros capillos, quam Ieſu Chriſti pedes totius corporis pondus ſuſtinentes, æſtimare. Impium eſt maioris tuum ſuperfluum, quam pauperum penuriam facere, qui ſępenumero Deum iamiam ad macellum nos pertracturum retinent, placant atque exorant.

Pulchra conſideratio. *Vnxit pedes eius, & extersit capillis ſuis*. Primo pedes illi vnxit, mox eoſdem capillis exterſit & conſequenter maiorem vnguenti partem aſportauit; quemadmodum linteum pedes extergens plus aquæ ſecum aufert, quam relinquat. Vtinam opulenti veritatem iſtam intelligerent, perſuadereque ſibi poſſent, ſe, cum eleemoſynam pauperi præbent, Dominicos pedes lauare, ac plus quam reliquant vnguenti ſecum aſportare. Caueant ne Iudæ ſimiles efficiantur, qui perire putabat quod in egenos diſtribuebatur. Certum enim ac indubitatum eſt bona, & opes modo iſto non accidi atque imminui, ſed creſcere atque augmentari:

Eccl. 11. *Mitte panem tuum*, inquit Spiritus S. *ſuper tranſeuntes aquas, & poſt tempora multa inuenies illum*. Quo in loco Eccleſiaſtes Metaphorã ab ijs mutuatur, qui frumento naues onerantes, alio vbi cariore pretio id vænit tranſmittunt. Qui enim mercaturæ ignarus eſt, is exiſtimare poſſet frumentum in aquam ita conijcere, eſſe id perdere, cum nihilominus contrariũ plane verum ſit. Etſi.n. Mercator ad tẽpus id aliquod non videat poſtea tamen id portu inuenit, ac magno ſuo bono ac fructu vendit. Vnde frumẽtum ſuum in aquam mittere, eſt diteſcere, & alterum tantum, imò cẽtuplum lucrari: Vide proinde quid Spiritus S. dicat. Obtempera meo conſilio, porrige panem tuum ijs qui aquas tribulationis pertranſeunt, id eſt pauperibus, ſubueni eorum neceſſitati, & accidet tibi quod mercatori euenit, qui longo tempore elapſo frumentum ſuum in portũ inuenit, ac illud magno cum lucro diſtrahit, atq; diuendit. Manus pauperum naues quædam ſunt, quibus merces alio tranſuehuntur. Ita S. Laurentius poſtquam Eccleſiæ theſauros in pauperes erogauiſſet, tyrannos eos exigenti dixit;

Eleemoſynarum merces.

In Breuiario Roman. *Facultates Eccleſiæ quas requiris in cæleſtes theſauros manus pauperum deportauerunt.* Verum non tractemus in præſentiarum de remuneratione, quam eleemoſynarij in cælo recipiunt, ea namque per ſe clara, euidensque eſt: Videamus

mus

mus potius quam in mundo mercedem conſequantur,& confeſtim intelligemus,eleemoſynam facere,eſſe fœnerari. Nam ſicut D. Paulus ait, *Pietas ad omnia vtilis eſt, promiſſionem habens vitæ,quæ nunc eſt,& futuræ*. Quod ſi in huius veritatis confirmationem viduam illam quæ Eliam eno pia laborantem cibauit in rem præſentem adducatis,fatebitur ſcio ſe pro modico olei & pro farinæ pugillo Prophetæ dato,à Deo olei fontem, & inexhauſtum farinæ promptuarium accepiſſe. Vultis Auditores horrea frumento ſtipare,vultis cellas vino replere? *Honora Dominum de tua ſubſtantia*,inquit Sapiens, *& implebuntur horrea tua ſaturitate,et vino torcularia redundabunt*. Quibus verbis oſtendit eleemoſinarum maiorem melioremque partem cum Magdalena capillis ſuis vnguentum abſtergente reportare.

Eleemoſyna etiã tempora lem mercedẽ habet. 1.*Tim.* 4. 3.*Reg.* 17. *Prou.* 3.

Et fracto Alabaſtro,effudit ſuper caput eius. Tractauimus hactenus Auditores de Magdalena,quæ vnctionem contulit,nunc de eius inſtrumento dicendum eſt,pura vaſe alabaſtri vnguento pretioſo pleno, quod ſuper caput Seruatoris noſtri non fudit ſolum, ſed & fregit, ne quid in eo remaneret,ſeu minima etiam guttula effunderetur. Et fuit per vaſculum plane illud, Ieſu Chriſti Humanitas nobis præfigurata,ac præcipue ſacroſanctum illius corpus,quod in Paſſione penitus confringendum erat,quo gratiſſimus ſancti ſui nominis odor per vniuerſam Eccleſiam diffunderetur. Quam itaque aliam ob cauſam Magdalena pyxidem ſuam fregit niſi vt modum nobis deſcriberet, quem Ieſus Chriſtus obſeruaturus erat, quando nominis ſui famam quam ſponſa *oleum effuſum* appellat toto paſſim orbe erat diffuſurus?Quam inquam aliam ob cauſam,niſi vt nobis inſinuaret Sacroſanctum illius corpus mille vulneribus ad columnam & in Cruce iri proſcimus?Vt ſicut in victoria a Madianitis celata lumina reluxerunt, teſtis quibus illa tegebantur confractis: ita in victoria quam Ieſus Chriſtus de ſuis hoſtibus, quos iuxta Eſaiam erat debellaturus,ſicut in die Madian,nominis eius ſplendor teſta ſui corporis confracta per vniuerſum terrarum orbẽ diffunderetur. Atque hoc vnguentum ab ipſis mundi incunabulis Deus in creaturas ſuas effudit, quando perfectionum ſuarum participes illas effecit: verum pauci admodum

Vas alabaſtri humanitatẽ Chriſti ſignificat. *Cant.* 1. *Iudic.* 7. *Cap.* 9.

dum

dum odorem illum perceperunt, quod videlicet rari omnino erant, qui Creatorem ex veſtigijs ſuis poſſent cognoſcere. Quod cum DEVS videret, voluit aliquanto longius vnguentum illud ſuum, diffundere, pura per Humanitatem IESV CHRISTI, in qua (iuxta Diuum Paulum) *Habitabat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter*. Nihilominus quoad vaſculum iſtud pretioſiſſimum vnguentum continens integrum adhuc fuit, pauci admodum odorem illius perceperunt, quia vix aliqui Seruatorem noſtrum Deum eſſe crediderunt. Quomodo ergo omnes promiſcue odore illius gratiſſimo afflabuntur? Frangendum eſt vaſculum iſtud, corpuſque Sacroſanctum in arbore Crucis aperiendum, tota vt Eccleſiæ domus per vniuerſum diffuſa orbem illius odore perfumetur. Hinc qui proximi, cum frangeretur fuerunt, ij omnium primo eum perceperunt, quemadmodum Centurio, qui Deum illum confeſſus eſt &, iuſtus Latro qui diuinitatem eius agnoſcens orauit quatenus ſibi aditum in regnum ſuum patefaceret; nonnullique deinde alij qui pectora ſua ferientes cum planctu & gemitu domum reuertebantur. Fuit & inter hos &, Diuus Dionyſius Areopagita, quia eodem momento quo vaſculum frangebatur, eius odorem Athenis perſenſit, deprehendens per extraordinarium ſolis defectum, eum qui patiebatur Deum eſſe oportere. *Aut Deus natura patitur, aut mundi machina diſſoluetur*. Senſerunt eundem odorem & lapides mutuo inter ſe fracti atque colliſi. Senſerunt mortui, qui turmatim ſurrexerunt, velut illum ſepulchris ſuis excepturi & collecturi. Paulo deinde poſt odor iſte adeo longe lateq; diffuſus fuit, nulla vt ſub ſole natio ſit; quam nō Apoſtolorum prædicatio peruaſerit, quorū vox iuxta Dauidem ad inſtar rotæ voluebatur, quæ nō ante curſum ſuum abſoluit, quam vbi ad extremos mundi angulos peruenit. Atque hæc ſatis multa vt opinor de vnctionis inſtrumento ſunt, ſupereſt vt videamus quare Seruator noſter adeo pretioſo vnguento perfundi delinirique voluerit, id namque non ſine iuſta ac graui cauſa factum fuiſſe exiſtimandum eſt.

Colos. 2.

Quod morte frangendū fuit vt orbem impleret.

Marc. 15.

Luc. 23.

Quare vnguentum hoc non venijt trecentis denarijs? Ex his proditoris Iudæ verbis, ſimulq; ex odore ipſius vnguenti, faci-

facile omnino intelligere poſſumus pretioſum admodum id fuiſſe. Nam trecentis denarijs, pecunia tunc vſitata værïebat, qui quinquaginta, & quot excurrunt aureos noſtrates conſtituunt. Inſiſtamus proinde parumper huic loco Auditores, videamusq; quemadmodū Seruator noſter Christus qui adeo parui vitam ſuam concernentia faciebat, quæ ad mortem ſuam ſpectabant maximi exiſtimarit. Certe cum naſceretur præſepi contentus fuit, totoque adeo vitæ ſuæ tempore domum habere noluit, vt in veritate dicere poſſet: *Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos, Filius autem hominis non habet, vbi caput reclinet.* Vis vno verbo ſcire qualem vitam Ieſus Chriſtus duxerit, & quam nihil omnia mundana æſtimarit? Veſtiebatur vt pauper, comedebat vt pauper, imò Recabitarum vitam agebat, quibus per parentes non licebat vel domum ædificare, vel prædia poſſidere, vel prata vineasque habere. Quod ſi è contra oculos in mortis ſuæ apparatum conijcias, mirabile dictu viſoque omnino eſt quanta cum cura Maieſtate, ac ſplendore illum inſtrui voluerit. Certe in hodierno Euangelio extremam ſibi vnctionem à Magdalena donari volens, non qualicunque vnguento contentus fuit, ſed pretioſiſſimum id eſſe, trecentiſque denarijs voluit venire. Cum autem & heri Hieroſolymas ingrederetur, quantus, bone Deus, apparatus, quis populus, quæ cæremoniæ? quis frondem ab arbore non rapit, quis palmas manibus non præfert? quis iumento veſtem non ſubſternit, quis aduenientem non Regem, non Dauidis filium, nō verum Meſſiam ſalutat? Iam & cum Apoſtolis vltimum cænaturus, grande cænaculum, aulęis ornatum, variaqđe ſupellectile inſtructum iubet apparari, ipſum Agnū Paſchalem in lāce ex vnico ſmaragdo confecta, quæ etiamnum Genuæ videtur, voluit apportari, quin & calix ex quo poſtquam eum conſecrauiſſet bibit, Calcedonius fuit, qui hodie Valentiæ in Hiſpania, velut maximus theſaurus aſſeruatur: De ſepulchro autem illius affabre in ſaxum inciſo Eſaias dicit: *Et erit ſepulchrum eius glorioſum:* Cum vero iam Spiritum Deo Patri reddidiſſet, cælum & terram lugere ac funereo tenebrarū pallio voluit inſterni. Quin Regis quoq; titulum quem toto vitæ tempore auerſatus erat, moriens ſuſtinuit, nihilque non exquiſitum, rarum ac inſolens in

morte

Cur Christus in vita pauper, in morte diues.

Matt. 8.

Iere. 35.

Ditiſſimus Christi apparatus ad mortem.

Cap. 11.

morte ſua habuit. At quæro hic ex vobis Auditores, quomodo is qui vitam ſuam adeo vilipendit, mortem tanti facere potuerit ac æſtimare? An vero hic myſterium latere non arbitramini? Voluit nimirum Seruator noſter nobis ſignificare eos, qui vere Dei ſerui audire volunt, pro morte tantum ſua theſauros debere congregare, ea autem quæ vitam concernunt nihili aut parui admodum ducere. Hinc D. Paulus verus Ieſu Chriſti Magiſtri ſui imitator dicebat: *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſumus.* Quod ſi à quopiam maledictis inceſſeretur, ipſe alto & exaggerato animo eũ diſpiciés dicebat: *Mihi autem pro minimo eſt vt à vobis iudicer, aut ab humano die.* Si occurrerent ærumnæ, ſupplicia ac tormenta? clamabat: *Scio, quia vincula & tribulationes Hieroſolymis me manent, ſed nihil horum vereor.* Adeo videlicet finis tantum ſui rationem habebat, ad quem collimans dixit. *Dummodo conſummem curſum meũ.* Atque hæc vnica iuſtorum cura, labor, & ſollicitudo eſt, nam ſicut Propheta Dauid inquit: *Pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum eius.* Et ob hanc cauſam pretioſiſſima quæque in mortis ſuæ tempus reſeruant, omnia facile terra contemnentes, ſolum quæ vitam attingunt. Improbi autem & ſcelerati contrarium prorſus faciunt, quorum cogitationes cum huius tantum vitæ terminis circumſcriptæ ſint, inquiunt: *Coronemus nos roſis, nullum ſit pratum quod non pertranſeat luxuria noſtra,* & alibi; *Ecce gaudium & lætitia, occidere vitulos & iugulare arietes, comedere carnes, & bibere vinum. Comedamus & bibamus, cras enim morietur.* Quid amabò rei hoc eſt? Mortem præuidere, nec tamen curare ac metuere? vitæ exitum cogitare, & de commeſſationibus & ab homine tantum loqui? Quis adeo emote mentis eſt, qui longum aliquod iter terra marine confecturus, ijs ſe ante non inſtruat quæ ad viam neceſſaria eſſe cognouit? Quod ſi inter vos nemo omnino eſt, quem fugiat ſe in hora mortis periculoſiſſimum iter ingreſſurum, per loca ignota multiſque auia inceſſurũ, quid cauſæ eſt quod ad tã longam viã nõ accingimini? Debebat hæc certe princeps noſtra eſſe cura, prout Seruator noſter exẽplo hodie ſuo ĩ Euãgelio demõſtrauit.

Sancti gloriosam mortem quærant. *1. Tim. 6* *1. Cor. 4.* *Act. 20.* *Pſ. 115.* *Impij vitam.* *Sap. 2.* *Eſa. 22.*

Erant autem quidam indigne ferentes. Erãt nonnulli inter Diſcipulos quibus Magdalenæ factũ vehemẽter admodũ diſpli-

diſplicebat, quod videlicet exiſtimarent ſatis fuiſſe pretiũ vnguenti in pauperes erogare, quam corpus Dominicum illo perfundere, quod iuxta eorum opinionem hac delibutione minime indigebat. Huius autem querelæ primus architectus, & author Iudas fuit, qui auaritiam ſuam miſericordiæ zelo contegebat; alij autem vt laudandi ſunt, pauperibus quod compatiebantur, ita vituperandi, quod diſcreti non fuerunt. Verum ſint ſane excuſati cæteri Apoſtoli, quod charitas erga pauperes omni exceptione maior eſſe videtur; iudas certè purgari non poteſt, cum expreſſe, & diſertis verbis Euangeliſta dicat *fur erat.* Erat inquit fur domeſticus, cuius manus, & loculi pruriebant, ad vnguentum illud vendendum, indeq; quod in cæteris faciebat decimam partem ſuffurandum. Cum ecce tamen tibi perditus, & ſceleſtus ille improbum ſuum deſiderium miſericordiæ velo tegere nititur. Nunquam .n. admodum auarũ, *Auari*
ſordidum, ac illiberalem aliquem inuenias, qui non excu- *ſēper ſe*
ſatione aliqua ſordes auaritiamq; ſuam poſſit occultare. *excuſāt.*
Ferunt Dionyſium ſyracuſanum iouis ſtatuã aureo amiculo inſtratam ex delubro ad ſe deferre præcepiſſe, pretioſaq; illa tunica detracta linea eam indui iuſſiſſe, quod diceret in Idoli ſe id gratiã facere, cui aureum amiculum in æſtate iuſto grauius, & hyberno tẽpore æquè frigidius eſſet; Idem cum alio quopiam in fano Aeſculapium auream habentem barbam offendiſſet, eam illi reſecari iuſſit, quod diceret contra decorem eſſe Aeſculapio Apollinis filio, qui imberbis fuerat, barbam velle affingere. Adeo videlicet ille prędonicam ſuam auaritiam religionis, & compaſſionis velo cõtegebat. Pariſplanè modo Iudas pauperum zelum prætendebat ac mentiebatur, quem tamen Euangeliſta furem fuiſſe aperte ſignificat. Vnde D. Chryſoſt. exclamat dicens: O Pernitioſum peſtilentemq; morbum auaritiam, quæ oculos præſtringit, aures obturat, & homines quibuſ- *Auari-*
libet beſtijs crudeliores facit! Hæc cum ſemel mentẽ ali- *tia quã-*
cuius obſederit, tum verò ille nihil planè religioni ſibi du- *tum ma-*
cit, non curat amicitiarum iura, ridet fœdera, peſſundat ſo- *lum*
cium, honorẽ exiſtimationemq; ſuam prodigit, & crude- *Cap 26.*
liſſimæ tyrannidis mãcipium ſemet facit. Hæc Giezi lepra *in Matt.*
perfudit; Ananiam, & Saphiram de medio ſuſtulit. Iudam *4. Reg. 5.*
proditorem fecit, corrupit Iudæos, ſuſcitauit bella, fudit *Act. 5.*

Mar. 14 ſanguinem, ac totum pene terrarum orbem luctu eiulaтuque impleuit. Hanc Apoſtolus Idolorum ſeruitutem appellat, quia nimirum non paucos inter auaros reperias, qui facultatibus ſuis tanquam ſacris abſtinent, ac eas cõtingere non audent. Quin ſicut Idolatræ aurea argenteaque ſua idola varijs in locis aſſeruant, ita & auari theſauros ſuos cuſtodiunt. Honorat ergo alius Diabolum in ſuis idolis, alius autem cupiditatem in ſuis diuitijs, atque hic ipſo Diabolo peior eſt. Diabolus enim adeo ſtrictam obedientiam non exigit, ſed acquieſcit ſi in aliqua ſibi parte ſatisfiat, cum è contra auaritia nullibi non ſibi ſeruiri ſatisfierique velit. Idolatra fictitijs ſuis Dijs tauros & hircos immolat, auaritia non niſi animas. Et ideo Apoſtolus dicit: *Auari regnum cælorum non poſſidebunt*. Hactenus Diui Chryſoſtomi diſcurſum loco huic inſeruimus, quẽ ſi cui alij, Iudæ certè optimè poſſumus accommodare, ſiquidem ille bonorum à Domino noſtro acceptorum immemor, ſocietati inquam adiectus erat oblitus, propriæq; conſcientiæ ratione ſe poſita Magiſtrum ſuum vendere conſtituit, *factusq;* (vti D. Ambroſius ait) *Diues in æſtimatione, & vilis in ſcelere*. Videtis nunc Auditores quo pecuniarum amor mortales pertrahat, quò cupido eos abripiat, & auaritiæ ſordes impellant. Faxit Deus, vt vel inter vos ſimiles Iudæ non reperiantur, qui etiam minore quã Iſcariotes ille pretio Deum ſuum vendere non verentur. Fugite itaque auaritiam, ſeruite Deo, qui omnia adeo liberaliter recompenſat; datè libenter eleemoſynam; hæc enim auaritiæ capitalis hoſtis eſt. Vngite pedes Ieſu Chriſti, qui ſunt pauperes; cogitateque poſſe vos ſuperfluis veſtris facultatibus cœlum coemere, bona temporalia augere, & æterna acquirere. Et quoniam Seruator noſter quatenus Rex & Sacerdos vnctus fuit, proſternamus nos ad illius pedes cum Magdalena, eique tanquam Sacerdoti ſupplicemus, quatenus nos à peccatis abſoluat, & deinde veluti Rex ſua nos gratia ad gloriæ ſuæ Regnum perducat, *Quam mihi & vobis, &c.*

Epheſ. 5.

1. *Cor.* 6.

Lib. 3. *de Spirit. S. cap.* 18.

CON-

CONCIO QVADRAGESIMA SECVNDA PRO FERIA TERTIA SEPTIMANÆ SANCTÆ, DE infructuoſa Iudæ Pœnitentia.

Videns Iudas quod Ieſus damnatus eſſet, pœnitentia ductus, retulit triginta argenteos, &c. Matt. 27.

QVi heri ex vobis Auditores Iudam, vt diteſceret, Magiſtrum ſuum vendere conſtituentem viderunt, ij hodierna die prouerbio illi vulgari veritatis adſtipulabuntur, quod ait, Bona malis artibus corraſa ac parta poſſe dilabi ipſum vero malum acquiſitum poſſeſſorem ſuum, atque adeo ſeipſum perdere conſueuiſſe. Ait namque Euangeliſta Iudam ab auaritia ad deſperationem adactum ſeipſum in reſtem inſeruiſſe, atque ita è ligno penſilẽ infelicem animã ſibi præfocauiſſe. In quo paulinũ illud adimpletũ eſſe videmus: *Qui volunt diuites fieri, incidũt in tentationẽ, & in laqueũ Diaboli*; quippe cũ Ducẽ adeo pernicioſum ſecuti, aliũ plane finẽ ſortiri non poſſint Rationes autẽ & paſſus, quibus infelix ille proditor ad tã miſerabilem vitæ exitũ decurrit, iſti ſunt: Argenti fames & pecuniarũ ſitis, qua ille, horrendũ dictu, extimulatus, Magiſtrũ ſuũ vendere nõ dubitauit. Etſi enim facinoris quod aggrediebatur grauitatẽ ipſe ſatis intelligeret, Diabolo tamen eã illi eleuante factũ eſt, vt exiſtimaret Deũ miſericordiarũ patrẽ facile admodũ huius ſibi peccati veniã eſſe facturũ, ipſumq; adeo Filiũ Dei hoſtium manibus traditum, ſicut alias fecerat, tunc quoque eſſe elapſurum. Proponendo ergo Diabolus illi inquantum Seruator noſter peccatores diligeret, quamq; clementer ijs peccata ignoſceret, animos è veſtigio illi adhoc facinus perpetrandum addidit, &. nec vel vnicum eum

Quomodo Iudas adimmane flagitium & infelix ſuſpendium ſit ĩductus.

1. Ti. 6.

Theoph. in Mat. cap. 22.

KK momen-

Digitized by Google

momentum feriari paſſus eſt, quin non continuo ſuggeſtum ſcelus aggrederetur. Abit ergo ad Principes Sacerdotum capitales Ieſu Chriſti hoſtes & cum ijs paciſcitur, ſe triginta denarijs Magiſtrum ſuum illis eſſe venditurum. Venditione facta, argentoque accepto quem finem res ſpectaret cogitare incæpit; videnſque Seruatorem noſtrum iam tum condemnatum à iuſtitiæ executoribus ad mortem perquiri, mirabiliter turbat ac æſtuat. Cum ecce idem Sathan paulo poſt qui ante facinus illi extenuarat, reuertitur, factique enormitatem ei ob oculos conſtituens anxium & perplexum in deſperationem propellit. *Mat. 27.* *Videns Iudas*, inquit S. Matthæus, *quod Ieſus damnatus eſſet, pœnitentia ductus, retulit triginta argenteos, principibus ſacerdotum dicens, peccaui tradens ſanguinem iuſtum.* Cui obſtinati illi reſponderunt: *Quid ad nos? Tu videris.* Iudas ergo pecunia in templum coniecta recti collum inſeruit, ac ſeipſum penſilem fecit. Ex quibus verbis, quis omnino non intelligit veriſſimum eſſe quod in principio dicebam, mala videlicet parta poſſeſſorem ſuum ad interitum perducere? Iudas enim pecunia ſua pro qua tanto ſe facinore contaminare non veritus erat, frui omnino non potuit. Vnde non pauca ea ſuper re conſideranda nobis eſſe videntur. *Ber. ſup. Cantic.* Et primo quidem cum S. Bernardo conſtituamus Deum duobus ad animam pedibus accedere, puta iuſtitiæ ac miſericordiæ, quorum iſte timorem, hic vero ſpem & charitatem ſuſcitat. *Pedes Domini iuſtitia & miſericordia.* *Crura eius*, inquit Sponſa, *columnæ marmoreæ fundatæ ſuper baſes aureas.* *Cant. 5.* Vbi obſerua, marmor, propter naturale ſuum frigus Iuſtitiæ ſymbolum eſſe quæ timorem & reuerntiam hominum mentibus ingenerat. Aurum autem, quod hominum corda lætificat, miſericordiam repræſentare, quia in toto terrarum orbe nihil æque hominem erigit & conſolatur, quam miſericordiæ diuinæ conſideratio, adeo vt per marmoris, & auri in Dei pedibus coniunctionem, eiuſdem nobis Iuſtitia miſericordiaque repræſentetur. *Iuſtitiæ & miſericordiæ ſymbolum.* Videant proinde peccatores, inquit Diuus Bernardus, quemadmodum Deum ſuum accedant, caueantque vno tantum pede illum adire. Ita namque Magdalena Seruatorem noſtrum adiens geminos illius pedes oſculata eſt & lauit. Ideoque S. Lucas Euangeliſta vocem illam pedes ter repetit in vna periodo, dum ait:

Stans

Stans retro ſecus pedes eius lachrimis capit rigare pedes eius, & capillis terſit, & deoſculabatur pedes eius. Si enim tantum lauiſſet, oſculataq; fuiſſet, vtriq; ſeipſam perdidiſſet Ego certè, inquit S. Bernar. quoties alterum iuſtitiæ pedem conſidero, grauitate meorum peccatorum, iuriſq; diuini rigore oppreſſus propemodum deſperare incipio. Si autem ſolum Miſericordiæ pedem amplectar, tum vero nimium diffluo, & maiore quam par eſt confidentia meipſum perdo. Miſeri ergo omnino ſumus, quibus nihil non aduerſatur, obeſt, ac nocet. Miſericordia inſoleſcimus, & iuſtitiæ conſideratione in deſperationem prolabimur. Vnde neceſſe eſt vtrumq; nos cum Maria pedem amplecti, vt ita iuſtitia inſolentiam noſtram coerceat, & miſericordia præfidentiam refrenet: *Miſericordiam & iudicium cantabo tibi Domine*, dicebat Proph. Dauid. Et Deus in veteri teſtamento voluit in arca fœderis tabulas legis cum virga iuſtitiã, & manna miſericordiam ſignificante aſſeruari. Quin & Ieſus Chriſtus Concionatore Euangelicum patrifamilias ſimilem eſſe vult. *Qui profert de theſauro ſuo noua & vetera*, proponens dulcedinem promiſſionum in nouo teſtamento contentarum, & rigorem minarum in vetere inſtrumento intentarum. Similiter cum Deus in monte Sina Moyſi appareret, lumẽ in facie, cornua autem in manibus habebat, iuxta illud Prophetæ Habacuc: *Splendor eius & vt lux erit, & cornua in manibus eius*; Ita videlicet illo exhilarante, hoc vero timorem incutiente, ambo tamen ſimul ſumpta peculiari plane modo miſeriæ humanæ medentur. Nouit hoc Diabolus & idcirco Dei pedes non coniunctim, ſed ſeparatim à nobis vult adorari. Quod tamen ipſum ferendum adhuc foret, ſi præpoſtere id etiam à nobis nollet præſtari. Inducturus enim nos ad peccatũ, vult vt miſericordiæ illius pedem adoremus, vt ita ei præfidentes audacius ſuggeſto facinore nos obſtringamus. Poſtquã autem iam peccatum deſignauimus, tum vero ad deſperationẽ nos redacturus iuſtitiæ pedem nobis repræſentat. Atq; hanc ille rationem cum Iuda noſtro obſeruaiſſe exiſtimandus eſt. Nos autem contrariũ facere oportet, vt occaſione peccandi repræſentata, pedem iuſtitiæ exoſculãtes Deum offendere horreamus. Poſtquã vero diuinã in nos iram prouocauimus, tum vero pede miſericordiæ appre-

Luc. 7.

Diuina miſericordia ſemper iuſtitia eſt admiſcenda.

Pſ. 100.

Heb. 9.

Mat. 13.

Cap. 3.

Diabolus vnũ pede ſolũmodo offert aut ſaltẽ præpoſtere.

henſo, veniam & remiſſionem ſupplices petemus. Atque ex hoc primum loco duo Scripturæ teſtimonia admodum ſibi, vt videtur, aduerſantia intelligemus. Alterum Suſannæ duobus ſenibus vim ſibi parentibus dicentis; *Melius eſt mihi incidere abſque opere in manus hominum, quam peccare in conſpectu Domini* Alterū Dauidis Prophetæ triū flagellorū, id eſt vel annonæ charitatis, vel belli, vel mortalitatis optionem ſibi facienti reſpondentis *Melius eſt vt incidam in manus Dei (multa enim miſericordię eius sūt) quam in manus hominum*. Quæ duo ſcripturæ loca contraria alicui & pugnantia forſitan poſſunt videri, tametſi nihil admodum in ſe habeant contrarietatis. Suſanna namque ad peccatū ſollicitari ſe videns, ne peccato ſe commacularet, Deum iudicem ac vindicem cogitabat, exiſtimans ſatius eſſe in hominū, quam in Dei manus incidere. Dauid vero peccato iam commiſſo, cui pœnitentiam & ſatisfactionem eligere licebat, ne deſperationis æſtu abriperetur, Deum miſericordem eſſe, & idcirco in illius quam in hominum ſe manus malle peruenire conſtituit. Idem ſi Iudas Iſcariotes feciſſet, nunquam equidem adeo miſerabiliter in deſperationem prolapſus fuiſſet. Ac videtur tamen ille omnes tres pœnitentiæ partes, puta contritionem, confeſſionem, & ſatisfactionem impleuiſſe. Innuit namq; quodammodo contritionem Euangeliſta cum ait, *Pœnitentia ductus*. Notat confeſſionem dum dicit, *Peccaui tradens ſanguinem iuſtum*. Ac denique ſatisfactionem indicat inquiens, *Retulit triginta argenteos, & proiecit in templum*. Adeo vt diceret poſſis eum, quod Magiſtrum ſuum vendiderat, pœnituiſſe, publicè peccatum ſuum confeſſum fuiſſe, & ſuo modo ſatisfeciſſe. Quid ergo cauſæ eſt quod condemnatur? In quo offendit, peccauit, & hallucinatus eſt? Quia videlicet confeſſarium bonum non habuit. Confeſſurus namque ſua peccata ad ſacerdotes abijt, verum illi adeo afflictum, anxium, & prope deſperatum videntes dixerunt, *Quid ad nos? Tu videris* O ineptos Sacerdotes! ô homines vere indiſcretos! Itane vos pœnitenti, afflicto, & deſperato reſpōdeatis? Quid ſibi vult illud *Quid ad nos?* imo quis hoc curare debet, ſi vos non debetis? *Omnis enim Pōtifex ex hominibus aſſūptus, pro hominib. cōſtituitur, in ijs quę sūt ad Deū &c. vt condolere poſſit ijs qui ignorāt, & errāt, quia & ip-*

Nota cōſiliationem pulchram.

2. Reg. 24.

Quid pœnitentia Iudæ defuerit.

Hominū eſt maximè Sacerdotū peccantibus cōdolere.

Heb. 5.

& ipſe circumdatus eſt infirmitate. Vtrum ignoratis Deum Pontifices & Sacerdotes, imò non Angelos, ſed homines ad hominum bonum elegiſſe, vt videlicet ſe quoqne homines eſſe cogitantes facilius illis condolerent? Si autem vos Sacerdotes & Pontifices eſtis, vbi eſt veſtra compaſſio? Quomodo adeo facile alterius delicta ſtomachum vobis mouent? An neſcitis in eodē vos luto hærere? Cur hūc hominem non conſolamini cur ei miſericordiam Dei non proponitis? Cur ſalutarem pœnitentiam, reſtituendi modum illi non ſuggeritis? Deo notum eſt quantum infelicium animarum pereant, quia ineptos & rudes confeſſarios offenderunt: Nolite proinde vnquam dicere. *Quid ad nos?* ſed amplectimini pœnitentem cum affligitur, non exacerbate illum, nec minis perterrifacite: Erigite puſillanimes, & hæc Prophetæ verba vobis dicta exiſtimate: *Confortate manus diſſolutas, & genua debilia roborate, dicite puſillanimis confortamini & nolite timere*. Filius enim Dei nos ſaluaturus de cælo in terram deſcendit, quiq; tantum pro ijs ſuſtinuit & tolerauit, commiſſurus non eſt, adeo vt miſerabiliter intereant. Certè ſi hoc modo Iudæi cum Iuda egiſſent, forſitan hanc ad deſperationem pro lapſus nō fuiſſet. At non merebatur ille hoc bonum, quoniam ad ſūmum Pontificem Ieſum Chriſtum non recurrit & quia ipſa illa nocte lotionem pedum, Sacram communionem, amicamque Seruatoris noſtri tractationem non agnoſcēs obſtinatus in malo perſeuerauit. Verum dimiſſa hac Sacerdotum ad Iudæ pœnitentiam reſponſione, conſtituamus in eo potiſſimum illum deliquiſſe, quod à dolore ſe opprimi paſſus fuit, & ſuperari. Dicens namque Euangeliſta; *Pœnitentia ductus*, ſignificare vult eum cum ferendo dolori ſatis non eſſet, ad laqueum confeſtim procurriſſe. Dolor & pœnitentia animę paſſiones ſunt, quæ ſi rationi ſubſint, laudem promerentur. Ita ira cui ratio dominatur plurimum ad iuſtitiam exercendam confert, quod ſi eiuſdem rationis iugum excuſſerit, tum vero hominem in mille præcipitia agit, ac impellit. Similiter Timor, Lætitia, & Spes rationi obtemperantes admirabiles ſunt, cum autem ipſæ abſolutum ſibi imperium vendicant, tum vero intolerabilem tyrranidem auſpicantur. Idem de pœnitentia doloreque ex peccatis hauſto eſto iudicium, ſi enim à

Conſolatio puſillanimiū. Iſa. 35.

Pœnitentia requirit dolorē ſed moderatum.

ratione gubernentur, viam ad ſalutem nobis ſternunt: at ſi penes illos integrum imperium ſit, tum vero hominem in deſperationem propellunt. *Triſtitia quæ ſecundum Deum eſt* (inquit S. Paulus) *pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur*. Datur ergo præter hanc alia adhuc triſtitia quæ ſecundum Deum non eſt, hæc eſt quæ limites rationis prætergreſſa, Iudas & Iſcariotes homines facit. *Pœnitentia*, inquiunt Doctores, *eſt dolor de peccatis contra Deum commiſſis, propoſito non peccandi, & ſpe veniæ*, Spe, inquiunt, veniæ, qua quia Iudas caruit, ideo doloris æſtu abſorptus penitus fuit. Vnde præclare D. Chryſoſtomus ait: *Remiſſionis remedium, nec te Iuda transfiret, ſi ad eam pœnitentiam confugiſſes, quæ vocaret ad Chriſtum, non quæ inſtigaret ad laqueum. Eius* puta Dei *flexiſſes miſericordiam, ſi nō negaſſes omnipotentiam*. Qui enim deſperat, is ſimpliciter eius quem offendit omnipotentiam negat; Adeo vt Iudæ condemnatio non tam ex peccati grauitate, quam ex fiduciæ & ſpei defectu videatur dependiſſe: imò plus, & grauius dolendo & ſe ſuſpendendo, quam magiſtrum ſuum vendendo peccauiſſe; de eius namque miſericordia deſperare maius erat, quam contra iuſtitiam illum vendere ac tradere.

2. Cor. 7.

Dolor Iudæ quia ſpe veniæ caruit, contritio nō fuit.

Qualis fuerit cōfeſſio Iudæ.

Peccaui tradens ſanguinem iuſtum. Ecce Iudæ confeſſionem, in qua Seruatori noſtro honorem ſuum in venditione ademptum reſtituit, quemadmodum rei facere conſueuerunt, qui iam in patibuli ſcalis conſtituti id reuocant per quod alterius exiſtimationem minuerunt. Quoniam eo loci deueni, inquiunt illi, dico hunc hominem ei crimini affinem non eſſe, cuius hactenus ſuſpicione premebatur. Ita Iudas iam collum in reſtem inſerturus, Magiſtrum ſuum a crimine quod ei per venditionem aſperſiſſe ſe putabat, purgare volens inquit: *Peccaui tradens ſanguinem iuſtum*, clarā ac diſerrè conteſtans non ſua illum culpa, ſed mea malitia in hoſtium ſuorum manus cecidiſſe. Habuit autem Iudas in extremo illo funeſtoq; ſuo ſupplicio duos omnino carnifices: puta vermem conſcientiæ, qui viſcera illius rodebat, ac ſuas deinde manus, quæ illi reſtem in collum iniiecerunt. Prior poſteriore crudelior erat, ſiquidem illum, quam hunc effugere maluit: *Peccaui*, inquit, *tradens ſanguinem iuſtum*. Vbi per ſanguinem iuſtum, Ieſum Chriſtum intelligit, qui infinita virtute pollebat ad animas iuſtifi-

Carnifices Iudæ.

Eius peccatū expēditur.

ſtificandum,quique cum ſanguis hominis infinite iuſti eſſet, diuinæ iuſtitiæ abunde ſatisfecit. Verum quo idem ſanguis iuſtior erat,hoc iniuſtitia venditoris maior, & facinus miſericordiam minus dignum fuiſſe debet exiſtimari. Iam quando adeo leui & vili pretio eum vendidit, quid hoc aliud erat,quam inſignis illius contemptus?Nã quomodo tu abſque contemptu pro triginta argenteis tantam ſanguinis copiam vendi potuiſſe exiſtimas, cuius vnaquęque guttula æſtimari ſatis non poteſt? O Iuda, quam male tu immaculati illius agnelli ſanguinem, qui tollit peccata Mundi appretiauiſti? Ille te ſanguine ſuo redemit, & tu pro adeo exigua pecuniæ vi eum vendis? Vide obſecro pauliſper quem vendas; cogita hunc ſanguinem illum eſſe, quem Angelus ad Aegyptiorum primogenita cædenda miſſus in ſuperliminatibus Iudæorum reuerabatur. Hic ſanguis ille eſt. fratres mei,in cuius virtute noſter ſummus Pontifex Ieſus Chriſtus,*introiuit ſemel in ſancta, æterna redemptione inuenta*. Hic eſt ille ſanguis per quem redempti fuimus, prout id viginti illi quatuor ſenes agnouerunt canentes: *Redemiſti nos Deo in ſanguine tuo*. In eodem hoc ſanguine victores illi Apocalyptici Agnum ſequentes ſtolas ſuas lauerunt. Hic eſt ille ſanguis tantam qui Baptiſmo virtutem confert, corpora vt ſolummodo lauans ad ipſas animas penetret pertingat. De hoc ſanguine D. Paulus loquitur dicens: *Si enim ſanguis hircorum & vitulorum inquinatos ſanctificat, quanto magis ſanguis Chriſti emundabit conſcientias noſtras ab operibus mortuis?* Hic eſt ille ſanguis, qui Angelos à lapſu ſeruat,ac hominibus gratiam ab eo reſurgendi confert. Hic deniq; ſanguis ille eſt,qui Infernum deuaſtauit, qui romphæam Cherubini ad Paradiſum excubantis vaginæ reſtituit,qui cælum patefecit,quem Angeli honorant, ipſeque adeo cæleſtis Pater colit ac reueretur. Et quibus non ſupplicijs afficiendus ille erat,qui rem adeo pretioſam inimicorum ſuorum manibus tradit,mox ab ijſdem dedibus protereundam? *Irritam quis faciens legem Moyſis*, inquit S. Paulus, *ſine vlla miſeratione duobus vel tribus teſtibus moritur: quanto magis putatis deteriora mereri ſupplicia,qui Filium Dei conculcauerit & ſanguinem teſtamenti pollutum duxerit, in quo & ſanctificatus eſt?* Iuſtum itaque omnino fuit Iudã à pro-

Sanguis Chriſti quam ſit pretioſus.

Exo.12.

Heb 9.

Apoc. 5.

Ibidem ſup.7.

Heb.9.

Heb.10.

à proprio peccato ad deſparationē protrahi, ſiquidem adeò leui pretio corruptus id patrare nō dubitauit, ſanguinemq; tam pretioſum ita exiguo pretio vendere veritus non fuit. O Miſerū Diſcipulum! ô infelicem Apoſtolum! ô Sacrilegum mercatorem! *Peccaui*, inquit, *tradens ſanguinem iuſtū*. Et dicit omnino veritatem, dū peccaſſe ſe confitetur, quia de gradu mentis dimotum oportet eſſe eum, qui ad remedia ſibi præparata non recurrit. Tuum autem remedium ô Iuda in eodem quem vendidiſti ſanguine conſiſtit: in eo ergo te laua, ſiquidem vt ille effunderetur cauſa & author extitiſti. O Tantale Euangelice, qui pretioſo illo liquore, cui mēto tenus immerſus es, frui nō potes: qui inter pharmaca extingueris, ad quæ manum te extendere piget: ſi peccaſti pœnitentiam fac, ſi pœnitentiam facere vis, denuo noli delinquere, illudque conſidera, veram pœnitentiam ſanctioris vitæ propoſitum ſecum trahere.

De ſuſpēdio Iudæ. *Abiens laqueo ſe ſuſpendit.* Poſtquam iniuſtum iuſtiſſimi ſanguinis pretium in templum abieciſſet, turbatus & anxius laqueo collum inſeruit, atque ex arbore (iuxta multorum opinionem) Sycomoro, illi ſimili ex qua Seruator *Luc. 19.* noſter Zachæum deuocauit, ſe ſuſpendit. Quod enim bonis Deum vt videant ſcalæ loco eſt, id improbi & ſcelerati pro patibulo vſurpant. Et comitata fuit diuina *Theophyl. in Mat. ca. 27.* miſericordia Iudam Iſcariotem vſque ad extremum illud ſupplicium, grauitate & pondere corporis ſui ita ramum ex quo pendebat deprimente, pedes vt terram contingentes, vitam ei ad aliquod tempus prorogarit. Miſericordia namque Diuina inter collum & reſtem hærens, adeo ne confeſtim moreretur prohibuit, vt ita tempore ſpatioque ad pœnitentiam ſufficiente deſtitutus non videretur. Habet enim hoc in more Deus ad multum vt temporis pænas ſuas differat, continuo peccatorem ad pœnitentiam *Cap. 7.* ac vitę emendationem præſtolans: *In illa die* (inquit Eſaias) *radet Dominus in nouacula cōducta caput, & pilos pedum, & barbam vniuerſam.* Id eſt in illa die, hominem in viuis non relinquam, incipiendo à Rege qui caput eſt, vſque ad vltimum exercitus calonem & lixam, per pedes repræſentatos tollendo æque fortes & robuſtos per barbam virīū indicium ſignificatos, ac debiles, imbelles, & infirmos per pilos pedum deſignatos. Obſeruate aūt in primis hoc

loco

loco Prophetam Deo nouaculam conductam ideo attribuere quia videlicet ille nouaculã planè nullam in domo ſua habens, vbi aliquem puniturus eſt, alibi eam conducere mutuariq; debet. Dum ergo ita Deus nouaculam conducens obit, peccatori pœnitentiæ ſpatium concedit. Ita Moyſes in diuino ſuo cantico Deum gladio armatũ, iamque populum caſtigaturum deſcribẽs, inquit, eundẽ illum gladium hebetis, & obtuſa aciei fuiſſe, ita vt ante acui, & in cote illum quam ſecaret, ſubigi fuerit neceſſe. *Si acuero,* ait, *vt fulgur gladium meum, & arripuerint iudicium manus meæ.* Quod ſi quæras quamnam ob cauſam gladiũ ſuũ hebeſcere, & obtũdi patiatur, dico ideo illum id facere, vt tu interea de conuerſione pœnitentiaq; cogites, quoad is illũ in ſcelerum tuorum cote, quæ ſolum aciem ei inducunt, ſubactũ abit. Admirabilius aliquanto eſt, quod apud Zachariam reperitur, vbi impietatem in vaſe plumbo tecto conſpexiſſe ſe ait, addẽs Deum eandem puniturum, in terram Senaar Babylonem verſus à duabus mulieribus illam deportari curauiſſe. *Et habebant,* inquit Propheta, *alas quaſi alas milui, & leuarunt amphoram inter cœlum, & terram.* Ad quid opus eſt, bone Deus, ſi impietatẽ punire decreuiſti, eã in Babylonem deferri iubere? Imò ſi id facere omninò, vis cur mulieres quæ ad quartũ quemq; paſſũ laſſæ reſpirant, & non potius homines fortes ac robuſtos ad id deligis? Quin cũ ẽt alas ijs addis, cur nõ aquilinas, pernices ac veloces illas, ſed miluinas quæ graues tardæq; ſunt, apponis? Quia videlicet iter longũ eſſe, impietatiq; tẽpus, & ſpatiũ ad miſericordiam à Deo efflagitãdã concedi deſideras. Et eodem omninò tu modo Iudam ad pœnitentiam expectauiſti, quãdo pedibus terrã contingentẽ aliquamdiu adhuc in viuis eſſe voluiſti. At nõ cognouit infelix ille bonũ quo tu eum afficere cupiebas, quia videlicet miſericordiam nõ merebatur, qui eandem Filio tuo denegarat. Atq; hæc illius perditionis cauſa, & primaria ratio fuit, prout multo ante Rex Dauid prædixerat: qui cum multis admodum maledictionibus, hoc eſt, mali aduenturi Prophetijs eum onerauiſſet, cauſam tandem adiungit dicens: *Pro eo quod non eſt recordatus facere miſericordiam, & perſecutus eſt hominem inopem, & mendicum:* Cui, & B. Iacobi illud conſonat: *Iudicium ſine miſericordia illi, qui non fecit miſericordiã,*

Deus nouacula non ſua, ſed conducta vtitur.

Deu. 32.

Dei longanimitas, & tarditas ad puniẽdum.

Zachar. 5.

Pſ. 108.

Cap. 2.

Cum

Cum præſertim Iudas non modo miſericordiam Magi-
Act. 1. ſtro ſuo non fecerit, ſed *Dux eorum qui comprehenderunt*
Ieſum, reliquos præceſſerit, locum vbi ille orare conſue-
uerat ijs demonſtraturus, ſicque triginta ſuos argenteos
prometiturus. Fuit ergo etiam cœlum terramque inter
ſuſpendendus, quia neque in terra viuere, neque cœlum
ingredi merebatur, quod vtriuſque Dominum prodito-
Cur in aere mor tuus? rie fuiſſet perſecutus. Pependit autem in aere loco Dia-
bolis cœli exulibus proprio, eorum vt ſocius eſſet, quo-
rum facta fuerat imitatus. Imò cum ab ipſo ſuo Magi-
ſtro Diabolus eſſet appellatus: *Vnus veſtrum Diabolus eſt*,
ideo non niſi inter Diabolos mori illum conueniebat.
Moritur itaq; in aere, vt proditor, & cuius proditio cauſa
Ioan. 6. fuit, cur Seruator noſter in aere crucifixus moreretur. Imò
v. 71. *ſuſpenſus crepuit medius, & diffuſa ſunt omnia viſcera eius.*
O Punitionem peccato illius multo quam digniſſimam:
Act. 1. quippe cum Spiritus S. de auaris loquens dicat: *Nihil eſt*
Cur ſuſpenſus crepuit *iniquius quam amare pecuniam. Hic enim, & animam ſuam*
venalem habet; quoniam in vita ſua, proiecit intima ſua. Qui-
bus verbis Spiritus S. ſignificare vult, auaros bonorum cu-
Eccl. 10. piditatem in anima ſua collocantes charitatis viſcera non
habere, nec vlla ratione proximis ſuis compati, aut con-
dolere. Quæ omnia nunquid etiam in Iſcariote completa
non fuerunt? Cum enim Ieſum Chriſtum Iudæis vende-
ret, an non pariter animam ſuam Diabolo venalem expo-
ſuit? Effudit deinde intima ſua viſcera, quæ ſi aliquãdo ha-
buiſſet, nunquam adeo enorme facinus attentauiſſet. Non
mirandum itaq; eſt eum qui toto vitæ ſuæ tempore chari-
tatis, & miſericordiæ viſcera non habuit, morientem iam
inteſtina per immundiſſimam corporis ſuæ partem effu-
diſſe. Debebat autem idem Iſcariotes, & erga terram pro-
digus eſſe, viſcera illi ſua elargiendo: cum ante immenſos
cæli theſauros pro triginta argenteis prodigere non du-
bitauiſſet. Conueniebat deinde quoq; immundam illã ani-
mam per viſcera, turpiſſimamq; corporis partem euolare,
ne videlicet vna cum Diabolo, à quo Iudas poſſidebatur,
Nõ ſuſpendio ſuperuixerit. per os quod nocte præcedente ſub Speciebus S. Sacramenti
Ieſus Chriſtus tranſiuerat, egrederetur. Porrò eundem
Iſcariotem ex arbore pendentẽ ruptum fuiſſe, id vero in-
ter Authores necdum ſatis conſtat. Oecumenius ſcriptor
grauis,

grauis,& peruetuſtus, dicit Iudam eo die ex arbore ſe ſuſpendiſſe, quo Seruator noſter mortuus eſt, quemadmodũ ex Euangelio colligere licet, non autem tunc illico expirauiſſe, ſed inciſo à quopiam reſte aliquãdiu adhuc à morte Dominica ſuperuixiſſe. Papias D. Ioannis Euangeliſtæ Diſcipulus ita eum inflatum fuiſſe aſſerit, ægrè vt incedere poſſet, aliquandoq; curru per ventrem eius tranſeunte, medium crepuiſſe. In Eadem ſententia ſunt Euthymius, & Theophylactus authores ambò, ſi qui alij, graues: Nõnulli eum in agro ſuo expirauiſſe, totoq; paſſim corpore pediculis ebullientibus tantum fœtorem diffudiſſe affirmant, nemo vt eum niſi obſtructo naſo poſſet præterire. Alij ex arboris ramo pendentem in terram cecidiſſe, ſicq; & animam, & viſcera pariter effudiſſe. Conſiderate obſecro paulisper hoc loco Chriſtiani mei, quis adeo infami, & ignominioſa morte de medio tollatur. An non erat is Iudas Seruatoris noſtri Apoſtolus? An non eodem quo ille modo miracula patrare potuiſſet? Nunquid, & ipſe Ieſu Chriſti doctrina imbutus, conuerſationeq; hactenus fruitus erat? Nunquid præcedenti nocte ſacerdotio fuerat cõdecoratus? Quænam ergo iſthæc tam repentina mutatio? Quisiſte caſus adeo miſerandus eſt? Quomodo ab Apoſtolatu ad patibulum tranſire quis poteſt? *Qui ſtat, videat ne cadat*, inquit S Paulus. Quin quo altiore in loco conſtitutus eſt, hoc magis ne cadat allaborare debet. Nullus.n. in mundo locus adeo tutus eſt, qui non mutationi ſit obnoxius. Angeli de cælo ceciderunt: Protoplaſti in Paradiſo peccauerunt: Lucifer dignitate Angelica, & Iudas Apoſtolatu excidit. Et auſit adhuc aliquis tutum ſecurumque ſe exiſtimare? auſit nihil metuere? nihil formidare? Quis Deo charior fuit, quam populus Iſraeliticus? At q; hic tamen velut ramus inutilis à trunco ſuo reſectus, & in ignẽ coniectus fuit. *Propter incredulitatem fracti ſunt*, inquit S. Paulus, *tu autem fide ſtas; noli altum ſapere, ſed time. Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne forte nec tibi parcat* Si Apoſtolo, vt ſe ſuſpenderet, permiſit, quod nimirum dignitate Apoſtolica vti neſciuit, quid tibi faciet, ad eam qui dignitatem non cõſcendiſti? Cogitate Deum nemini parcere; cogita te peccare non debere. Quod ſi forte lapſus es, pœnitentiam age vt Petrus, non vt Iudas. Quære confeſ-

In Acta c. 2.

In Mat. cap. 27.

Infamis Iudæ mors depingitur.

1. Co. 12

Cuiuis timor eſt neceſſarius.

Rom. 11. ver. 20.

ſarios,

ſarios,qui tuis infirmitatibus compati, & rectè inſtruere te valeant; Quin etſi ad extremam miſeriam perueneris, deſperare noli: Dei namque miſericordia peccato tuo maior eſt: Accede illum, confiteri ei peccata tua, atque vt eadem tibi ignoſcat, obſecra. Eſt ille miſericors in adiuuando, eſt clemens in condonando, eſt liberalis in gratia ſua conferenda, eſt denique potens te in gloria ſua collocandi, *Quam mihi, & vobis, &c.*

CONCIO QVADRAGESIMATERTIA

DE INSTITVTIONE VENERABIL. Sacramenti, deque pedum Lotione.

Ante diem feſtum Paſchæ, ſciens Ieſus quia venit hora eius, &c. Ioann. 13.

Comparatio feriæ 5. morituri Christi, & naſcẽtis mundi.

SANCTA noſtra Mater Eccleſia, Auditores, ea hodierna die myſteria celebrat,quæ ipſius Sponſus Ieſus Chriſtus ad illius bonum, & ſalutem, vltima & Iouis,& mortalis ſuæ vitæ die inſtituit. Quod ſi extremum hunc, cum primo illo naſcentis mundi Iouis die liberat comparare mirabilem reuera inter vtrumque correſpondentiam inueniemus. Narrat enim ſcriptura Deum diuerſa duo animantium genera primo Iouis die condidiſſe,puta aues & piſces, aſſignando illis aerem, his vero aquam,prout Eccleſia in quodã cantico confitetur dicens:

Feria 5. ad veſp.

Magna Deus potentia
Qui ex aquis ortum genus
Partim remittis gurgiti,
Partim leuas in aera.

Adeo duplex illud creaturarum genus tunc à Deo procreatum cõſiderantes,inueniemus, alterum propter ſublimen nimium volatum, alterum vero propter profundiorẽ habitationem oculos humanos effugere; enitentibus auibus in altiſſimam aeris regionem, & piſcibus ad intima aquarum,

rum,fluminumq; deſcendentibus Iam eundem Deum, ac Seruatorem noſtrum eadem planè in ijſdē elementis,aere videl. & aqua vltima feria quinta vitæ ſuæ feciſſe in comperto eſt, in aera namque venerab. Sacramenti inſtitutio abijt, quia nimirum conſecratio (quæ primarium inſtrumentum fuit)non modo in aere pronunciata,ſed mediante etiam illo peracta eſt. Verbum.n. vocem eſſe dicunt Philoſophi; vox autem ſonus eſt;ipſeq; adeo ſonus præter aerem à duob. corporib. firmis, ac ſolidis percuſſum nihil. Fuit ergo admirabile illud opus non in aere tantum, ſed mediante etiam aere factum. Alterum vero ab eodem noſtro Seruatore ipſo illo die in aqua factum fuit, quãdo videlicet Apoſtolorum ſuorum pedes,ac inter illos infelicis etiam Iudæ lauit. Iam quemadmodũ nec aues prima mundi feria 5. creatas propter ſublimem nimis volatum, nec piſces eodem die cognitos,ob profundam illorum habitationem, viſu oculiſq; ſubſequi poſſumus. Ita neq; admiranda illa vltima Iouis die inſtituta myſteria intellectus noſtri acie penetrare, ac comprehendere valemus. Quorũ alterum in venerab. Sacramenti inſtitutione,alterũ in pedum lotione conſiſtit. Quis.n. ſtupenda illa ſanctiſſimi Sacramenti myſteria comprehendat? Quis panis in corpus, ac vini in ſanguinem conuerſionem intelligat? Quomodo accidentia ſublatis ſubſtantijs integra remaneant? Quomodo ſub qualibet particula corpus integrũ contineatur? Quomodo idem in plures diuiſum partes nõ multiplicetur? Quomodo illud corruptis accidentibus non corrumpatur? Et quomodo deniq; infinita alia miracula quotidie circa id fiant,propter quæ non immerito fidei myſterium appellatur? Poteſtne ingeniũ reperiri aliquod cuius acies ad hoc myſteriũ nõ caliget & hebetetur? *Auerte oculos tuos à me*,dicebat Sponſus ad Sponſam ſuam in Canticis alloquens,*qui ipſi me auolare fecerunt*: Vel ſicut alia verſio habet; *Auerte conſpectum tuũ à me,quia ipſe me extulit.* Quod ſi Iouis ſtatuæ ab Ethnicis ſubſcriptũ legimus: *Ego ſum, qui ero, & velum meũ nemo vnquam reuelauit* Volens ſignificare mortalē planè hactenus neminē diuinã eius Maieſtatē pſpexiſſe: Quid nos de vero Deo Sacramentalium accidentium velo tecto non credere,& exiſtimare par erit? Nolite proinde Audit. diuinũ illud Sacramentũ curioſius rimari velle;

Altiſſima myſteria feria quinta inſtituta.

Cap. 6.

ri velle; ſed cogitate potius in aere illud fuiſſe inſtitutum, qui ad inſtar auis celerrime auolat, & viſui noſtro ſe ſubtrahit. Nolite etiam exiſtimare pedum vos lotionem penetrare poſſe, Deus enim perinde ac piſces in aquis delitet, *ponens in theſauris abyſſos*, cantat Regius Propheta Dauid, vt videlicet nobis oſtendat Deum myſteriorum ſuorum theſauros in abyſſis, ac maris profundo abſcondere, in quod quiſquis Dei myſteria exploraturus ſeſe coniecerit, is proculdubio aquis abſortus mergetur. Aqua ergo illa, qua Seruator noſter Apoſtolorum ſuorum pedes lauit, non abſimilis fuit illi apud Ezechielem, *Qui non poterat tranſuadari*. Et quis omninò ſpondere ſibi audeat, ſe admirabilem, profundiſſimamque illam Seruatoris noſtri humilitatem comprehenſurum, qui cum Deus eſſet, peccatoribus pedes lauare didignatus non fuit. *Quod ego facio* (dicebat S. Petro, Chriſtum ſibi pedes lauaturum à ſe repellenti) *tu neſcis modo, ſcies autem poſtea*. Quaſi dicat, Impoſſibile tibi eſt ò Petre id modo comp'ecti, & comprehendere, quod facio: Poſtquam autem in cœlo conſtitutus Diuinam meam Maieſtatem cognoueris, tum vero quantæ humilitatis opus illud ſit, præclarè perſpicies. Quanta enim rei cuiuſpiam altitudo eſt, tantam etiam profunditatē eſſe oportet. Quod ſi altitudinem Ieſu Chriſti nemo vnquam comprehendere potuit ac penetrare, illud quoque relinquitur, impoſſibile eſſe eiuſdem vt quiſpiam humilitatem, nullibi melius, quam in hoc myſterio elucentem, intellectu ſuo complectatur: Adeo vt eiuſdem difficultatis ſit alta & humilia in Deo velle comprehendere. Docet hoc nos ſcriptura ſacra, dicens, in throno illo ſuper quem Iſaias Deū conſpexit duos Cherubinos fuiſſe, qui alis ſuis illius pedes & caput ita contegebant, vt neque ſuperiora, neque inferiora apparerent. Mihi credite Chriſtiani mei, idem Deus, qui in aere inuiſibilis eſt, nec in aqua ſe videri patietur. Et ſi illum in venerabilis Sacramenti opere propter nimiam altitudinem cognoſcere non poteſtis, ſimiliter neque in lotione pedum propter extremam humilitatis profunditatem explorare illum valebitis: ſiue ergo aquas ingrediamur, ſiue in aera ſubleuemur, in incertum ſemper curremus, niſi ad fidem refugiamus: ea enim nobis ſcipionis loco erit, quo aquæ fundum

Humilitas Chriſti captū humanū ſuperat.

Pſal. 32

Cap. 47.

Ioan. 13

Cap. 6.

dum exploremus, rurſuſque in aere pondus nobis confe-ret, ne à ſuperbiæ ventis abripiamur. Atque hoc nos ſu-ſtentaculo freti, Euangelicum diſcurſum incipiamus.

Sciens Ieſus quia venit hora eius. Seruator noſter Audi-tores, non ſemel in Euangelio acerbiſſimæ Paſſionis ſuæ tempus diem ſuum appellauit; vt cum diceret, *Abraham Pater veſter exultauit, vt videret diem meum*. Atque eadem loquendi ratione nunc vtitur, quando mortem ſuam ho-ram ſuam appellat. Itane vero ò bone Deus? Hora illa ac dies, quam tu tuam eſſe dicis, an non potius hoſtium, ac inimicorum tuorum eſt, quorum peruerſa, ac improba deſideria in ijs fuerunt adimpleta? At nunquid aliquando & tu confeſſus id fuiſti cum diceres: *Hac eſt hora veſtra, & poteſtas tenebrarum*. An vero eadem illa hora ac dies non potius noſtra eſſe videatur, ſiquidem pretioſiſſimi ſanguinis tui litro noſtra in illa ſalus recuperata fuit, & reſtaurata? Eſt omnino noſtra ò bone Deus, ſiquidem in illa libertas pridem deperdita nobis reſtituitur, aditus ad cælum patefit, & per tua merita ad cæleſtẽ Patrẽ ſecurus introitus conceditur. Quamuis autem eadem illa hora, & Iudæorũ, & Chriſtianorum, & verò etiã tua ſit, eſt tamen potius tua, quã noſtra, & Iudæorũ, quod videlicet iuſtius is ſibi illam vendicat, qui ex amore vitam ſuam deponit, quam ille qui odio extimulatus eam eripit, atque exhor-reſcit. Porro eundem diem, quem tu hic tuum appellas, Sponſa in Canticis diem lætitiæ, & deſponſationis vocat, inuitans filias Hieruſalem, vt ſpinea te corona redimitum ſpectent, & intueamur. *Egredimini filiæ Sion, & videte Re-gem Salomonem in Diademate, quo coronauit eum mater ſua in die deſponſationis illius, & in die lætitiæ cordis eius*. Quæ ver-ba Sponſa non ideo tantum dicit, eo quod die Seruator noſter connubium ſuum in cruce conſummauit, excla-mans: *Conſummatũ eſt*, ſed quia nullæ nuptiæ, aut diei cu-iuſlibet feſtiui ſolemnitas, cum eo gaudio, quod Seruator noſter eo die cœpit, poteſt comparari. Etſi enim mors, quã patiebatur, amara, & ignominioſa fuerit, eandem tamen amor dulcem ſupra modum efficiebat; quod videlicet is qui amat, aut omninò nihil patitur, aut paſſionem ipſam amat, & blanda amoris perſuaſione deceptus dulcem, & ſuauem illam interpretatur. Fac obſecro ò dulciſſime

Ieſu,

Cur tempus Paſſionis hora, & dies Chriſti appelletur.

Ioan. 8.

Luc. 22.

Cant 3.

Ioan. 19

Ieſu, ita nos benificium hoc tuum agnoſcere, vt in illius aliqualem ſaltem ſatisfactionem eam diem ac horam, qua pro tui amore aliquid perpetiemur, tanquam noſtrã maximo affectu diligamus, & concupiſcamus.

Cur dicatur träsfert. *Vt tranſeat ex hoc mundo ad Patrem.* Mors Seruatoris noſtri tranſitus appellatur, non modo quia per eam à procelloſo mundi huius mari ad æternitatis portum tranſiuit, ſed quia etiam nobis ex hac miſeriarum valle ad ſempiternam felicitatem aditum, & tranſitum patefecit. Inter cætera nomina, quibus Apoſtolus Paulus Seruatorem noſtrum afficit, hoc quoque numeratur. *Chriſtus aſſiſtẽs Pontifex futurorum bonorum.* *Chriſtus Pötifex. Heb. 9.* Quod ſi apud Romanos Pontifices *à pontibus faciendis* fuerunt appellari, etymologia certè iſta eleganter admodum Seruatori noſtro conuenit, qui mortis flumẽ à quo mundus vniuerſus abſorbebatur pertranſiturus, põtem illicò fabricatus eſt, crucẽmque ſuam tranſuerſum collocauit, vt per eam ingredientes ad ſempiternam gloriam tranſirent. *Viam feciſti in mari equis tuis,* *Cap. 3.* inquit Propheta Abacuc, *in luto aquarum multarum*. Cum enim tu Seruator noſter mortis mare ingredereris, adeo profundum, & lutoſum id erat, neutiquam tranſuadari, vt poſſet: Simulac vero tu id pertranſijſſes, iter patefactum eſt, & facilis cæterum via oſtenditur. Videns verus Iſraelita diuinum illum Aminadab per mare rubrum prætereuntem, illicò eum ſubſequi non dubitauit. Ita nos videntes Seruatorem noſtrum mare rubrum ſanguinis ſui tranſeuntem, audacter eum ſubſequi debemus, fidentes eius cruci, quæ ad inſtar pontis tranſituros ſecutè tranſmittet. Diſcitè proinde ex hoc loco Chriſtiani, quantum ad ſalutem veſtram interſit, crucem amplecti; ſiquidem pontis loco vobis eſſe debet, per eum vt cælum ingrediamini; quemadmodum quoque ipſe Seruator noſter non niſi per eum illud voluit introire. Hæc eſt illa nauis, inquit S. P. Auguſt. in qua periculoſum huius mũdi mare tranſire, ac in ſempiternæ Gloriæ portum inuehi debemus; quam, quod Philoſophi contempſerunt, ideo miſerime ad vnum omnes perditi fuerunt. *Aug. Trac. 2. in Ioan.* Seruator itaque noſter ex hoc mundo ad patrem per crucis ſuæ pontem tranſiturus, atque in hac de qua loquimur naui transfretaturus, beneuolentiæ aliquod ſignum, ac ſui mnemoſynon,

Digitized by Google

ſynon, ijs quos in terra relinquebat, dandum eſſe exiſtimauit. Et videtur hoc Euangeliſta ſignificare voluiſſe cũ diceret: *Cum dilexiſſet ſuos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* Quorum verborum vt variæ & multiplices, ita omnes multo quam ſuauiſſimæ interpretationes ſunt. Primam namq; ſecuri dicimus Seruatorem noſtrum ſub extremam mortis ſuæ horam tenerrimi ſui amoris, & affectus erga diſcipulos ſuos maiora ac luculentiora aliquando ſigna edidiſſe. Quæ quidem interpretatio quemadmodũ veroſimilis ſit, ex operibus ea nocte inſtitutis, facilè planè licet colligere. Primum namq; venerabile corporis ac ſanguinis ſui Sacramentum inſtituit, quod ille nobis ceu pignus quoddam diuini ſui amoris reliquit. Ad quod diuinũ myſterium melius aliquanto etiam intelligendum, obſeruandum cum D. Thoma fuerit, primum amoris effectum eſſe vnionem. Nihil enim à duobus ſincere, ac medullitus ſe diligentibus æque expetitur, quam vnitos ſe videre. Voluerunt hoc nobis ſub fabulæ quodam inuolucro Poetæ Ethnici ſignificare, cum dicerent, Vulcanum duos aliquando adoleſcentes offendiſſe, qui cum tenerrime alter alterum amarent, pro arctiſſimo illo amicitiæ vinculo beneficium ijs aliquod repoſiturus, quidquid deſiderarent ijs ſe conceſſurum aſſeuerauit. Cum ecce tibi illi è veſtigio reſpondent: ſiquidem tu adeo feliciter ac perite metalla fundis, ac tractas, ita nos ambos confunde, nunquam vt alter ab altero poſſimus ſeparari. Et petijt omninò idem Seruator noſter, quando ad cœleſtem ſuum patrem dixit: *Vt ſint vnum in nobis, ſicut ego in te, & tu in me*, vnum, dicit non vnione naturali, ſed gratiæ, iuxta illud: *Qui adhæret Domino, vnus Spiritus eſt.* Ad vnionem itaque tanquam primũ amoris effectu omnia Seruatoris noſtri deſideria collimabant. Porro vti amantes nihil perinde atque vnionem expetũt; ita nihil peius quam ſeparationem ex diametro ſibi oppugnantem oderunt. Hinc ſuorum abſentiam non ferentes, eam non multo aliter, quam mortem ipſam pertimeſcũt. Quod ne quis fortè per hyberbolen, aut æquo maiorem amplificationem me dixiſſe exiſtimet: dico morti bonum ineſſe, tametſi mali quoque expers non ſit. Quod tamen ipſum malum aliud nihil eſt quam corporis ab anima violenta auulſio, quam quia mortuus propter ſenſum

Chriſtus circa finem vitæ ſuis plurima amoris ſigna exhibuit.

Præcipuus amoris effectus eſt vnio.

Ioan. 17

1. Cor. 6.

vna cum vita ablatum aduertere non poteſt, ideò bonum etiam morti ineſſe aſſeueramus. Abſentia autem idem quod mors malum in ſe continet, puta duorum amantiū à ſe inuicem ſeparationem: cum enim qui per abſentiam ſeiunguntur, non moriantur, ideo dolore quoque illo qui ex ſeiunctione proficiſcitur, afficiuntur; ſicque vnius amici abſentia, quam ipſa mors grauior moleſtiorq; eſt; Malum vero quod abſentiæ ineſt, id à morte illa accepit, nolens, qua in ciuilitate vel ingratitudine erat, ſuum viciſſim bonum illi communicare. Nolite proinde exiſtimare Audit. hyperbolice locutum me fuiſſe, cum dicerem veros amicos alterius abſentiam peius, quam mortem ipſam execrari. Etſi non minus veroſimile ſit, pauco admodum veros iſtiuſmodi amicos reperiri. At erat omnino talis extra controuerſiam Dominus noſter, & ideo ſuam à Diſcipulis auulſionem quam mortem ipſam ferebat moleſtius. Eam namq; oppetiturus, latebras nō circumſpexit, ſed vires ſuas ac naturale robur ad tēpus diſſimulans, morti animos ad ſe inuadendum, & aggrediendum addidit. Et videtur hoc Propheta ſignificare voluiſſe cum diceret: *Cornua in manibus eius, ibi abſcōdita eſt fortitudo eius; ante faciem eius ibit mors.* Planè ac ſi diceret, Mors cum præcurrens aggredi adororique illum verebatur, quod cum hic videret manus ſuas cruci affigi permiſit, vt hac ratione mortē abiectam, & puſillanimen in ſe prouocaret. Verum videamus iam nūc vtrum eadem animi magnitudine abſentiā qua mortem tolerarit. Inueniemus confeſtim ei vt ferendę par eſſet, omnipotentiam, infinitamque ſuam bonitatem adhibere illum debuiſſe: Hoc autem quis non omninò maximi amoris fuiſſe putet indicium ac argumentum? Quid vos Venerabilis Sacramēti inſtitutionem aliud fuiſſe exiſtimatis, quam propugnaculum quoddam, quo Seruator noſter contra abſentiam munire ſe voluit? An non ipſa Sacroſancta hoſtia clypeus fuit, quo contra illam ſe protexit, tutatuſq; eſt? Cum enim vnus idemque amor eum ſollicitaret ad mundum deſerendum, cælum introeūdum, illicque nobis locum præparandum, vti ipſe ſignificauit cum diceret. *Vado parare vobis locum:* iuxtaque eum extimularet ad cohabitandum ijs, quos adeo tenere, & enixe diligebat: Videns Seruator noſter eo in conflictu ſe con-

Abſētia amicorū quid?

Chriſtus non tam mortem quam à ſuis diuulſionē doluit.

Abac. 3.

Ioan. 14.

conſtitutum,quid amabò facere,quid moliri cogitareque poterat? ſi non cedo,inquit,locum in cœlo vobis nō præparo: *Et ſi non abiero,Paracletus non veniet ad vos*,quo tantopere vniuerſi indigetis: ſi autem cedo,maximo cum dolore à chariſſimis mihi capitibus ſegregor atq; ſeiungor. *Ioan.16.*
Quid faciat Chriſtus ſapientiam ſuam ad inuentionem adhibeat neceſſe eſt: omnipotentiamq; iuxta ſuam ad inuentionis executionem, imò ad venerabile altaris Sacramentum inſtituendum, in quo, & realiter remanebit, & manens realiter diſceſſiſſe feretur. Atque hac demum ratione amori ſatisfaciet, qui vult in mundo eum ad noſtram ſalutem remanere, ac etiam cœlum aſcendere inibi locum nobis præparaturum. Quando autem peculiari iſthoc modo,& ratione amori ſatisfecit? Nunquid ſub extremum dierum ſuorum.

In finem dilexit eos. Sunt nonnulli Doctores, admodum qui ſubtiliter duo illa verba,*finem*,& *dilexit* examinent: dicentes Euangeliſtam per ea nobis ſignificare voluiſſe, Seruatorem noſtrum immenſo ſuo quo erga nos ferebatur amore impulſum duo illa noſtræ ſaluti tantopere neceſſaria,amorem puta,& mortem coniungere voluiſſe: Mortem dico,vt illam oppeteret ac perferret; Amorem,vt per illum Paſſio ſua dulcior ac ſuauior efficeretur. In ipſa nāque Paſſione gaudio ſe perfundi oſtendens; quam tenere nos amaret,demonſtrabat. Verum enimuerò quod tu maius, & grauius amoris argumentum reperiri poſſe putas, quam tormenta quæ pro amico perpeteris iucunda, & ſuauia exiſtimare? Videtur hoc ſane nobis Sponſus in Canticis ſignificare voluiſſe,quando à Sponſa ſua ad hortum inuitatus dixit: *Veni in hortum meum ſoror mea,ſponſa, meſſui myrrham meam cum aromatibus meis, comedi fauum cum melle meo,& bibi vinum cum lacte meo.* Quæ verba multi graues,& authentici Doctores de Filij Dei in mundum aduentu deq; vitæ,& mortis ipſius curſu interpretantur. Simulac.n.ille in hortum ſuum,hoc eſt,in ſanctiſſimæ Virginis viſcera deſcendit,myrrhā ſuā metere incepit,habens ob oculos quę perpeſſurus erat,Illaq;obuijs vlnis acceptās quemadmodū S. Paulus docet,& Sponſus per illud *Meſſui* inſinuat. Ad q̄ voculā non nemo ex Doctoribus obſeruauit,Sponsū non dicere myrrham ſe ſuā collegiſſe,ſed meſ-

Cur cōiungantur Chriſti finis, & dilectio.

Cant. 5. *Heb. 1.* *Almonazar in Cātica.*

fuiſſe,vt videlicet intelligamus eum non minore cum læ-titia,& voluptate Paſſionis ſuę ſupplicia acceptauiſſe,quã meſſores mercedem ſuam diuinam ſolent recipere,& agricolæ triticum ſecare. Coniunxit ergo in inſtanti ſuæ conceptionis pœnarum dolorem cum amoris dulcedine. Ita cum myrrha amara eſſet,amore per quem illam metebat ſuauis,iucundaq; efficiebatur. Eadem omninò combinatio ſequẽtibus verbis ſignificatur,quando videlicet inquit, ſe fauum ſuũ cum melle,ac vinum cũ lacte bibiſſe. Et ſi.n. mel admodum ſuaue,& dulce ſit,ab Apicula tamen progeneratur,quæ nunquam non aculeũ ſuum ſecum portat. Et ſicut lac dulce iucundumq; eſt,ita vinum naturali quodam acrimonia pollet: Vnde in quãcunq; partem oculos conieceris,ſemper finem cum dilectione copulatum,animaduertes.Solebant Platonici dicere,amorem aliud nihil eſſe,quã *amarum dulce,& mortẽ voluntariam.* Vnde fit quod Seruat.noſter extrema hac veſpera ſolito euidentiora amoris ſui ſigna editurus,nonnulla deſignarit,quæ prima ſpecie contraria alicui poſſunt videri,vt cum diceret: *Baptiſmo habeo baptizari, & quomodo coarctor vſq; dum perficiatur?* Et paulo poſt ad Patrem ſuum clamaret. *Pater ſi poſſibile eſt tranſeat à me calix iſte.* Quæ tamen,vtraq; faciliime conciliaueris,ſi in primo amoris dulcedinem, qua extimulatus paſſionem deſiderabat,in ſecundo autem mortis amaritudinem quam abhorrebat,& auerſabatur obſeruaris. Similiter cum vinum myrrhatum crucifigendo præberetur,bibere noluit: poſtquam autem iam cruci affixus eſſet,ſitire ſe clamauit porrectumq; acetum,& fel deguſtauit. Auerſatur ergo vinum myrrhatum, quod ideo morti adiudicatis ſolet propinari, vt malum quo afficiuntur minus ſentiant: Cum autem ille extrema quæq; perpeti deſideraret, ideo eorum planè nihil admittere voluit, quod dolorẽ ſibi ſuum poſſet imminuere. Atq; hoc patiendi deſiderium tunc inſinuauit,quando in crucis ſtipite ſe ſitire clara voce proclamauit. Guſtauit autem acetum, & fel, linguam per ea ſuam dolore aliquo affecturus: At noluit eadem bibere,quod videlicet acetum vulnera ſauciorum penetrans vitam ijs ſolet abbreuiare; Seru. vero noſter potius deſiderabat paſſionis ſuæ dies produci, & prolongari, plura vt ita patiendo, amorem ſuum luculentius declararet. Hæc autem

Amor amarum dulce.

Gal. De ſimpl.me dic. facult. lib. 3. cap. 10.

Luc. 12.

Luc. 22.

Mar. 15

Ioan. 19

Vide Barõ. Tom. 1.

autem omnia amoris dulcedinem nobis oſtendunt, ſiquidem is voluptatem ex tormentis, & gaudium ex pœnis capiens, omnia ea auerſabatur, aliquaque ſaltem ratione ſe reficere poterant, & conſolari. Iam vt etiam mortis ipſius amaritudinem intelligas, audi quemadmodum in cruce exclamet: *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquiſti me?* Non immerito itaq; Euangeliſta dicit eum vſq; in finem ſuos dilexiſſe, ſiquidem vſq; ad extremum vitæ ſuæ articulum adeo diuerſis effectis amoris ſui dulcedinem, ac mortis etiam amaritudinem demonſtrauit. *Mat. 27.*

Et cæna facta, &c. ponit veſtimenta ſua. Euangeliſta noſter pauculis iſtis omninò rebus non paucas circumſtantias, quæ amorem Ieſu Chriſti admirabilem efficiunt comprehendit. Comeſto agno Paſchali, menſaque ad conſuetam cænam ſecundum Iudęorum conſuetudinem ſtrata, ipſoq; adeo Iuda occaſiones magiſtrum ſuum vendendi circumſpiciente, ſciens Seruator noſter Deum Patrem omnia in manus ſibi ſuas tradidiſſe, quodq; à Patre per æternã generationem procedens, ad eundem mox eſſet rediturus: de menſa ſurrexit, tunicam ac reliquas veſtes quæ remorari illum poterant depoſuit, ac linteo ſeipſum præcingens, diſcipulorum pedes lauare incœpit. Atq; hic totius Euangelij textus plenus myſterijs eſt. Surgens nãq; à mẽſa priuſquam cænæ finem impoſuiſſet (quæ prima circumſtantia eſt ab Euangeliſta noſtro obſeruata) oſtendere voluit cibum illum quem poſt pedum lotionem ijs erat appoſiturus non vulgarem eſſe, ſed neq; immundis pedibus velut alium cibum debere manducari. Reuera namq; Chriſtiani mei Sacramentum illud quod inſtituere cogitabat, perfectam puritatem ab ijs repoſcit, qui illud ſunt recepturi: puritatem dico, non manuum tantum, per quas opera ſignificantur, ſed pedum etiam, qui affectiones, & peccata venialia repræſentant. Hinc cum Deus ſerpenti in Paradiſo malediceret, inter cætera inquit: *Ipſa conteret caput tuũ & tu inſidiaberis calcaneo eius*. Volens ſignificare Diabolũ hominem perdere cupientem, vnum hoc agere, vt radices bonorum operum, id eſt affectiones, per calcaneum ſignificatas inficiat, Arboris enim radice corrupta, truncus ipſe per ſe interit atque emoritur. Hinc, & Iob curam quam Deus in minimis etiam hominum peccatis

Lotio pedum.

Quanta puritas eſſe debeat in ſuſcipientibus vener. Sacram.

Gen. 4.

Cap. 13.

annotandis adhibet adumbraturus inquit: *Obſeruaſti omnes ſemitas meas, & veſtigia pedum meorum conſideraſti*: Vel ſicuti alia verſio habet: *Radices pedum meorum contemplatus es*: Planè ac ſi dicat; Ego peccatũ adeo exiguum committere nullum poſſum, quod tu Deus non videas, qui ipſas animi affectiones, & ſecretiſſima mentium humanarum deſideria explorata habes. Applicaturus itaq; Seruator noſter medicinam totius infirmitatis origini, eam partem lauat, quam Diabolus veneno ſuo inficere conſueuit Vult ille minutiſſima nos etiã delicta remouere, eo vt dignius venerabile altaris Sacramentũ percipiamus, & ideo priuſquam id inſtitueret à menſa conſurgere, & Apoſtolorum ſuorũ pedes lauare voluit. Secunda circumſtantia ab Euãgeliſta noſtro obſeruata hæc eſt, quod videlicet Iudas Diabolo ſuggerente iam tum Magiſtrum ſuum vendere prodereq; conſtituerat. Ex quo intelligimus Seruatoris noſtri charitatem ad perfectionis culmen perueniſſe, ad quã ſpõ-

Cant. 8. ſa alludens inquit, multitudinem aquarum reſtinguere illam non poſſe. Tertia circumſtantia eſt, quod Seruator noſter humilitatis illum actum exercens perſonæ ſuæ dignitatem minime ignorarit. Fugere.n. admodum illum non poterat manus quibus Apoſtolorum ſuorum pedes lauabat omnes Dei diuitias continere. Hoc n. verba illa ſignificant; *Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus*. Vbi obſeruate, videri Seruatorem noſtrum omnia eum in locum remittere ac reponere voluiſſe, ex quo per peccatum fuerãt depulſa. Deus namq; à mundi initio omnes craturas hominis pedibus ſubiecerat, dicente Dauide; *Omnia ſubieciſti ſub pedibus eius, homo autem cum in honore eſset non intellexit*:

Chriſtus omnia ſuo loco reſtituit.

Pſal. 8.

Pſal. 48.

quia videlicet ea quæ creata erant pedibus vt ſuis ſubiacerent, ille ſupra caput ſuum conſtituit, ac pluris quam ſeipſum fecit. Sciens ergo Seruator noſter, cęleſtem ſuum Patrem omnia ſibi tradidiſſe, manus ſuas Apoſtolorũ pedibus ſubiecit, vt ita omnia ſub hominũ pedes reuerterentur. Docuit deinde eodẽ illo ſuo exemplo, omnia nos mundana ac terrena, pro Dei amore pedibus debere proculcare, non autem illa ſuper capita noſtra cõſtituere, quaſi videlicet ea quã nos præſtantiora ſint ac excellentiora, atq; ad hoc declarandum Euangeliſta dixit: *Sciens Ieſus quia omnia dedit ei Pater in manus*. Obſeruauit adhæc quarto loco idem

idem Euangeliſta Seruatorem noſtrum probe admodum ſciuiſſe, *quia à Deo exiuit, & ad Deum vadit* Et exiuit ille à Deo, Deum non derelinquendo, ſed ſe mundo manifeſtādo; redibit autem ad Deum, mundum, quantum ad viſibilem, & corporalem præſentiam attinet, derelinquens. Cæterum quemadmodum iſthæc vniuerſa in cognitionem dignitatis Ieſu Chriſti nos deducunt, ita per eandem deinde inexhauſtam humilitatis ſuę abyſſum poſſumus perſcrutari. Quanto enim perſona excellentior eſt, tanto humilitas mirabilior debet videri, per quam Apoſtolorum ſuorum pedes lauare non dubitauit. Atque hac veritate ita præſuppoſita quatuor eſſe intelligo, propter quæ homines plus aut minus honore ſolent affici ac æſtimari. Primum eſt ſapientia, qua duce, & auſpice humiles quandoque, & terræ filij in Principum ac Regum familiaritatem penetrauerunt. Secundum eſt diuitiarum magnitudo, & iuriſdictionis amplitudo, pro quibus plerumque mundus mirabiliter ſolet digladiari. Tertium eſt generis nobilitas, & ſplendor, à quo qui commendantur, ij verò in omnium oculis habitare conſueuerunt. Quartum eſt ſanctitas, quam ſæpenumero ſceptra honorant, Diademata colunt, tiaræ reſpiciunt, ac nemo non qua par eſt obſeruantia reueretur. Iam cum quælibet harum rerum mundum in ſui admirationem rapiat, & apud illum honorem obſeruantiamque mereatur, ſi in vno aliquo homine omnes repertæ fuerint, tum vero maxima in dignitate illum conſtituent. At obſeruate quæſo Auditores, quid Euangeliſta noſter de Seruatoris perſona dicat. *Sciens quia venit hora eius*, quibus verbis admirabilem illius in rebus futuris proſpiciendis ſapientiam denotat; Declarat deinde eiuſdem potentiam, ac opes, quæ tantæ ſunt, nihil vt illius iuriſdictioni non ſubiaceat: *Omnia dedit ei Pater in manus*. Et addit originis ſuæ præſtantiam ac dignitatem, dum ait, *A Deo exiuit*, ad extremum autē, & ſanctitatem ſignificat dum dicit, *Et ad Deum vadit*; quippe cum ſanctitas in eo conſiſtat, vt ad Deum vadamus, quod de nullo melius quam de Seruatore noſtro dici poteſt, qui ab inſtanti ſuæ conceptionis, quam poterat maximis paſſibus ad cœleſtem ſuum Patrem decurrit. Quod ſi ſingula in vnum coniungatis depræhendetis eum perfectè ſapien-

Quatuor cauſa honoris.

Omnes quatuor in Chriſto fuerunt.

tem, ſum me diuitem, infinitè nobilem, eximiè ſanctum, & conſequenter omni veneratione fuiſſe multo quam digniſſimum. Atque hunc ſupremum Deum ac Dominum adeo ſapientem, diuitem, nobilem, & ſanctum. Euangeliſta à menſa ſurrexiſſe, veſtimenta depoſuiſſe, linteoq; præcinctum diſcipulorum ſuorum pedes lauiſſe dicit. In qua etiam actione eximium quoddam myſterium latet, Si.n. verum eſt quod Dauid inquit, Deum videlicet lumine nō aliter, quam veſtimento eſſe amictum: Euangeliſta ergo

Pſ. 103. Seruatorem noſtrum Apoſtolorum pedes loturum veſtimenta depoſuiſſe dicens, docere nos vult Filium Dei nunquam æque Maieſtate ſe ſua ſpoliauiſſe, quam cum ad peccatorum illorum pedes ſe abiecit, atque proſtrauit: nō quod idcirco Maieſtatem ſuam omninò depoſuerit, ſed quod illam humilitatis pallio ita texerit ac cooperuerit, planè vt ea ſpoliatus eſſe videretur. Atq; ad hanc actionem

Chriſti ſumma humilitas.

Cap. 54. Eſaiæ illud alludit: *Vere tu es Deus abſconditus*, & Apoſto-

Philip. 2. li alterum: *Exinaniuit ſemetipſum formā ſerui accipiens*. Nunquam.n. ita ad viuum ſerui perſonam egit, quam cum Apoſtolorum ſuorum pedes lauaret Conſiderate nunc obſecro auditores quam Dei ille ex hoc mundo egreſſus ab ingreſſu diſpar diſſimiliſque ſit. Introeunte.n. illo mundum, Angeli eum adorauerunt, iuxta Apoſtoli illud: *Et*

Heb. 1. *cum iterum iutroducit primogenitum in orbem terra, dicit, & adorent eum omnes Angeli eius*. Quidnam ergo cauſæ, eſt ô æternæ Pater, idem quod filius tuus ad Apoſtolorū ſe pedes eos lauaturus, exterſuruſque abijciat? Voſque etiam Beati, & Angelici Spiritus, quomodo eum in terra proſtratum, & mortalium perditiſſimo pedes lauantem poteſtis intueri, quem vos ſupplices aliquando adorauiſtis? An vero hic non idem ille eſt, coram quo S. Ioannes Reges ſe proſternere, & diademata ſua pedibus illius proculcan-

Apoc. 4. da deponere conſpexit? Quomodo ergo permittitis, vt hominum modo pedibus aduoluatur? Nimirum omnibus hiſce difficultatibus, & quotquot deinceps formari poſſunt quæſtionibus ipſe Seruator noſter ſub Euangelij ſui finem reſpondet dicens: *Exemplum enim dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, ita, & vos faciatis*. Poteſtne fieri Auditores, vt ad mundi arrogantiam contundendam ipſe ſe Dei filius humiliare debuerit? Poteſt fieri vt homines do-

Nobis in exēplū.

cturus quemadmodum inimicis ſuis ignoſcere debeant; ipſe ſuis aduolui, Iudæque pedes oſculari neceſſe habeat? O Saluator animarum noſtrarum, ac vnicæ humilitatis modeſtiæque magiſter, qui pulcherrimas iſtas virtutes nos docturus, in vltimo vitæ tuæ tractu potentiſſima ad eas exempla relinquere nobis voluiſti: humilia quæſo corda noſtra, contunde regios noſtros Spiritus, vt ita tuo exemplo inflammati; hoſtes noſtros diligamus, atque in omni humilitate modeſtiaq; viuamus: Tu enim qui ignoſcentibus veniam, & humiliantibus gratiam promittis, nobis vtrumque benignus concedes, & denique gloriam cæleſtem largieris, *quam mihi, &c.*

CONCIO
QVADRAGESIMAQVARTA
PRO FERIA SEXTA
Septimanæ Sanctæ.

Recogitate eum qui talem ſuſtinuit à Peccatoribus aduerſus ſemetipſum contradictionem. Heb. 2.

INter omnes plane tragœdias & ſpectacula acerbiſſima ex eo tempore quo primum Deus mundũ ex nihilo protraxit, & efformauit ex hibita, nullum lamentabilius mihi fuiſſe videtur, quam quod hodierna die in ciuitate Hieroſolymitana repræſentatum eſt, qui enim omnibus omnino rebus vitam aſpirat & impertit, is hoc tempore mortem oppetit, & eam mortem, quæ maiorem in creaturis rationalibus dolorem cauſare non potuiſſet, ſi enim Patrefamilias aliquo moriente, omnes qui in eius domo ſunt luctu & mœ- *Hodierni diei luctus cauſa.*

rore conficiuntur, ipſique adeo parietes atro &c. lugubri panno teguntur, quo dolorem teſtari præſeferreq; videantur mirum reuera videri non debet, quod totius mundi capite & gubernatore moriente, & omnes creaturæ lugent & contriſtantur Narrat S. Brigitta in ſuis reuelationibus diuinitus ſe intellexiſſe, quod Mundi Seruatore mortem oppetiente, omnium mortalium corda ſubito dolore perfuſa fuerunt, ita tamen vt cauſam ipſius non intelligerent. Adeo vt inepte de toto vniuerſo dici poſſe videatur, quod Iſaias inquit, &c. , quod plerique Doctores perſonæ Redemptoris noſtri accommodant. *Omne cor mærens, & omne caput languidum, à planta pedis vſque ad verticem capitis non eſt in eo ſanitas*. Contriſtetur proinde vti par eſt tota domus, patiatur Ecclypſin ſol, lugeat cœlum, aperiat terra monumenta, & lapides diſſiliant, is namque moritur, qui ſoli lumen dedit, qui cælum condidit, &c. qui terram ſuſtinet? Quod ſi tanta omnes triſtitia occupauit, cum crudelis illa tragædia exhiberetur, decet ſane in illius repræſentatione ſimiliter nos commoueri tanti qui mali cauſa extitimus. Cum Rex Ioſias moreretur, populus tanto dolore perfuſus fuit vt non contentus eius obitus tempore luxiſſe, ſemel vertente anno conuenerit, ac eandem Regis ſui mortem communibus lachrymis deplorarit. Qui luctus tantus fuit, vt Propheta Zacharias improborum dolorem, quem in extremo iudicij die experturi ſunt ſignificaturus, eum cum annuis iſtis ſuper defuncto Rege Ioſia inſtitutis planctibus compararit. *In die illa*, inquit Propheta, *magnus erit planctus in Hieruſalem, ſicut planctus Adadremon in campo Maggedon*. A deundē plane modum, Auditores ſancta noſtra mater Eccleſia filios ſuos hodierna die congregat, ploraturos mortem nō Regis Ioſiæ, quemadmodum Iudæi faciebant; ſed obitum Regis Regum Ieſu Chriſti Seruatoris noſtri, volenſq; vt huic funeſtę tragędię aſſiſtentes, dolorem in nobis excitemus, quia, vt Ieremias in ſuis lamentationibus dicit, *Spiritus oris noſtri Chriſtus Dominus captus eſt in peccatis noſtris*. Quæ cū ita ſint, & ſancta Mater Eccleſia ad luctū hodierna die nos conuocet, conſtitutū mihi eſt ad eundē vos Ieremiæ verbis excitare, qui populū ſuum ad peccata recognoſcenda ac illa deploranda exhortaturus inquit: *Contem-*

Revelationes S. Brigittæ. — Cap. 1. — 2. Para. 35. — Zachar. 12. — Cap. 4. — Cap. 9.

pla-

plamini vocate lamentatrices vt veniant, & ad eas quæ ſapientes ſunt mittite, & aſſumant ſuper nos planctum Vbi verbum illud *Contemplamini* obſeruate, quo Propheta vtitur, vt oſtendat dolorem & luctum, quo Deo gratus, lugenti autem ſalutaris ſit a contemplatione originem ſuam habere oportere. Lugere namq; & eiulare abſq; conſideratione & cauſæ penſiculatione, beſtijs quam hominibus ratione præditis proprium magis eſt. Et voluit ſane idē nobis cum Propheta Apoſtolus per verba illa loco thematis à me adducta ſignificare, cū diceret, *Recogitate*, id eſt ſemel atq; iterum cogitate, & quid agatis, quidue acturi ſitis, adhibita in conſiliū ratione examinate Quo facto, inquit Propheta *Vocate lamentatrices, vt veniant*, illæ enim vt teneræ & cōpaſsione plenæ ſunt ita nullo negotio & mouentur, & vero alios etiam ad luctum poſſunt commouere. Vbi obſerua eum non indifferenter & quaslibet lamentatrices inuitare, ſed quæ ſapientes & diſcrete ſint. Hinc enim ipſe ait: *Et ad eas quæ ſapientes ſunt mittite:* Reuera enim ſi quæ res ſapientia & diſcretione opus habent, luctus certe & ploratus habebit. Mulieres ſtolidæ & imprudentes exiſtimant ploratum in clamoribus conſiſtere, illamq; adeo optimè lugere, quæ plurimum vociferata fuerit, & aſtantes conturbarit. At falluntur illæ multo quā miſerrimè, verus enim luctus in cauſis eius conſiderandis conſiſtit, non aūt in clamora, ſed in moleſtia, & non veſtimentorū, quæ valoris exigui ſunt, ſed in cordis ſciſſione. Atq; hæc non ideo à me proferuntur lachrymas vt prohibere velle videar, ſed vt oſtendam eas cum diſcretione fundendas eſſe, quod quidem pauci admodum, & nonniſi ſapientiores poſſunt præſtare. Vocat ergo Propheta mulieres, quia illæ facilè illachrymantur, & vocat diſcretas, vt luctus materiam conſiderantes, planctū ſuum regere ſciant & moderari. Quod Prophetæ monitum ſi vllibi locum habiturum eſt, habere certè debet in deploranda Paſſione Ieſu Chriſti Seruatoris, Patris, Fratris, Sponſi & Dei noſtri, propter vnumquēque namque horum titulorum acerbiſſimè lugeri meretur & deplorari. Agnus autem iſte diuinus qui hodiè pro nobis offertur, non integer comedi debet, ſed primum per articulos & iūcturas diuidi quemadmodum alias vobis me dixiſſe recordor. Liber iſte Dominicæ Paſſionis per Prophe-

Quomodo debeamus de paſſione Chriſti debere.

Ioel. 2.

Exo. 12. Eze. 2. & 3. Apoc. 5. & 10.

phetticum illum præfiguratus,qui carmen,lamentationes,& vè continebat,ita à nobis deglutiri debet, vt per conſiderationẽ in memoriæ ventre digeſtus, amaritudine nos repleat,& dolorẽ cõpaſſionemq; in nobis ſuſcitet. Repræſentaturus aũt vobis circumſtantias illas, quas in funeſta hac tragædia obſeruare oportet, ſcripturæ locũ cõmodiorẽ non inuenio,quã Paulinum illum,quẽ vobis in concionis meæ principio propoſui, *Recogitate* inquit ille ad Hebræos,*eũ qui talẽ ſuſtinuit à Peccatoribus aduerſus ſemetipsũ contradictionẽ*. Vbi primum voculã *eum* annotare, per quã Apoſtolus nos inuitat ad illius perſonã, qui tã acerba pro nobis paſſus eſt,conſiderandam. Etſi enim illa tres tãtum literas habeat,ea tamen myſteria complectitur, quæ neq; cælum,neq; terra capere poſſunt,& penetrare. Quẽ enim vos Audit. per tres illas litteras nobis repræſentari exiſtimatis? Eſt reuera perſona,quæ tres diuerſas ſubſtãtias,corpus,animam, & diuinitatem complectitur,quæ omnes in vna perſona pro noſtra ſalute fuerunt vnitæ. Eſt vna triũ perſonarum,quæ cælum & terram creauerunt,& cui vniuerſum hoc eſſe ſuum debet ferre acceptum. Eſt verbum æterni patris,quo omnia ſuſtinentur,eſt ſplendor ſuæ glorię,figura ſubſtãtię, Rex Regum, Dominus Dominãtium, & noſtræ ſalutis obiectum. Eſt ille quem Angeli laudant: Dominationes adorant,coram quo Poteſtates tremunt,& cui virtutes cælorũ ac beati Seraphin Propheticum illud accipiunt:*Sanctus,Sãctus, Dominus Deus Sabaoth*. Hodierna verò die aliud ei multo carmen accinitur, dum videlicet publicæ quietis perturbator,& blaſphemator appellatur; vt cum vos Auditores de eius paſſione verba & ſermones auditis,eum non vt ſimplicem hominem, ſed tanquam diuinam perſonam conſideretis, quæ nomine titulorum iã recenſitorum ac innumerabilium adhuc alio non quouis modo & quocunque in loco laudari merebatur & ſuperexaltari. Secunda circumſtantia videre eſt quid ſuſtinuerit,quod Apoſtolus declarat dicens: *Talẽ Contradictionem*. Vbi duo in paſſione Seruatoris noſtri maximè cõſideranda obueniunt: vnũ eſt dolor, quem in ſacroſancto ſuo corpore experiebatur: alterum eorũ à quibus affligebatur peccatum, quod in contradictione voluntati diuinæ repugnante conſiſtebat; cum videlicet contra omne eius

Prima conſideratio perſona patientis.

Ioan. 1.
1.Ioã.1.
Heb. 1.
Iſaia.6.

Secunda conſideratio quid paſſus.

& æquum

& æquum Seruatorem noſtrum ipſam iuſtitiam condemnauerunt. Ac primum quidem dolorem D. Thomas tantum fuiſſe affirmat, nullus vt vnquam mortalium ſimilem fuerit expertus: Tametſi pœna, quam ex perſecutorũ peccato hauriebat, multis partibus corporis illum dolorem ſuperarit. Cum enim Seruator noſter euidentiſſimè diuinam voluntatem cognoſceret, dolor quem ex Iudæorum peccato capiebat, tantò grauior erat, quantò ille perfectius intelligebat, peccatum omni corporeo dolore eſſe acerbius. Quod quidem adeo verum eſt vt ſi beatis cælitibus optio fieri poſſet, aut perpetuo in Inferno diuinam gratiam non amittendo remanendi, aut viuorum peccatum contra diuinam Maieſtatem deſignandi, illi abſque vllo dubio millies Infernum antè pati, quam ſemel Deũ, quem laude tantopere dignum eſſe vident, offendere velle ſint decreturi. Quemadmodum autem idem Seruator noſter perfectiſſimè vnus ipſe quid Deus mereretur cognoſcebat, ita plus omnibus Sanctis affligebatur, cum peccata contra Patris ſui bonitatem admiſſa intueretur. Hoc ergo illud eſt quod Redemptorem acerbiſſime afflixit: Hi Carnifices, qui crudeliſſimè ſacroſanctam eius animam torſerunt: Hæc denique conſideratio illa eſt, ad quã Apoſtolus nos inuitat, cum ait. *Recogitate eum qui talem ſuſtinuit aduerſus ſemetipſum contradictionem:* planè ac ſi dicat, in ijs quæ pœnas & tormenta Ieſu Chriſti concernũt, ante omnia oppoſitionem illam diuinæ voluntatis conſiderate, ac firmiter vobis perſuadete eam præcipuum dolorum eius fuiſſe ſubiectum, in quo non perinde ac Martyres fuit excarnificatus, qui corporeum tantum dolorem ſentientes, culpæ ſimiliter non poterant experiri. Vti enim Ieſus Chriſtus verus homo & Deus erat, ita æque culpæ & peccati, ac tormentorum & pœnarum doloribus afficiebatur. Atque hoc ipſum Apoſtolus ſignificare voluit dicens, *contradictionem* contra illummet fuiſſe, quod nimirum illemet quatenus Deus etiam offendebatur. *3. p. q. 46 ar. 6.*

Tertia circumſtantia eſt, eorum conſideratio, qui illum excarnificabant: nec enim exiguo dolori eſt homini nobili, & præſtanti, inter lictorum ſe manus conſtitutum intueri. Legerunt ex vobis credo aliqui ſanctæ illius Scotiæ Reginæ martyrium, quam impia ſæculi noſtri Iezabel, & *Tertia cõſideratio à quibus patebatur.*

Eccleſiæ

Eccleſiæ Catholicæ flagellum, ac crudeliſſima Angliæ Regina perfidè de medio tolli curauit. Hæc ergo S. Regina etſi cætero qui humillima, & patientiſſima, nihil ægrius inter omnia tulit, quam quod ſe lictoris manibus traditum, conſpicabatur; vnde iamiam morte afficienda nunquam ei permittere voluit, vt amiculum quod collum cingebat ſibi detraheret, ſed paucis illum à ſe amolita ipſamet id exuit, oſtendens acerbius ſibi videri à carnifice attrectari, quam publico, & capitali ſupplicio affici. Hac doctrina præſuppoſita, in alterius cognitionem digredimur, quod videl. corã Deo parum, aut nihil referat diuitem vel pauperem, nobilem vel plebeium, terræ filium, vel nobilem eſſe; quod nimirum omnis nobilitas in Dei ſeruitute; ac omnis è contra turpitudo in peccato ſolo cõ-
1. *Reg.* 2 ſiſtit. Et docuit ſanè hoc nos ipſe Deus cum diceret: *Quicunque honorificauerit me glorificabo eum qui autẽ contemnunt me, erunt ignobiles.* Vultis ergo ſcire quinam lictores Seruatorem noſtrum adeo crudeliter excarnificarint? Dicet hoc vobis S. Paul. qui ait, *eum à peccatorib.* iſtiuſmodi ſuſtinuiſſe. Quod ſi peccatores apud illum infames ſunt (vti modo dicebamus) cogitate parumper Audit. quãto dolore Diuina Maieſt. affici debuerit, videns ab hominib. adeo ſordidis, & infamib. non amiculum tantum ſibi detrahi, ſed veſtimenta omnia exui, corpus denudari, mille verberib. & flagris conſcindi, faciem colaphis contundi, & mento Sacroſanctam barbam euelli. Non immeritò itaque S. Paul. circumſtantiam illam obſeruauit, quam tanto dolore Dei Filium affeciſſe cognouit. Adiungamus nunc præcedenti iſti aliam adhuc, quæ etſi aptè ad ſecundam poſſit referri, mihi tamen ſeparatim & aliquãto accuratius videtur eſſe obſeruanda. Ea eſt mortis conſideratio, quam Seruator noſter tolerauit, quæ tunc temporis omnium maximè infamis erat, quemadmodum hodie furca & patibulum, quib. nobiles non appenduntur, quod videl. nimium nobilitati derogare videantur. Legiſtisne aliquando Audit. quid Cicero contra Verrem ſcribat, qui ciuem Romanum crucifixiſſe ferebatur? *Facinus eſt vincire*, inquit ille, *ciuem Romanum, ſcelus verberare, prope parricidium necare, quid dicam in crucem tollere? Nefandum teterrimumque ſupplicium! verbo ſatis digno tam nefaria res appellari non poteſt.* Quod ſi Cicero

Quem dolorem ex mortis contẽplatione Chriſtus conceperit.

Digitized by Google

cero ciuis alicuius Romani dignitate conſiderata in hæc verba prorumpere non dubitauit, quid dicturum illum fuiſſe putas, ſi eum qui beatos cœli ciues in felicitate ſuperna conſtituit, non tantum vinciri, cædi & flagellari, ſed inuictiſſima etiam longeque crudeliſſima morte affici conſpexiſſet? Quod ſi eidem Ciceroni verba defuerunt, quibus Verris ſcelus deſcriberet, quid mihi euenturum putatis, qui Dominicam Paſſionem vobis explicare ac repræſentare aggredior? quis ſermo in hac materia breuis non erit? quæ eloquentia, quod orationis flumen, quæ dicendi copia & vis ſufficiet? Confiteamur ſane, dilectiſſimi in Chriſto, opera & actiones illius noſtra verba ac orationes ſuperare; & quod lingua explicare non poteſt, conſiderationi commendemus. Ad hoc enim Apoſtolus nos inuitat cum ait: *Recogitate eum qui talem ſuſtinuit à peccatoribus aduerſus ſemetipſum contradictionem.* Præſuppoſito itaq; quod omnium dictarum circumſtantiarum conſideratio diſcurſus ac ſermones noſtros debeat comitari: præcipuos funeſtæ huius tragædiæ actus conſideremus, quæ ab Euangeliſtis ſingulis ſcripta ſunt in compendium redigentes ſelectiores ſententias exponamus. *Egreſſus Ieſus trans torrentem Cedron.* Poſtquam Seruator noſter cum ſuis Diſcipulis, inquit S. Ioannes Euang. cœnam vltimam ſumpſiſſet, & Deo iuxta ſanctam ſuam conſuetudinem gratias egiſſet, aſſumptis vndecim Apoſtolis (iam enim duodecimus ſathanæ ſe aſſociarat) torrentem Cedron tranſijt, ac in hortum orationibus ſuis vacaturus introiuit. Audiuerat enim ſponſam ſibi dicentem: *Veniat dilectus meus in hortum ſuum, & comedat fructum pomorum ſuorum.* Tempus iam eſt, ô ſponſæ, vt hortum tuum ingrediaris, non illum terreſtris Paradiſi, in quo Protoplaſtus vetitum fructum manducauit, ſed in Gethſemani alterum, vbi intelliges cuius ſaporis fructus is fuerit, quem ille manducauit, & quemadmodum dentes noſtri ex eo etiam num ſint hebetati. Hanc ſponſæ vocem ſimulac Seruator noſter auribus ſuis accepiſſet, vna cum Diſcipulis ſuis torrentem illum pertranſiuit, quem multis ſæculis ante Rex Dauid cum populi ſui parte & domeſticorum aliquibus tranſiuerat, cum videlicet Abſalonis filij ſui furorem declinaret, qui eum nō aliter quam Iudas Seruatorem noſtrum perſequebatur.

Ingreſſus Chriſti in hortũ. *Cap.* 18.

Cant. 5.

2. *Re.* 15.

Abſa-

Abſalon enim (inquit Eucherius) non tantum in eo Iudam præfigurauit;quod patrem perſecutus, ſed etiã quod ſuſpenſus mortuus eſt. Et Dauid fuit figura Chriſti, quia eundem torrentem filium ſuum fugiens pertranſijt;quia domeſticos ſuos ſecum habuit;vti Chriſtus Apoſtolos,& quia vterque iniuſte & inique fuerunt afflicti. Etſi vero verius ſit Seruatorem noſtrum Iudam non fugiſſe, ſed immoto pede expectauiſſe. Idcirco enim(vti Euangeliſta notauit)in hortum ſe contulit,quo Iudas plerumque eum venire de nocte ſciebat,illic vt præcibus & orationi vacaret. Et præcedebat Seruator noſter Diſcipulos ſuos,vt oſtenderet, ſe mortem & infernum prouocauiſſe, quippe cum nihil æquè fortem & ſtrenuum animum arguat; quã audacter aduerſarium ſuum præſtolari; quemadmodum quoque nihil perinde ignauiam & abiectionem ſignat, quam loco cedere, & hoſti frontem oſtendere non audere. Introiuit ergo Seruator noſter hortum, eodem in loco remedia præparaturus,vbi malum inceperat; illíque iam conſtitutus ſponſam ſuam ita poterat affari: *Veni in hortũ meum, ſoror mea, ſponſa, meſſui myrrham cum aromatibus.* Etſi enim iniuriæ & tormenta; quæ Seruator noſter ſuſtinuit, tam in horto, quam alibi, qualibet myrrha fuerint amariora, oratio tamen quam in horto ad Deum Patrem fudit, faſciculus quidam fuit ex diuerſis aromatibus concinnatus. In ſcripturis namque ſacris deuotorum hominum orationes thuri, ac alijs aromaticis odoribus comparantur. Vultis, dilectiſſimi mei, ad oculum videre & intelligere quomodo Seruator noſter in horto Gethſemani amariſſimam illam ſuam myrrham collegerit ? Audite quid Euangeliſta dicat: Aſſumptis tribus Diſcipulis Petro, Ioanne & Iacobo, longius ab alijs ſeceſſit, vt quibus ante in monte Thabor ſe transfiguratum oſtenderat, eiſdem afflictum & deſiguratum ſe exhiberet. Sanctus vero Marcus dicit eum *pauere & tædere* incepiſſe: quæ duæ voculæ vt categorice explicentur pluribus verbis & circumlocutione opus eſt. *Pauere* namque propriè ſumptum conſternationem quandam ſignificat, quæ in animo concepta & generata in corpus deinde redundat; propter vehementem repræſentatæ nobis rei appræhenſionem: quemadmodum ſæpe hominibus meticuloſis accidit, qui vbi in obſcurum aliquem

Cant. 3.

Vbi meſſuit myrrhã triſtitia cũ aromatibus orationis.

aliquem locum ingrediuntur, ipſi ſibi phantaſmata ſe videre perſuadent, tametſi illa nonniſi in ipſorum imaginatione ſint fundata. Hinc ad inſtar glaciei frigido ſudore per totum corpus perfunduntur, & capillis ſurſum enitentibus, omnibus artubus cohorrent ac contremiſcunt. Altera autem vox *tædere* nauſeam quandam habere ſignificat, ita vt nulla omnino re ducaris, aut delectatione aliqua afficiaris. His autem omnibus in Seruatore noſtro ita coniunctis, nunquid iuſtè ac merito dicere poterat myrrham ſe in horto ſuo meſſuiſſe? Cum ecce ille omnes iſtos terrores ac pauores abſterſurus ad diſcipulos ſuos conuertitur & ait: *Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem*. Planè ac ſi dicat: Tanta eſt animæ mea triſtitia & mœror, vt niſi corpus meum à Diuinitate ſuſtentaretur, citra vllum dubium & controuerſiam mortem mihi videatur eſſe conciliatura. Etenim ſi Diui Ioanni Chryſoſtomo ac alijs nonnullis Doctoribus credimus, traditio Iudæ, Apoſtolorum ſcandalum, damnatio Iudæorum, deſtructio Hieroſolymorum, & omnis illa infinita pænarum ac tormentorum multitudo, vno in momento Seruatori ſe noſtro hortum ingredienti repræſentauerunt. Et quoniam naturale eſt hominem ſibi contraria metuere, & abhorrere, hinc ſimulac Seruator noſter in Paſſione ſua timori ac triſtitiæ copiam ſe inuadendi fecit; omnium harum rerum vehementiſſima apprehenſio ſummum mœrorem, tædium, ac pauorem in eo generauit. Vbi obſerua quod Ariſtoteles dicit, ad verum videlicet metum ac timorem alicui incutiendum duo requiri: puta mali venturi apprehenſionem, & ſpem idipſum aliquatenus euadendi: Etſi in Seruatore noſtro poſterius requiſitum non fuerit, priore videlicet ſufficiente. Etſi enim homo clarè, euidenterque intelligat rationem ex manifeſto periculo elabendi ſibi non obuenire, attamen ſi idipſum tanquam futurum apprehendat, metum concipere poteſt & in ſe ſuſcitare. Imò (quemadmodum nonnemo ex recentioribus authoribus obſeruauit) timor mali venturi tanto maior eſt, quanto certius conſtat id te declinare, euitareque non poſſe: qui enim ex illo ſe emerſurum ſperat,

Magnitudo triſtitia Chriſti.

Frã. ſuares 3. par. q. 15. art. 7.

Mm hanc

hanc ipſa fiducia malum ſuum haud aliquanto leuius faciliusque ſibi reddit. Hoc autem neutiquam accidere ei poteſt, omni qui prorſus ſpe deſtitutus animum & haſtam abiecit; iſtiuſmodi enim more & abſq; vllo ſolatio timet. Seruator vero noſter ſine expreſſo ſuo conſenſu ac licentia metu timore perfundi non potuit, quod videlicet paſſiones illæ non eodem in illo modo quo in nobis reperiebantur: Simulac enim illæ animas noſtras occuparint, tum vero vel nobis inuitis ijs inhærent ac dominantur. Quod in perſona Seruatoris noſtri etiam accidiſſe dicere non poſſumus, quia nimirum paſſio in eo planè nulla erat, quæ citra rationis permiſſionem & licentiam ſe auderet commouere. Atque ob hanc cauſam Diuus Hieronymus Seruatoris noſtri paſſiones *propaſſiones* appellat.

Videns itaque humani generis vindex & aſſertator Ieſus Chriſtus triſtitiæ cuidam pelago ſe immerſum, ad orationem tanquam ad certiſſimum mœroris nepenthes confugit, ac oculis in Apoſtolos coniectis, *Auulſus eſt ab eis*, inquit Euangeliſta, *quantum iactus eſt lapidis*. Vbi voculam *auulſus eſt* obſerua, quæ violenter aliquid abripere ſignificat, & quam ægrè Seruator noſter vel ad lapidis iactum ſe à Diſcipulis ſeiungi paſſus fuerit, oſtendit. *Auulſus eſt*, inquit, ab eis quantum iactus eſt lapidis. Spatium plane exiguum, breue, ac prope nullum; attamen amantis reſpectu immane, longum, ac maximum. Auulſus autem eſt ab eis, vt nobis inſinuet ſolitudinem oratur is eſſe perneceſſariam; ſimulac enim ab illis diſceſſiſſet, *poſitis genibus procidit in faciem ſuper terram*: adimplens Ieremiæ illud de ſolitario homine loquentis: *Ponet in puluere os ſuum, ſi forte ſit ſpes*. Si forte humilitas illa exaudiri mereatur, quam ſcit cœlos penetrare, ac inde non ſine bono reſponſo deſcendere. Procidit autem in terram imaginem ſuam ſemel per peccatum deletam denuo illi impreſſurus, profundam animæ ſuæ humilitatem declaraturus, facto & opere illud Patriarchæ dictum impleturus: *Loquar ad Dominum cum ſimpulvis & cinis*; ac deniq; hunc ſitum orationis maxime proprium & conuenientem eſſe demonſtraturus.

Hier. in cap. 27. Matth.

Chriſtus inuite à ſuis auelitur.

Comites orationis ſolitudo & humilitas.

Thren. 3.

Iacens ergo ita in terra, ac in puluere ſtratus primo dixit:

xit: *Abba, Pater; omnia tibi poſſibilia ſunt ſi poſſibile eſt, transfer calicem hunc à me*. Vbi ex prima orationis voce *Abba* intelliges, omnes illos timores & ſuppliciorum ſibi præſentatorum auerſiones, aliud nihil fuiſſe, quam humanæ naturæ puerilitates; quod ipſemet ſatis ſuperque oſtendit, quando ad inſtar pueri orationem ſuam à voce Pater auſpicatur. *Gen. 18.*

Verum obſeruemus aliquanto verba ipſa orationis filium quo vtitur, attentius Agnoſcitis in principio Patri ſuo impoſſibile nihil eſſe, *Omnia tibi poſſibilia ſunt* : Loquens nimirum de abſoluta Dei volũtate, de qua Regius Propheta Dauid dixerat: *Omnia quacunque voluit fecit in cælo & terra.* Attamen hæc ipſa etiam voluntas nonnulla ſecundum præordinationem Dei determinata complectitur: adeo vt aliquæ res ſecundum abſolutam Dei voluntatem poſſibiles ſint, quæ tamen ex diuina determinatione impoſſibiles vocarentur, Dicit proinde Ieſus Chriſtus, Noui ego certè ò Pater voluntati tuæ abſolutæ nihil non poſſibile eſſe; at fieri etiam poteſt vt calix iſte determinatus ſit: quod ſi itaque citra diuinæ præordinationis violationem fieri poteſt, humiliter te obſecro calicem vt iſtum à me tranſire patiaris; ſin vero adynaton id eſt, tum potius ſanctiſſimæ tuæ ſatisfiat voluntati. *Oratio Chriſti in horto. Pſ. 113.*

Obſeruate deinde Chriſtum paſſionem ſuam nõ abſq; cauſa & myſterio calicem appellauiſſe, ſignificat enim nomine iſto ſe ardentiſſima ſiti paſſionem, mortemq; ſuam deſiderare, ac illa non aliter quam calice eam ſibi videri reſtinctum iri. Et deſiderabat ſane illam non minus quam metuebat: appetitu videlicet naturali, & rationali ſuper paſſionis ſibi præſentatæ obiecto accerrime dimicantibus; quorum ille mortem tanquã naturæ contrariam auerſabatur, hic tanquam ſummum & vniuerſale mundi bonum enixè illam deſiderabat. Idem plane ægris accidit, qui catapotia quatenus amara & vomitum cientia auerſantur, quatenus autem purgatiua & ſalutaria hauriunt atque abſorbent. *Cur paſſionẽ calicem appellet.*

Pater ſi poſſibile eſt tranſeat à me calix iſte.

Hæc verba ab æterno & infinito verbo prolata, tot ac tanta myſteria complectuntur, hactenus vt à grauiſſimis etiam authoribus diuerſimode & multifariam fue-

rint explicata. Certe Diuus Baſilius in ſuo Apologetico contra Eunomium aſſerit peccata vniuerſa, quæ Iudæi toto Dominicæ paſſionis tempore erant admiſſuri, Seruatori noſtro repræſentata ac tunc ob oculos collocata fuiſſe cum verba illa pronunciaret; Orabat ergo Patrem ſuum quatenus calicem à ſe auferret, non quia dolores & ſupplicia Paſſionis auerſabatur, ſed quia Populi Iudaici tantopere à ſe armati impietatem & crudelitatem contra Diuinam ſuam Maieſtatem conceptu cogitare non valebat. Vnde hæc ſuæ orationis ſumma &, ſcopus erat, mori & pati poſſe, hominibus tamen adeo crudelia & atrocia ſcelera non deſignantibus. Certum namque & indubitatum eſſe debet plus eum hominum peccata, quam carnificum tormenta afflixiſſe Diuus vero Hieronymus, inquit, Chriſtum orationem hanc fundentem, non Iudæorum tantum peccata ſed punitionem & vindictam ſecuturam deplorauiſſe. Vnde idem eſt ac ſi dixerit: Noui ego, ò Pater & Deus vincula iſthæc mea multas captiuitates Iudæis eſſe cauſatura, noui coronam ſpineam qua caput meum cingent, eorum aliquando Metropolim obſidione eſſe cincturam; noui crucem meam plurimorum ignominioſiſſimis ſupplicijs, ac mortem denique crudeli Hieroſolymitanorum carnificina iri expiatum. Atque hunc ego calicem à me tranſire deſidero; concede ergo mi Pater, vt pro hominibus merear, at fac etiam tantine mors mea conſtitiſſe dicatur. Iam S. Epiphanius orationem illam militare quoddam ſtratagema fuiſſe affirmat dicens, timorem ſe ſimulauiſſe, tanto vt facilius hoſtes & inimicos ſuos ad ſe pelliceret: imitatus in hoc belli Imperatores, qui fugam quandoque ſimulant, vt ita hoſte in locum commodum pellecto facilius eum conficiant & mactent. Neque tamen idcirco exiſtimandum eſt, Seruatorem noſtrum vere non timuiſſe; quippe cum id omnes Theologorum ſcholæ tanquam certum, ac indubitatum ſemper tradiderint. Epiphanius autem ſolum voluit Chriſtum hoc timore ad decipiendum Diabolum vſum eſſe. Et quamuis omnes iſtæ interpretationes bonæ ſint, ac Redemptoris noſtri verbis aptè ſatis applicentur, vulgatior

Epiph. in Anchorato.

gatior

gatior tamen receptiorq; illa eſt, quam nos antea attulimus, eum videlicet per hæc verba oſtẽdere voluiſſe verum ſe hominem eſſe, auerſando mortem tanquam naturæ cõtrariam, idque non deliberata volũtate, ſed appetitu quodam naturali, per quem caro omnia ſibi contraria abhorret ac deteſtatur. At obtinuit nihilominus ſub finem Patris voluntas, cui Filij animus &, mens ſemper conformis fuerat, ac illi non aliter quam caro ſpiritui ſuo ſubiecta. Hac oratione finita, Seruator noſter ad ſuos Diſcipulos ſe conuertit, vt quia à Patre conſolationem, reſponſionemque habere non poterat, ſaltem cum Apoſtolis ſuis ſermocinãdo triſtitia ac mœrore ſuo aliquatenus leuaretur. Verum vti conſolatio, quam à creaturis expectare poſſumus, dubia plane incertaque eſt; ita eam Seruator noſter minime tunc quoque potuit adipiſci; omnes enim iam indormiuerant ac anxium mœrentemque ſuum Magiſtrum conſolari &, alloqui non valebant. Cum ecce tibi benigniſſimus noſter Redemptor illos excitat, &, tanquam ad efficaciſſimum tentationes effugiendi medium, vigilas puta adhortatur: ac deinde ad locum ſuum cæptam orationem continuaturus reuertitur. Orat ergo, at neque tunc reſponſionem accipit, vt nimirum nos intelligamus neminem turbari ac animo cadere oportere, tametſi quod petijt à Deo bonorum omnium Oeconomo è veſtigio non impetret ac conſequatur. Abſoluta & hac oratione ad Apoſtolus reuertitur, ac ſecunda iam vice ſommo oppreſſos, ac implicitos offendit: Adeo videlicet homini proprium eſt tunc altum ſtertere, &, ſolito profundius dormire, quando Deus curas de illius ſalute procuranda ſuſcipit. Seruator vero noſter ab Apoſtolis recedens tertio orationi ſe dat, cum ecce Pater ęternus filium ſuum vnigenitum adeo afflictum, anxium, & ſudorem ſanguineum ſudantem non abſque compaſſione conſpiciens, Angelum ad eum ablegauit. *Apparuit illi Angelus de cælo confortans eum*, inquit S. Euangeliſta, quamuis autem liquido ac manifeſte ſcire non poſſimus, quid Angelus iſte Seruatori noſtro dixerit: conijcere tamen licet ac augurari eũ Patris ſui voluntatẽ illi declarauiſſe, cuius ſola cognitio magno ſatis ſolatio ei erat futura. Nec ignorabat tamen illam ipſe Chriſtus, imò ab omni æternitate cogni-

Chriſtus initio ſua orationis nullam conſolationẽ accepit.

Tandem ab Angelo confortatur, & quomodo.

cognitam Angelus tantum modo in memoriam ei reuocare volebat dicens: Noſti tu ò Domine, hanc ſententiam diuini conſilij eſſe in ſacroſanctæ Trinitatis conciſtorio latam, quod etſi poſſibile ſit (abſolute loquendo) alijs medijs hominem redimi, hoc tamen vnicum, puta tua Paſſio ac mors conuenientiſſima eſſe debeat. Hoc autem decreto præſuppoſito, neceſſe eſt te calicem iſtum bibere, ſine quo nec ſcriptura adimpleri, nec iniurijs Paternæ maieſtati irrogatis ſatisfieri, nec etiam Angelorum ruina poteſt reparari. Sine hoc antiqui Patres ex ſinu Abrahæ non egrediuntur, Diabolus non vincitur, nec Deus homini, ac Homo Deo reconciliatur. An non recordaris Domine arcus illius quem poſt diluuium in nubibus apparere vo-
Gen. 9. luiſti, vt nimirum conſtaret Deo ſatisfactum, ac hominem denuo in illius gratiam eſſe receptum? Et noſti tu ſane eundem illum arcum tui imaginem ac figuram eſſe; tui inquam qui in crucis arbore pendens, & proprio ſanguine coloratus humanum genus cœleſti tuo Patri reconci-
Gen. 22. liabis. An non recordaris Iſaici illius, qui proprijs ſuis humeris ligna ſacrificij in montem baiulauit? Et nunquid ſcis eum te in Caluariæ montem crucem portantem præfigurauiſſe? An non recordaris Moyſis illius qui quoad brachia eleuata tenebat, Amaladritę miſere cedebantur & ſuperabantur? Iſte vero Moyſis non vero tui figura eſt, qui manibus in cruce eleuatis, Diabolum vinces ac de
Exo. 17. Inferno triumphabis? An non recordaris ærei illius in deſerto erecti ſerpentis, cuius intuitu qui morſi erant vitam recipiebant ac ſanabuntur? Tu autem quid aliud es
Num. 21. ac facies, quando in edito montis iugo arbori appenſus omnes peccato infectus & intoxicatos vitæ ac ſaluti pari-
Joan. 3. ter reſtitues? An non recordaris ob inuoluntarium homi-
Num. 35. cidium exulantibus, nonniſi poſt ſummi Pontificis mortem in patriam licuiſſe reuerti? An autem te fugit, neque nobis qui etiam ſcientes atq; prudentes proprias per peccatum animas interfecimus in cælum redire licere, niſi poſtquam tu ſummus noſter Pontifex fueris defunctus? Et ſunt omnino adhuc innumeræ aliæ figuræ, quæ impleri non poſſunt, niſi tu calicem iſtum bibas: tu enim harum figurarum veritas, & vmbrarum ac imaginum corpus es. Non dubitaſti tu aliquando publicè & coram

vni-

vniuerſa multitudine dicere, veniſſe te in hunc mundum, non vt leges ſoluas, ſed vt adimpleas: quin ergo te iam ad id præſtandum & ad ſingulas figuras implendum accingit? Hæc æterni tui Patris voluntas, hæc ſententia, hoc decretum eſt. *Induere* ergo *fortitudine brachium Domini, conſurge ſicut in diebus antiquis*, quando videlicet vnus iſtud pro ſalute humani generis multò quam libentiſſimè humeris tuis impoſitum excepiſti. Hæc ferè ſunt quæ Angelus Domini ad Seruatorem noſtrum Ieſum dicere poterat, à quo velut à Deo ac Domino ſuo benedictionem cum accepiſſet, abijt, ac illum in oratione reliquit. *Iſai.51.*

Factus in agonia prolixius orabat. Ad hanc vocem agoniam rite & accurate intelligendam (conflictum enim ſeu luctam ſignificat) ſciendum eſt ante cum quo Seruator noſter luctatus fuerit atque conflixerit. At quis illum tantopere adortus fuit, & impugnauit? Quis ſudorem ſanguineum illi expreſſit? Dico imprimis Auditores, Chriſti hunc conflictum non fuiſſe repugnantiam, aut diſſenſionem aliquam inter ſenſus ac rationem, inter carnem ac ſpiritum, inter appetitum denique naturalem ac rationem: hæc enim partes vniuerſę non aliter, quam in innocente Adamo, à ſe inuicem non diſſentiebant. Vnde conſequitur luctam repugnantiamq; illam ſolummodo inter obiectum tolerandorum, & potentiam ſenſitiuam, ſecundum naturalem eius appetitum fuiſſe. Simulac enim conſtitutum eſſet eum calicem iſto neceſſario bibere oportere, tormentorum pro homine ſufferendorum multitudinem ita apprehendit, ſingulis vt ad viuum ſe repræſentantibus, eius ſenſus tanquam naturæ contraria ſupplicia illa omnimodo abhorruerint. Videns autem à decreto illo exceptionem non dari, incredibilem illico in ſe conflictum inter obiecta ſuorum tormentorum & appetitum ſenſitiuum fuit expertus: adeo quidem vt omnibus poris patefactis ſanguineus certatim ſudor inde erupit. Vnde etiam nō male dicere poſſumus eum bis mortē oppetiuiſſe: ſemel in imaginatione, quando ei flagella, coronæ claui, & mors ipſa fuit repræſentata: ac deinde in ipſa perſona & corpore, quando omnis illa tormentorum & ſuppliciorum multitudo in ſacroſanctam eius Humanitatem denotauit. Atque hæc anguſtia tanta fuit, vix *In quo ſita fuerit agonia Chriſti.*

De ſanguineo ſudore. vt verbis explicari poſſit ipſo Euangeliſta difficultatem in ea exprimenda non obſcure ſignificante, cũ ait, *Factus eſt ſudor eius, ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram* O Abiſſum myſteriorum pauculis iſtis verbis contentam *Recogitate* mihi per Deum, Auditores, *eum qui talem ſuſtinuit à peccatoribus aduerſus ſemetipſum contradictionem* Inſiſte hic paulisper, Chriſtiane homo, & animæ ac conſiderationis tuæ oculos in funeſtum illud ſpectaculum aliquamdiu defige. Recordare quod ſpoſa in Cãticis dilectum ſuum vocet *Botrum Cypri in vineis Engadi*; Botrum dico, quem qui premit, is, omnem eius liquorem exprimit atque extorquere. Cogita itaque quam violenter diuinus ille botrus premi torquerique debuerit, ſiquidem ab omni parte ſanguinem diſtillat & profundit Quod ſi ex me ſciſciteris Chriſtiane Auditor quis illum adeo preſſerit, torſerit atque ſubegerit, reſpondeo id mea & tua pariter peccata præſtitiſſe. Tormenta enim quæ pro illorum expilatione erat perpeſſurus, à ſancta ſua imaginatione tenaciter apprehenſa, torcularia quædam fuerunt, quæ Seruatori noſtro ex benedicto ſuo corpore, puriſſimum ſanguinem expreſſerunt. Bone Deus nunquid tu illes es, qui proprio ſanguine baptizari adeo ardẽter deſiderabat? *Luc. 12.* *Et quomodo coarctor vsq; dũ perficiam*. Et dubitet adhuc ex vobis aliquis Audit. pehemens illud deſiderium ſanguineũ Seruatori noſtro ſudorẽ expreſſiſſe? At cõclude mihi quæſo aliquãtiſper, ô Seruat. animæ meæ, poros, & rimas illas: pauxillũ enim iſtud ſanguinis quod tibi adhuc ſupereſt, mox certatim tibi venis inciſis exprimetur. *Vnde cauſata ſit hæc ſanguinis effluuio.* Mira reuera ſunt quæ SS. Patres de ſanguinis iſta effuſione tradiderunt: & eſt plane illa inter cætera euidentiſſimum argumentum, etſi vti diximus Seruat. noſter vere timore correptus fuerit, ſudorem tamẽ illum nequaquam à timore fuiſſe profectũ. Docet namq; ipſa experientia, ſi quãdo timore metuq; percellimus, ſanguinem ad cor ſe recipere, ac illud velut præcipuam hominis partem tueri velle & conſeruare. Vnde etiã fit, quod ſanguine ad centrũ hominis cõfugiente, reliquæ exteræ eius partes frigidæ ſint, ac omni protinus calore deſtituantur. In Seruat. aũt noſtri perſona contrariũ plane accidiſſe videmus ſanguis enim audax & ſtrenuus foras erupit, nec timore mortis repreſſus latebras quæſiuit ac circumſpexit.

xit. Et quamuis dubium planè nullum ſit Seruat. noſtrũ in agonia iſta omnib. tormentis imaginationi ſuæ repræſentatis mirabiliter fuiſſe afflictũ,& conſternatum,tamen nulla perinde cogitatione exanimatum fuiſſe illum credo, quam cum viderent coram vniuerſo populo omnib. ſe veſtibus exuendum denudandumq; eſſe. Eum autem dolorẽ omnium acerbiſſimum à Seruatore noſtro fuiſſe exiſtimatum,vel inde patet,quod is omnib. virginib. qualcũnque mundus habuit caſtior ac verecundior fuit. Atque hâc ob cauſam quodam in loco Paſſionis ſuæ confuſionem cœleſti ſuo Patri repræſentauit dicens: *Domine tu ſcis confuſionem meam & reuerentiam meam.* Et alibi: *Confuſio faciei mea cooperuit me.* In quib. duobus locis confuſio incomparabilem ignominiam ſignificat. Et S. Paulus Apoſt. in Epiſt. ſua ad Hebr. omnia reliqua tormenta cum hac confuſione comparata parui facere videtur,dum ait: *Aſpicientes in authorem fidei & conſummatorem Ieſum Chriſtum,qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem confuſione contempta.* Nô ignoratis vos,Auditores,eos qui pudore ſuffunduntur,ſanguine in faciem redundante æſtuare,ac erubeſcere?Noſter ergo Seruator incomparabilem confuſionem cogitans qua afficiendus erat,cũ in cruce nudatus omnium oculis exponeretur,tanta vi ſanguinem protruſit, ac expulit,vt patefactis poris certatim mox in terram deflueret, ac promanaret. O Magdalena q̃ alias Seruatoris mei pedes lachrymis perfuſos ac irrigatos capillis tuis exterſiſti, adeſto iã nunc & defluentes toto corpore ſanguinis riuos reuerẽter excipe atq; abſterge. O Beata & intemerata virgo Maria, quæ tenellos infantis Ieſu artus exterſiſti, nunc quæſo viro aſſiſte, ac idem ei charitatis officium præſtare non dubita. Vos autem dilectiſſimi mei, qui alia Redemptorem noſtrum ratione conſolari non poteſtis, ſaltem *Recogitate eum qui talem ſuſtinuit contradictionem.* Venerabilis Beda de ſudore iſto verba faciens,inquit,eum ideo in terram vſque defluxiſſe, vt conſtet homines terrenos virtute ſanguinis Dominici lauari oportere,quod videlicet hic aqua putei illius eſt,quẽ Deus per Zachariam promiſit, *In ablutionem peccatoris & menſtruatæ.* D. vero Auguſtinus inquit ſudorem toto corpore defluentem ſignificauiſſe, quod de vniuerſo Eccleſiæ corpore martyrum ſanguis debeat

Pſal. 68 *Pſal. 43* *Heb. 12.* *Moralitatio ſudoris Chriſti.* *Bed. in 22. Luc. Cap. 13.*

beat

S.Ber. hom. 3 in die psal marum. beat deſtillare. Et S. Bernardus dicit Seruatorem noſtrum non contentum peccata noſtra occulorum ſuorum lachrymis lauiſſe, totius etiam corporis ſanguinem impendere voluiſſe, quo videlicet eius maculæ turpitudo perſpiceretur, ad quam eluendam adeo pretioſam lixiuiam fuit adhibere neceſſe. Verum quoniam latus, & amplus admodum de Dominica Paſſione loquendi campus aperitur, cæteris omiſſis, orationis quam Seruator noſter in horto fudit circumſtantias penſiculatius aliquanto conſideremus.

De circumſtātijs orationis Chriſti. Fuit ergo inprimis illa ſolitaria, tam loci quam temporis ratione. Fuit deuota, & reuerentia plena, quia à cernuo, & facie terram contingente effuſa. Fuit humilis ipſo corporis ſitu animæ humilitatem teſtante. Fuit prudens, & diſcreta, qui.n. illam perſoluit, is ſuam voluntatem perfectè reſignauit, ac Diuinæ totaliter ſententiæ conformauit. Fuit attenta, & feruēs, prout ex ſudore ſanguineo apparet. Fuit conſtans, & pertinax Seruatore noſtro eandem rem aliquoties à cęleſti Patre efflagitante. Fuit deniq; cura, & ſollicitudine ſtipata, Chriſto in hac agonia ſuorum Diſcipulorum neutiquam obliuiſcente, ſed aliquoties illos adeunte. Vnde intelligimus nos cum Deo ſermonem habituros curare oportere, vt oratio noſtra ſolitaria, vt deuota, vt humilis, vt diſcreta, vt attenta, vt feruida, & vt conſtans fuiſſe perhibeatur. Quibus deinde circumſtantijs cōſequemur ipſe vt nobis Deus Angelum de cælo conſolatorem mittat, quemadmodum illum Seruatori noſtro miſiſſe Euangeliſta teſtatur.

Continuatio. Poſtquam Ieſus Chriſtus tertium iam ab oratione ſurrexiſſet, Apoſtolos ſuos ſomno oppreſſos excitauit, ac pigritiam ſuam illis exprobrauit: dicens pudore ſuffundi eos oportere, quod Iuda tam vicino dormire non vereantur. Hæc dum dicit, ecce tibi ipſe proditor Iudas hortum ingreditur, militum cohortem ſecum ducens; *Captiuitas Chriſti.* quo videlicet intelligas proditionem meticuloſam eſſe, ac idcirco armatos qui ſe tueantur habere ſecum velle. Seruator ergo noſter ſtrepitu ac tumultu exaudito incredibili fortitudine ac conſtantia ſeptus hoſtibus ſuis obuiauit. Deinde vero interrogans quem quærerent, ac illis reſpondentibus Ieſum Nazarenum, Seruator noſter vix verba hæc: *Ego ſum* protulerat, quando è veſtigio omnem

omnem illam tenebrionum ac latronum aciem in terram deiecit:facto iſthoc ſuo ſatis ſuperque indicans non citra ſuum conſenſum, ac permiſſionem ab illis ſe capi atque vinciri. Verum inſiſtamus aliquanto diutius huic loco, & quam ſollicitus Seruator noſter pro ſuis Apoſtolis fuerit preſſius, ac attentius paulo conſideremus. Meminiſtis vos credo, Auditores, Seruatorem noſtrum de Iudæorum ingratitudine, ac ſuo amore quo illos complectebatur verba facientem gallinæ ſe comparare, & dicere: *Hieruſalem Hieruſalem, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti?* In cuius ſi dicti memoriam digreſſi fueritis, conſiderate obſecro pauliſper etiam quanta vi, & contentatione gallina pullos ſuos propugnet, ſi quando miluum illos perſequi conſpicatur: vbi enim amor eſt, ibi nullo negotio gallina in leænam transformatur, vt res amata tegatur atque defendatur. Videas tu proinde gallinam vbi miluum aduertit, plumas attollere, ac alas tanquam iubas quatiendo, roſtro, ac vnguibus contra hoſtem ſe ſuum armare. Noſter autem Seruator quid fecit, imò quid non fecit, vbi hoſtium cohortem ad ſe capiendum aduentare cōſpexit? Recta obuium ſe inferens vnico verbo omnes in terram proſtrauit atq; deiecit: Itane vero? Poteſt roſtrum fortius, ac vnguis gallinaceus pugnatori reperiri, quam illud *Ego ſū,* fuerit? O dulcis Ieſu, modo ego ſub alis tuis deliteam, etſi infernus contra me inſurgat, ac fremat ſemper tamen tutus ac ſecurus conſiſtam. Videbas tu, ô bone Deus, Iudæos tanquam rapaces miluos imbelles ac inermes tuos Apoſtolos perſequi; cum ecce ad inſtar gallinæ obuiā illis procedis, ac hoſtium furori caput tuum audacter ac fortiter opponis. Habuit illud tuum. *Sinite hos abire,* tantam vim, & energiam, vt etſi S. Petrus Pontificis ſeruo auriculā amputauiſſet, nemo mutire diſcereue contra attentarit. Nunc quemadmodum Seruator noſter aduerſarios ſuos exceperit explicato; videamus etiam æqualem erga Iudam maledictum ac infelicem Diſcipulum ſe demonſtrauit: Transformauerat ſe deſperatus ille in miluum, verum quia aliquando Diſcipulus, & Apoſtolus fuerat, ideo eū Seruator noſter clementiæ ſuæ alijs ēt tum tegere voluit, & conſeruare; tametſi is beneficium illud contumax, & obſtinatus

Chriſti amor, & ſollicitudo ergā ſuos.

Mat.23.

aſper-

aſpernaretur. Quin ne iniuſtiſſimę illius iuſtitiæ executores pro Seruatore noſtro S. Iacobum iuniorem cōprehenderent, Iudas ei manus inijcere præcepit, quem ipſe pacis oſculo excepiſſet. Hanc ergo deinde teſſeram exhibiturus ac promiſſioni ſuæ ſatisfacturus, de terra (in quā vna cum reliquis erat cōiectus) ſurrexit, Ieſum Chriſtū adijt, ac ſacrilega ſua labia benedictæ eius faciei apprimens, oſculū illi porrexit: *Amice ad quid veniſti?* An vt pacē mecum foueas, vel potius vt bello me laceſſas ac prouoces? ſi pacē ſpectas, ad quid omnis iſta armatorū cohors ac multitudo? ſi bellum, quid opus eſt pacis mihi oſculū porrigere? His ita dictis Seruator noſter diuinam ſuā potentiam cohibuit, vires repreſſit, & ab impijs Iudęis ſe capi vinciriq; permiſit. Videtur mihi planè factum iſtud Audit. non multū ab eo diſſimule quod Sueton. Tranquil. in Iulio Cęſare narrat. Cōtra hunc non pauci Romani nobiles capitale quoddā odiū conceperant, imò coniurationęm ēt iniuerant. Erat inter coniuratos iſtos Marcus Brutus, quē Iulius Cæſar tot ac tātis beneficijs affecerat, & adeo tenere amabat, eius vt vulgo filius exiſtimaretur. Sedente itaq; Imperatore in Curia Caſſius vnus ex coniuratorum numero à tergo illum adoritur, ac ſemel pugione transfigit. Attonitus Cęſar quid ſibi inſperati hoc eſſet circūſpicere, ac deinde manu ad gladium appreſſa ſe velle defendere; Verum cum etiam à M. Bruto ſic transfoſſus fuiſſet, mox gladium abiecit, togam collegit, & Bruto peramanter ait: *Tu quoque Marce fili?* Ac ſi diceret, vidēs me hactenus ab hoſtibus, & inimicis meis oppugnari, manus, & animum ad mei defenſionem habui nunc vero ipſum meum filium mihi inſidiari conſpiciēs, mori, quā amplius me propugnare malo. Quid autem de te Marco filio mihi videatur in præſentiarū explicare non poſſum. Tunc etiam ex eorum numero es qui contra vitā meam conſpirauerunt. Tu quem tot hactenus beneficijs mihi obſtrinxi, & obligaui? Tu qui me præ cæteris defendere debebas primus in me impetum facis ac irruis? Idem mihi planè Audit. in proditione Iudæ accidiſſe videtur. Priuſquā n. is proprius pedē intuliſſet, Seruator noſter verbi ſui gladiū apprehendit (ita namq; à S. Paulo appellatur, dū ait: *Accipite gladium ſpiritus quod eſt verbū Dei.*) Simulac autem proditorem ſuum inter coniuratos conſpexit, amplius

Oſculū pacis hic proditionis ſymbolum.

Mat. 26.

Comparatio Bruti & Iudæ Chriſti, et Cæſaris.

Epheſ. 9.

plius

plius ſe defendere noluit, ſed Apoſtatam ita compellauit: *Amice ad quid veniſti?* Te etiam inter hoſtes, & aduerſarios meos video? Te quem ex mundo vocaui? Te quem inter Apoſtolos cooptaui? Te cui miracula patrandi poteſtatem conceſſi? Te qui vitam pro me deponere debuiſſes? ***Ad quid veniſti?*** vt nimirum tuum Magiſtrum, vt Benefactorem, vt Dominum, vt Deum, vt Protectorem tuum, & qui adhuc amici nomine te dignatur, capias, & comprehendas? Verũ hęc omnia fruſtra fuerũt, nec obſtinatũ traditoris Iudę animũ vllo modo flectere, ac ad ſaniora ſuſcipiendũ cõſilia incitare potuerũt; ſimulac. n. auarus computũ, & rationẽ ſuã inijt, nunquã hoc vel totius orbis ſermones ac exhortationes præſtabũnt, obulum vt ſibi vnum extorqueri patiatur.

His factis milites Seruatorem noſtrum cinxerunt, quò Dauidicũm illud vaticinium adimpleretur: *Circumdederunt me canes multi, conſilium malignantium obſedit me.* Quẽadmodum ergo laneone vitulum ad macellum pertrahente, immenſa repente canum multitudo illum circumſiſtit, quorum hic aures, iſte iugulum, ille caudam, alius pedes dentibus impactis apprehendit: Ita ſimulac Seruator noſter dixiſſet: ***Hac eſt hora veſtra, & poteſtas tenebrarum,*** permittens voluntati vt ſuæ ac maligni ſpiritus ſuggeſtioni ſatisfacerent, in eum inuolauerunt, manus immiſerunt, truſerunt, colaphis ceciderunt, & modo in hanc, modo in illam partem impulerunt. Itane vero ô Pater omnipotens, & æterne? Iſta tu videre, iſta ab alto cælo deſpicere, ac interim etiam conniuere potes? ***Nunquid oculi tibi carnei ſunt, aut ſicut videt homo, & tu vides?*** Cum milites montem aſcenderent Prophetam Eliam illic comprehenſuri, ignem cælitus demiſiſti, ac omnem illam multitudinem extemplum conſumpſiſti: nũc vero ipſum tuum filium adeo crudeliter, & atrociter tractari videns, videre te vel cognoſcere diſſimulas? Quis non miretur illic zelum tuum in ſeruo fideli conſeruando ac hic curam planè nullam filio tuo vnigenito protegendo impenſam? At nõ caſtigas, nec plectis tu illum vt filium, ſed vt omnia iſta ſathanica mancipia repræſentantem. Et dubitare adhuc aliquis audeat, vtrum hoc ſpectaculum conſiderans Apoſtolico illi conſilio debeat obtemperare: ***Recogitate eum qui talem ſuſtinuit à peccatoribus contradictionem?***

A militibus cõſtringitur.

Pſal. 21.

Luc. 22.

Iob. 10.

4. *Reg. 1.*

Poſt-

Cap.13. Poſtquam Apoſtoli Magiſtrum ſuum adeo violenter
Mar.14 abripi conſpexerunt, repente fuga dilapſi Eſaiæ illud adimpleuerunt: *Percutiam Paſtorem, & diſpergentur oues gregis*: tametſi Petrus & Ioannes de longe vſque in Pontificis atrium eum fuerint inſecuti: vbi cum deinde Chriſtus de Diſcipulis ſuis fuiſſet interrogatus verbum non reſpondit, de doctrina autem ſua quæſitus hæc ſubiecit: *Ego*
Ioan.18 *palam locutus ſum, ego ſemper docui in ſynagoga, & templo, &c.* Vix ea protulerat, cum ecce tibi quidam ex miniſtris Pontificis (quem multi Malchum fuiſſe credunt, cui à S. Petro reſectam auriculam Chriſtus ſanam reſtituit) ma-
Alapa nu eleuata, alapam Seruatori noſtro inflixit dicens: *ſic re-*
percuti- *ſpondes Pontifici?* O cęleſtem Michæam, in publico atrio
tur. propter veritatem colaphis cæſum? O B. Petre male tu nebuloni iſti aurem amputauiſti, manum reſecare præſtabat. Sed neque hoc poſſibile fuiſſet, cœleſti enim decreto ſatisfaciendum erat, & licet tu ei manum amputauiſſes, Seruator tamen ei illam non aliter, quam auriculam reſtituiſſet. O admirabilem Dei patientiam! Homo alapa quandoque accepta cęlum terræ, & terram cęlo miſcet, ac vt aliquatenus ſe vlciſcatur pecunias profundere, ipſamque vitam in apertum diſcrimen immittere non veretur. Et Ecce Deus ne verbulo quidem hanc iniuriam repellit, ac nihil minus, quam vindictam cogitat. Itane vero? Cęlum iſthæc videre poteſt, & non indignatur? Terra intuetur, & non ſcinditur, non aperitur? Infernus talia deſignã-
2.Mach. tes, non deuorat, non deglutit non abſorbet? Vbi æterni Pa
3. tris dextera Filij ſui honorem protegens, ac defendens? vbi Angeli qui Heliodorum munus ſupellectili ſacræ iniiciẽtem adeo ſeuerè puniuerunt? Niſi fortè peccatum eſt viuũ templum Ieſum Chriſtum, in quo omnes diuinæ ſcientiæ ac ſapientiæ theſauri ſunt abſconditi inuadere, & inuola-
Coloſſ 2. re? vbi nunc vrſi illi ſunt qui pueros Eliſæum caluum ap-
4.Reg.2 pellantes deuorauerunt? Ergo tibi ò Deus linguæ peccata punienda, manuum vero opera, & facinora minimè caſtiganda eſſe videntur? Acciderunt hæc omnia dilectiſſimi mei, vt nos patientes eſſe diſceremus, videntes Dei Filium iniurias multo acerbiores æquiſſimo animo tolerauiſſe. Et quoniam Seruatori noſtro melius ſatisfacere non poſſumus, quam illi in his tormentis conſtituto condolendo.

Re-

Recogitate eum qui talem ſuſtinuit à peccatoribus contradictionem.

Poſtquam Seruator noſter in Annæ præſentia alapam illam modo dictam accepiſſe, mox funibus ligatur ad Caipham eius anni Summũ Pontificem (qui ſecundum multorum opinionem in eadem domo, loco tamen ſeparato habitabat, magna violentia fuit abreptus. Ecce tibi diuinum Sampſonem huc illucque abreptum! Quod ſi etiam quæras quis eo modo illum duxerit ac reduxerit, dico amorem fuiſſe, quo nõ aliter quam Sampſon Dalilam, ipſe ſponſam ſuam Eccleſiam proſequebatur. Maritalis ille affectus Sampſonem adegit capillum ſibi reſecari permittere, atq; ita hoſtibus ſe capiendum exponere. Verum cum crines, vel potius eorum radices in capite remanſiſſent, iiſdem poſtea repullulantibus funes perfregit, columnam cui tota ædificij moles incumbebat euertit, ac ita hoſtes moriendo oppreſſit. Eodem planè modo Seruator noſter amore ſponſæ ſuæ, hoc eſt Eccleſiæ impellente (quemadmodum Proſper Aquitanicus obſeruauit) diuinitatis ſuæ capillos texit, dum potẽtijs, & perfectionibus quas habuit in Paſſione ſua vti noluit. Quod cum Iudæi viderent, & capillos quos ipſe texerat non conſpicarentur, hominem illum tantum eſſe exiſtimantes, eum capere, vincire, ac ligare non dubitauerunt: Verum expecta parumper dum idem cæleſtis Sampſon crucis columnæ alligetur, & videbitis eum capillorum ſuorum virtute vtentem ſynagogã euertere, de hoſtibus triumphare, mortem deſtruere, mundum pedibus proculcare, ac ipſum Infernum ſpoliare. Ductum ergo Caiphas ad ſe innocentem Ieſum calumnijs, & falſis teſtimonijs tanquam alterum Naboth nequidquam opprimere ſaregit. Verum teſtimonia illa conuenientia non erant, vt ita Dauidicum illud adimpleretur, *Inſurrexerunt in me teſtes iniqui, & mentita eſt iniquitas ſibi.* Ad extremum ergo Pontifex Chriſtum tanquam à Diabolo obſeſſum adiurauit, vt ſibi diceret vtrum verum Meſſias eſſet. Chriſto ergo veritatem dicente, Pontifex veſtimenta ſua ſcidit, legem in hoc violans, quæ ait. *Sacerdos ſummus veſtimenta ſua non ſcindat.* Quo facto. & ſimulac ille exclamauiſſet: *Blaſphemauit, quid adhuc egemus teſtibus?* omnes in eum inuolauerunt ac conſpuerunt, adimplentis illud

Comparatio Chriſti, & Sampſonis. *Iud. 16.*

Acta in domo Caiphæ. *3. Reg. 21.* *Pſal. 20.* *Leuit. 21*

illud Iobi de ſeipſo dicentis: *Abominantur me, & faciem*
Cap.30. *meam conſpuere non verentur*. Quæ ſane iniuria omnium maxima, & non immerito grauiſſima ac longe acerbiſſima debet exiſtimari. Cum enim expuimus id non niſi in Angulo aliquo facimus, imò cum atrium & pauimẽtum recenter purgatum eſt, planè non facimus Et quæ, malũ, impudentia illa eſt, homines in ipſius Dei faciem ſpuere non vereri? O ſacrilegos? O ſceleratos? O impudentes? in hanc vos faciem commode gulæ veſtræ ſordes exoneraturi videmini? An alium eo in atrio angulum in quem expueritis inuenire non potuiſtis? An non hæc illa facies
Pſal. 74 eſt, de qua Propheta Dauid inquit: *Oſtende nobis faciem*
1. Pet. 1. *tuam, & ſalui erimus?* Nunquid de hac Apoſtolus dicit, *In quam deſiderant Angeli proſpicere?* Hanc ergo vos non colitis, non honoratis, non reueremini? At mirum omninò non eſt, eum qui Deum ante contempſit, poſtea & illius
Pilati, & Herodis. Filium incarnatum ſpernere atque deſpicere. Peſſime ergo ad hunc modum in Caiphæ domo habitum ad Pilatũ Romanorum Præſidem abripiunt, qui cum iuſtam in eo condemnationis cauſam non inueniret, illum ad Herodẽ Galilææ Tetrarcham hominem ſanguinarium, ac eius filium, qui Innocentes pueros & S. Ioan. Baptiſt. occiderat, duci præcepit. Verum cum & illic ſufficiens accuſatio nõ adferretur, ad Pilatum reductus eſt: Erat is Ethnicus, Herodes vero Iudæus, vnde à multo tempore odia, & ſimultates inuicem fouerant. Attamen hæc Seruatoris noſtri ludicra & iocularis remiſſio eos reconciliauit, & pacem inter Iudæos ac Gentiles ineundam iam tum ſignificauit. Remiſit ergo Herodes Chriſtum ad Pilatum, ad inſtar pilæ cum eo ludens, quæ manu in manum excuſſa, quocunque peruenerit, repercutitur atque impingit. Ita Seruator noſter hic & illic contumelijs afficitur, ac in ipſius Herodis domo, tanquam ſtultus candida veſte induitur, quæ tamen potius illius innocentiæ, quam ſtultitiæ ſymbolum debuit exiſtimari. Pilatus autem manifeſtè iam intelligens eum per odium ac inuidiam tradi, & accuſari, iudicium iſtud ſubterfugere voluit. Cum ecce tibi nebulonibus iſtis ſucclamantibus, *ſi hunc dimittis non es*
Pilatus amicus Cæſaris, ille Diuinam quam Imperatoriam gratiã
Chriſtũ ſatius perdi exiſtimauit; Et excogitauit nihilominus medium

dinm Chriſtum dimittendi, quid apud homines plurimum cæteroqui valere potuiſſet, ſed habebat ille rem cum Iudæis, qui in Tygrides, vel potius in Diabolos ſe träsformarant. Moris erat in Iudæa, inquit Euangeliſta, ſingulis annis in Paſchate reum, & captiuum aliquem liberum abire permittere, vt videlicet, iuxta nonnullorum opinionem oſtenderent, eodem planè modo Iudæos è captiuitate Aegyptiaca fuiſſe liberatos. Pilatus ergo hac ratione Chriſtum dimiſſurus, oculos in Barrabam coniecit, ac illius apud populum mentionem fecit: ſperans Iudæos ſceleratum potius, & facinoroſum, quam innocentem morti eſſe adiudicaturos. Ait ergo Paſcha nunc adeſt, circa quod feſtum ſolenne vobis eſt captiuo vitam, & libertatem concedere; vultis itaque Chriſto potius, quam Barrabæ latroni ac ſeditioſo gratiam illam præſtare? Atque hæc ferè erat Romani Præſidis propoſitio caput conſilij æterni comprehendens. Quia enim Adam Deum præpomo contempſerat, hinc ipſum Dei Filium præ Barraba homine perdito ac ſcelerato vilipendi oportebat, quo per vnius contemptum alterius expiaretur. Hoc æternum decretum Iudæi impleturi, & extremæ ſuæ malitiæ ſatisfacturi, clara voce exclamauerunt. *Tolle hunc, & dimitte nobis Barrabam.* Conſiderate quid dicatis (reſpondet Pilatus) Et quid Chriſto faciendũ ſit melius aliquanto examinate. *Crucifige Crucifige eum*, ſucclamant illi, bis vnã, & eandem rem petentes, quaſi vna crucifixio eorum rabiem, & immanitatẽ exſatiare nõ poſſet. Itane vero? Potuitne iniuria aliqua Redemptori noſtro maior videri, quam cũ homini infami, & flagitioſo ſe poſtponi cerneret? *Obſtupeſcite cæli ſuper hoc*, clamat Deus Pater per Ieremiã, *& portæ eius deſolamini vehementer: Duo n. mala fecit populus meus, me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt ſibi ciſternas diſſipatas.* Conſiderate obſecro, Auditores, quanto dolore Seruatorem noſtrum perfundi fuerit neceſſe, cum ſe Barrabæ poſtpoſitum vita ipſa indignum cenſeri conſpicaretur. Veritatem reuera loquebaris ô S. Dauid cum diceres: *Mendaces filij hominum in ſtateris*, quia videlicet in altera lance Chriſto, in altera vero Barraba collocato, hunc præponderare faciũt. Dic inquam ô Chriſtiane homo, ſi puella quæpiam præ Aethiope turpi, obſcæno, ac infami te contem-

liberare conatur. *Ioan. 16.*

Sed fruſtra. *Ioan. 19* *Mar. 15.* *Luc. 23.*

Cap. 2.

Pſal. 61.

neret, nunquid merito iraſci & te vlciſci velle videteris? Quæ autem comparatio eſt tui cum Chriſto; & Aethiopis cum Barraba? Quoties vero & tu Seruatorem tuũ rei haud aliquanto viliori poſtpoſuiſti: Quoties illum præ exiguo lucello contempſiſti? Quoties præ voluptatis inhoneſtæ, aut neſcio cuius honoris titillatione illum aſpernatus es? O animam Iudaica ſynagoga iniquiorem, ſiquidem Ieſum Chriſtum Deum ac Redemptorem tuum nõ ſemel, ſeu ſæpius rebus leuiſſimis poſtponere non dubitauiſti. Quid agis? Quid cogitas? Cur non times? Adeo parũ tibi eſſe videtur Deũ contẽnere ac aſpernari? Agite pœnitentiã Chriſtiani mei, qui aliquãdo ſimilia peccata perpetrauiſtis, factoq; propoſito melioris, & ſanctioris deinceps vitæ, *Recogitate eũ q talẽ ſuſtinuit à peccatorib. cõtradictionẽ.*

Alio modo idem conatur. Vides autem Pilatus primo iſto modo ex barbarorum ſe manibus innocentem Ieſum liberare non poſſe, alium excogitauit, quo efferata Iudæorum corda mollita iri ſperabat. Caſtigabo illum, inquit, & ita, vt aliquãdiu memor ſit, ac poſtea eum dimittam. Acceptum ergo militibus dedit, dignis reuera qui noſtrorum peccatorum eſſent carnifices, nimis autem crudelib. in ſacroſancta Filij Dei humanitate laniendã. Meminiſtis credo, Auditores, cum de ingreſſu in hortum Oliuarum verba facerem, dixiſſe me vobis Seruatorem noſtrum cęleſti ſuo Patri vadem ſe ſtitiſſe pro furto à protoplaſtis noſtris in terreſtri paradiſo commiſſo. Nunc autem videbitis quemadmodum fructus illius furto ablati Dominus cautionem & vadem aggrediatur, cernens partes præcipuas ſoluendo non eſſe. Sentẽtia in cęlo contra Adamum prolata erat eum flagris cædi oportere, cum ecce tibi Pilatus quid ageret ignorans Seruatorem noſtrum Adami vadem ad ſententiã illam ſubeundam producit. Datur quinque vel ſex militibus, vt eũ in totius mundi præſentia exuerent ac nudarent, ſicq; Iudæi illo conſpecto manſuetiores aliquanto efficerentur.

Flagellatio Chriſti. Quid hoc eſt ò Pater omnipotẽs & æterne? Quid filio tuo vnigenito facere conſtituiſti? vbi tandem ira illa tua remittet, ac lenietur? quem modum rigori iſti ac iuſtitiæ tuę

Ion. 3. conſtitues? Certè cum Niniuitas plectere ac punire decreuiſſes, narrat ſcriptura eorum Regem veſtimentis ſe ſuis exuiſſe, pœnitentiam egiſſe, & ſaccum pro cilicio induiſ-

ſe.

ſe. Hunc tu deinde Regem ita ſqualidum, & ſordidatum intuens, omnem confeſtim iram depoſuiſti, ac denuo illi placatus fuiſti. Meminit eadem ſcriptura ſacra, impium Achab, poſtquam ſępenumero te offendiſſet, tandem peccatum ſuum agnouiſſe, Regia veſtimenta ſcidiſſe, & ſe coram te humiliauiſſe: Quod ſanè tantopere tibi placuit, omni vt vindicta protinus depoſita ad Prophetam tuum dicere non dubitaris: *Nonne vidiſti humiliatum Achab corã me? Quia igitur humiliatus eſt mei cauſa, non inducam malũ in diebus eius.* Itane vero? ſi gratiam Regibus præſtas, ò bone Deus, ecce hic filium tuum, non tantum Regem, ſed Regum Regem: ſi nuditas Regis Niniuitarum aliquando te flexit, conijce parumper oculos in vnigenitum tuum, & videbis eum veſtibus exutum, ac toto corpore nudum. Si humilitas te mouet, in quonam tu illam perfectiorem reperire potes, quam in eo, qui voluntatem ſuam. Carnificibus ſe crudeliter lacerantibus ſubmiſit? Poteſtne fieri, vt cœleſtis Rex & nudus minus apud te valeat, quam duo Reges profani? O Iuſtitia Dei, quam clarè & euidenter in hoc exemplo nobis oſtendis, nihil te perinde atque peccata deteſtari, ſiquidem a proprio tuo filio pro alienis peccatis tam acerbas pęnas repoſcere non vereris. 3. Re. 21

Conſidera paulisper ò Chriſtiana anima, quemadmodum crudeles iſti milites, & barbari carnifices Filium Dei abſque vlla compaſſione vinciant, & columnæ alligent, tanto vt melius eum cędant & flagellent; conſidera inquã paulisper iſthęc, & mentior niſi ſpectaculum horribile videbis. Eſt omninò iam nunc tempus, ò ſtrenue, & ò diuine Sampſon, ſiquidem inimici tui crines omnipotentiæ tuæ in diuina tua perſona abſconditæ, euellere non potuerũt, Iud. 6.
vt eandem modo oſtendas & exeras, deijciendo in terram columnam iſtam, vt ita hoſtes tuos opprimas, & venerandum tuũ corpus barbaræ crudelitati ſubducas. Quænã iſthæc mutatio eſt ò magne Deus? Cęlorũ colũnæ ante faciẽ tuam tremunt, tametſi quolibet adamante ſolidiores ſint: Iob. 26.
Et quid amabò cauſæ eſt, quod illa cui alligaris, continuo in puluerem non reſoluitur, ne Deum ſuum ſub virgis & flagellis ſtantem tenere cogatur? Verum ſileamus in præſentiarum Chriſtiani de columna iſta, quæ lapidea & inſenſibilis eſt, conijciamus autem potius oculos noſtros in

crudeles iſtos carnifices ipſa columna duriores, & inhumaniores; & videbimus ſane illos omnis miſericordiæ, & compaſſionis oblitos brachia attollere, & in debilibus Filij Dei humeris ictus ac verbera ingeminare. Percutiebant illi delicatiſſimum iſtud corpus quoad defatigarentur: volentesque reſpirare inter ſuos labores, filio Dei nihilominus quieſcere, & reſpirare non permittebant; ſuccedentibus continuò alijs, ac alijs carnificibus, & nouis virgis, ac flagellis, tenerrimum Chriſti corpus vſque ad ipſa oſſa dilacerantibus.

Flagella autem iuxta communem & receptam opinionem, ex Cannabaceis funibus confecta erant, in quorum extremitate ferrei hami eminebāt, qui carni impacti ſubinde fruſta auferebant, & ſacroſanctam illam humanitatem in mille portiunculas diſſecabant. Flagellatus fuit pro peccatis totius mundi, & ideo ab omnibus cædi eum oportebat, vt ſinguli virgam iuſtæ Dei indignationis effugerent. Et tunc omninò promiſſio illa Dauidi in nomine Seruatoris noſtri facta, fuit impleta, quæ ait: *Scapulis ſuis obumbrabit tibi, & ſub pennis eius ſperabis, ſcuto circumdabit*
Pſal.90. *veritas eius*. Verbera .n. quæ Seruator noſter ſcapulis ſuis excepit, nubes quædam erant, radijs ac ſoli diuinæ iuſtitiæ oppoſitæ, quibus ille impediebatur, ne ſummo ſuo æſtu & calore nos amplexatus combureret, omniaque ea quæ perferebat, illum tantum finem ſpectabāt, vt nos alis ipſius regeremur & conſeruaremur. Eſt ergo hæc illa incarnata veritas, quæ Paſſionis Dominicæ tempore, tanquam quodam vmbraculo nos texit: Quemadmodum enim vmbraculum pro eo qui feriendus eſt verbera excipit, ac perpetitur: ita Seruator noſter omnia verbera excepit, quæ in nos denotare debuiſſent, quo videlicet ita genus humanum ei aduerſitati ſubduceret, quam Propheta noctis nomine ſignificat dum ait: *Non timebis à timore nocturno*. Adimpletum tunc etiam fuit Eſaiæ illud vatici-
Pſal.90. nium: *Diſciplina pacis noſtra ſuper eum, & eius liuore ſana-*
Iſa. 53. *ti ſumus*. Adimpletum fuit etiam tunc Dauidis illud in alio Pſalmo dicentis: *ſuper me confirmatus eſt furor tuus, & omnes fluctus tuos induxiſti ſuper me*. Reuera namque ver-
Pſal.87. bera vniuerſa, quæ Seruator noſter ſuſtinuit, aliud nō fuerunt, quam cumulus omnium indignationum, quas Deus

iuſtè

iuſtè contra omnes peccatores conceperat,& quas vna vice in filium ſuum tanto cum furore effudit, vt niſi ſcapulas æque ac Deus fortes habuiſſet, nunquam equidem illas ſufferre potuiſſet. Tunc denique adimpletæ fuerunt ſexcentæ aliæ prophetiæ,vt homines tandem modum aliquẽ peccatis ſuis conſtituerent,cogitantes quanto cũ rigore Deus illa in filio ſuo punierit, quãtoq; cum amore & affectu filius pro nobis flagella illa ſuſtinuerit, vt ita nos vniuerſi beneficium iſtud agnoſcamus, & de cætero illũ offendere horreamus. Et poteſt homo adeo durus reperiri aliquis, qui ex hoc temporis puncto firmiter ſibi non proponat eum amplius non offendere,tantum pro illo ſuſtinuit, quo à pęnis quas per peccata ſua promeritus fuerat,liberaretur? Poteſtne inquam reperiri aliquis,qui cæterum manus contra eum tollere, ac eleuare auſit, qui propter hominum amorem ſuas ligari, & vinciri paſſus eſt? Quoties vos fratres mei, Diabolus ad peccatum inducere conatur, conijcite obſecro, confeſtim oculos in horribile iſtud ſpectaculum, & ſuadenti reſpondete; Quomodo eum offendere potero, qui tantum pro me perferre non dubitauit? Tunc mihi ſuadeas,vt proditoribus me adiungam,de quibus Deus per Dauidem queritur dicens, *Supra dorſum meum fabricauerunt peccatores,prolongauerunt iniquitatem ſuam.* Ps. 128. Vnicum enim ac præſentiſſimum contra omnia peccata remedium eſt, oculos ſuos in Deum pro peccatis noſtris flagellatum conijcere. Neque omninò cõueniens eſt, Seruatorem noſtrum tantum tolerare, & nos nequaquam illi compati, & condolere. Agite proinde Chriſtiani, *Recogitate eum, qui talem ſuſtinuit aduerſus ſemetipſum contradictionem:* Mementote Maieſtatis diuinæ, & Filij Dei,qui adeo enormia, crudelia, & horribilia pro nobis ſufferre non dubitauit. Sint vobis lachrimæ pœnitentiæ veſtræ aquæ loco,quâ vulnera optimi Redemptoris eluatis.

Coronatio Christi. Non contenta ſacrilegorum militum crudelitas corpus Domini noſtri virgis,& flagellis lacerauiſſe, ludibrio etiã innocentiam exponere,ac riſui vniuerſorum propinare, ſatis veritas non fuit. Aſſumptis ergo ſocijs, innocentiam Ieſum in atrium domus abduxerunt, tunica quam poſt flagellationem receperat exuerunt, & purpureo amictu in-

induerunt, imponentes venerando illius capiti coronam ſpineam ex iuncis marinis cōtextam, quorum aculei propter duritiem, & aciem ſolidiſſimum facilè corpus penetrant. Hæc corona non eo modo conſuta erat quo pingitur, neque enim ad inſtar ſerti frontem tantum ac tempora ambiebat, ſed pilei formam repræſentans, totum caput contegebat. Hanc deinde eius capiti abſque vlla compaſſione, imò cum extrema crudelitate impoſuerunt, ac diuinum illud cerebrum redemptionis noſtræ officinam terebrauerunt. Præter hanc coronam loco ſceptri arundinem ei in manus porrexerunt, & alternatim ac per vices geniculantes ita eum compellauerunt: *Aue Rex Iudæorum*. Ita videlicet nonnulli eum conſpuebant, nonnulli colaphis cædebant; alij vero arundinem ex illius manu accipientes ea coronam ſpineam adeo valide in caput ei adigebant, ad ipſa vt oſſa penetraret. Hæc vera Euangelicæ hiſtoriæ ſumma, & compendium eſt, cui res tot ac tales immixtæ ſunt, ægrè vt diſcerni poſſit vtrum ludibria, an vero ſerias, & à prudenti animo profectæ actiones fuerint. Si enim ei illudere voluerunt, quid opus erat illum ſpinea corona redimere? Et ſi id deliberato animo ac ſerio fecerunt, cur tot illuſiones, & iocularia dicteria adhibuerunt? Erat nimirum hæc rerum contrariarum confuſio, ipſaq; illa tormenta, honoris, & dignitatis inſignia, aliud quam ludibria nō erant, ea vt homines ſerio contemnere, & aſpernari diſcerent. Omnia reliqua tormenta quæ Ieſus Chriſtus tolerauit ſimile aliquid habuerunt; plures .n. flagellati, plures, deluſi, plures crucifixi, plures etiam lanceis transfoſſi fuerunt; indubitatum autem eſt ſolum Chriſtū ſpinis fuiſſe coronatum. Certè nec Phalarides, nec Dionyſij, nec Nerones, nec Domitiani, nec Datiani de hac tormenti ſpecie quicquam aliquando ſciuerunt. Vnde neceſſe fuit Diabolum, & hominem ad tale quid exequendum concurrere: Diabolū ad inueniendum, & hominē ad vſurpandum. Et quoniā Ieſus Chriſtus pro capite humani generis mortē, & tormenta crudeliſſima perpetiebatur, ideo caput ſuum acutiſſimis doloribus confici ac affligi voluit: verum nos iſthæc aliquanto accuratius examinemus.

Circumſtantia

Ac primo quidem dolorem illum, quem eum tum pati neceſſe fuit, quando propria ſe tunica exui, vt purpura indue-

indueretur, conſpexit. Cum enim toto corpore laceratus, & vulneratus fuerit, cōſentaneum reuere eſt tunicam ipſis plagis, & vulneribus inhæſiſſe. Vide itaque Chriſtiane homo, cum tu caſu digitum læſeris, vulnus linteo circumplicaris, ſi duabus horis poſt chyrurgus cataplaſtrum impoſiturus linteum idem amoueat, atque id carni ac vulneri adhæreſcat, quam non à clamore, fletu, & eiulatu te contineas. Et quid dulciſſimo noſtro Ieſu factum fuiſſe arbitraris, quando eidem totum corpus liuido, & vulnerato quæ iam adhæſerat, imò carni accreuerat, tunica à crudeliſſimis militibus fuit detracta? O Agnelle Dei qui tollis peccata mundi, ecce quam gratos erga te homines ſe exhibent, ſiquidem pro tot beneficijs abs te acceptis, abſque vlla compaſſione pellem detrahere non verentur. O Gentem barbaram, & inhumanam! Ergo adhuc tibi libet innocentiſſimo agno purpuream tunicam induere, poſtquam illi adeo crudeliter cutem detraxiſti? Poteſtne purpura reperiri aliqua, quæ cum ſanguine quo illum reſperſiſti valeat comparari? At rege ſane illum purpura, corona ſpinis, & arundinem in manus illi porrige, nihil enim iſtorum etiam te non intelligente, myſterio, & Sacramento caret. Hæc purpura quam tu per ludibrium illi induis, oſtendit eum omnes pompas, & maieſtatem regiam contemnere, idemque nos ipſos facere oportere, & omnes huius mundi vanitates aſpernari. Hæc corona ſpinea qua tu illum redimis, ſignificat, coronas, & diademata aliud quam ſpinas nihil eſſe. Hoc ſceptrum quod tu ei in manus porrigis apertè demonſtrat, ſceptra huius mundi vniuerſa, inſtar arundinis eſſe vaniſſima: & quoniam nemo vnquam clarius, & apertius documenta illa tradidit quam Dei filius incarnatus, idcirco voluit illius pater, huius veritatis ſigna, & indicia in eo reperiri. Quæ myſteria vti vobis non parua videri debent, Auditores, ita ſi diligentius, & accuratius animum aduerteritis, haud aliquanto præſtantiora ſublimioraque reperietis. Vt enim hoc loco nihil de purpura dicam, quam ante mundi contemptum ſignificare perhibuimus, ea tantum quæ de corona, & ſceptro dici poſſunt in præſentiarum vobis explicabo. Corona ergo inter omnes mundi gentes, & populos pro victoriæ ſigno, & ſymbolo habita ſem-

coronationis.

Myſteria coronationis.

Corona ſymbolũ victoriæ.

ta ſemper fuit; vnde quoties Seruatorem noſtrum coronatum cogitas, victorem etiam, & triumphatorem debes cogitare. Romani, ſicut D. Cyprianus in explicatione ſymboli, & S. Hilarius ſuper Euangelium Matthæi obſeruauerunt, victores ſuos hoſtium debellatorum armis, & inſignibus ſolebant coronare. Et ob hanc credo cauſam Martyrum capitibus diademata ſcuti figuram habentia appinguntur, vt videlicet conſtet, eos moriendo tyrannos deuiciſſe, & eorum deinde armis coronatos fuiſſe. Vultis videre, Auditores, quam Seruator noſter vicerit, quem ſuperarit, quem debellarit? Inſpicite arma quibus coronatur, quærite ex D. Paulo quænam mortis arma ſint, & reſpondebit peccatum: *ſtimulus autem mortis peccatum.* Porrò peccatum in ſcriptura ſacra per ſpinas ſignificatur, ſicut ex Regij Prophetæ verbis iſtis apparet: *Quoniam grauata eſt ſuper me manus tua*, &c. *dum configitur ſpina.* Et ex Geneſeos iſto: *Maledicta terra in opere tuo: ſpinas, & tribulos germinabit tibi:* Vbi per terram plerique Doctores carnem noſtram intelligunt, quæ à peccato protoplaſtorum noſtrorum parentum alios nobis fructus quam peccata, quæ per ſpinas ſignificantur, non germinauit. Quod ſi peccata arma mortis ſunt, & ſi ſpinæ peccata ſignificant, Seruator noſter ſpinis coronatus mortis triumphator erit, ſiquidem illius armis coronatus eſt. Quis autem iam non intelligat, & admiretur Deum viliſſimis huius mundi rebus ad diuina myſteria ſignificanda vti? Quid autem exiſtimatis arundineum ſceptrum Seruatori noſtro porrectum ſignificare? Voluerunt videlicet milites oſtendere, ſicut arundo quam ille ſceptri loco ferebat, vacua, & inanis eſt, ita etiam eius regnum vanum eſſe, & pro vano haberi debere. Verum diuina ſapientia per eandem arundinem ſignificare voluit, illum quem improbi iſti ludibrio habebant, Diabolū ſuperaturum, & ex mundo profligaturum, quemadmodum Seruator noſter prædixit cum ait: *Nunc iudicium eſt mundi, nunc princeps huius mundi eijcietur foras.* Author eſt Sanctus Athanaſius, & D. Hieronymus arundinem peculiari quadam virtute contra ſerpentes præditam eſſe, & illa percuſſos tantum emori atque occidi. At ſcitis vos Diabolum protoplaſtæ in ſerpentis forma apparuiſſe, & ſententiam contra eum latam fuiſſe, mulieris vt fru-

Marginalia: 1.Cor.15. — Pſal.38. — Gen.3. — *Quid ſceptrum arundineum deſignet.* — Ioan.12. — *S. Atha. de paſſione Hieron. in Mat. ca. 27.*

ctus

ctus caput ei attereret? Porrigere ergo Seruatori noſtro arundinem aliud nihil eſt, quàm oſtendere eum plenam in Diabolum poteſtatem habere, totumque illius regnum eſſe deuaſtaturum. Patet itaque iam nunc Deum veritatem iſtam ſub ludibrij inuolucris latere voluiſſe, quæ tantò etiam ei gratiora erant, quant expreſſius diuinam myſteria repræſentabant. Quæ dum etiam vos recogitatis Auditores, quid amabò aliud vobis faciendum exiſtimatis quàm quod hactenus non ſemel à nobis dictum ac repetitum eſt; Nimirum vt *eum recogitetis, qui talem ſuſtinuit à peccatoribus aduerſus ſemetipſum contradictionem.*

Poſtquam Dei filius ita crudeliter flagellatus & ſpinis coronatus eſſet, Pilatus odium Iudæorum, quo innocentem proſequebantur, & obſtinationem quæ ijs naturalis erat, probè intelligens, exiſtimabat tragicum & funeſtum iſtud ſpectaculum corda illis eſſe emollitúrum, ita vt grauioribus Chriſtum tormentis deinceps ſubijci nollet. Excitaturus itaq; in ijs cōpaſſionem, & ne mortē Ieſu Chriſti adeo crudeliter ſitirent effecturus, eum ita iam flagellatum, ſpinis coronatum, & attrita ac lacernoſa purpura indutum in locum eminentem produxit, vbi à quolibet ſpectari poſſet, ac populo ita monſtratum & exhibitum compellauit: *Ecce homo.* Conſiderate proinde hoc loco Chriſtiani mei, quam diuerſa inter ſe ſint Deum ex hominum manibus, & hominem ex Dei manibus exire. Ego enim hominem in Dei manibus conſtitutum trifariam conſidero, puta in creatione in incarnatione, & regeneratione, quæ extremum iudicium ſubſequetur. In creatione primum homo Dei manibus egrediens adeo perfectus fuit, vt Dei imaginem, figuram & ſimilitudinem præſeferret; dicente ſcriptura: *Fecit Deus hominē ad imaginē & ſimilitudinē ſuam.* In incarnatione autē amplius adhuc eū exornauit, quādo videl. nō tantū ſimilitudinē, ſed perſonā ipſam illi cōicauit. Vnde qui primum ad Dei imaginē fuit efformatus, ſecunda vice Deus effectus eſt. Nam ſicut D. Aug. inquit, cum Deus homo fieret, neceſſe erat hominem Deū fieri. Communicauit ille nobis prima vice ſuam ſimilitudinem, ſecunda verò noſtram aſſumpſit, vere & realiter naturam noſtram induens iuxta Diui Pauli illud: *in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo.* In

Homo tripliciter eſt in manu Dei.

Gen. 1. & 5.

Phil. 2.

extrema autem regeneratione, quæ iudicium vniuerſale ſubſequetur, longe adhuc melior & accuratior prodibit, quippe cum tunc Paulinum illud adimplendum ſit. *Reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ.* *Philip. 3.* Ex quibus omnibus à nobis hactenus allatis intelligitur, hominem vbi in Dei manus peruenerit nonniſi meliorem fieri & prodire. Deus autem cum ſemel tantum in hominum manus cecidiſſet, repente iam deformis & turpis euaſit, ipſe vt Pilatus eum demonſtrans, attonito ſimilis & admirato dixerit: *Ecce homo.* Quæ quidem verba omnia ad populum commouendum ſingularem quãdam emphaſin & energiam habere videntur. Dum enim primo loco, inquit. *Ecce*, attentionem ſingularem requirit nouam hanc figuram conſideraturis neceſſariam. Secunda vero vox *homo* ſignificat hominem illum eſſe ſicut & ipſi, quodq; ei cui natura partes non condolens beſtijs te crudeliorem efficias. *Pulchra comparatio.* Dicit ergo Pilatus ſpectatores Iudæi recordamini crudelis illius beſtiæ quæ Harpya dicitur, & quæ humana facie prædita, tanto nihilominus odio hominem proſequitur, vt quoties eum nanciſci poteſt, vnguibus ſuis laceret, & in ſanguine recenter effuſo deinde ſe balneet hoc facto, fontem accedit vbi faciem ſuam homini quem occidit ſimillimam videns, tanto dolore conficitur, vt ad locum vbi cadauer reliquit reuerſa, plorare, gemere, ſuſpirare & eiulare non deſiſtat. Tantum videlicet naturæ ſimilitudo etiam apud beſtias poteſt & valet. Agite proinde Iudæi, & hominem hunc, quem adeo crudeliter tractauiſtis, compaſſione ſaltem aliqua dignari incipite: Cogitate eum hominem eſſe ſicuti & vos æquum enim eſt ei qui vobis ſimilis, & vos condolere, niſi Harpijs iſtis crudeliores eſſe velitis. Vos vero Chriſtiani Auditores fructum aliquem ex funeſto hoc ſpectaculo conſecuturi, imaginari vobis debetis Patrem æternum idem ad vos dicere quod Pilatus ad Iudæos, dilectumque ſuum filium vulneratum & ſpinis coronatum monſtrando exclamaret; *Ecce homo.* *Altera.* Et quoniam exemplo beſtiæ Iudæorum crudelitatem confundimus, Chriſtianorum etiam immanitas haud paulo efficaciore videtur mihi eſſe exaggeranda. Ferunt in regionibus ſeptentrionalibus animal quoddam reperiri, quod ſimulac

hac hominem animaduertit, celerrimo curſu ac fuga dilabitur. Venatores ergo id capturi, iſtiuſmodi artificio vtuntur: ſpeculorum ſeu vitri partes beſtiæ hic obijciunt, ac deinde manus illi monſtrantes, eam ſe inuitare, ac eas illi dare velle fingunt. Quod dum illa videt, parũper ſubſiſtit; verum venatoribus appropinquantibus, celerrima iterum fuga dilabitur. Vt ergo retineatur & a fuga reuocetur, ſimilia ſpecularia illi obijciuntur, tunc enim illa accedens (tantum dona & munera etiam apud beſtias efficiunt) & venatore minium aut rubricam quamlibet aliã brachio ſuo aſpergente, & ſanguinem ſuum pro beſtia illa ſe profundere ſimulante, repente pedibus illius aduoluitur abeo ligari & capi rogat, maximam ingratitudinẽ exiſtimãs homini adeo bene affecto ſe debere nolle. Quod venatores in beſtia hac ad ſe pellicienda artificiũ vſurpãt, idem Deus, iam inde à mundo condito in homine attrahendo feciſſe videtur: *In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis*, inquit Deus per Prophetam. Abraham inquam homines amoris & charitatis vinculis, bene illis faciendo, dona & munera promittendo, quæ laquei quidam ſunt, quibus homines capi & attrahi ſe permittiunt. Oſtendam illis pulchritudinem cæli, claritatem Lunæ, Lumen ſtellarum vt intelligant iſthæc vniuerſa dona eſſe à mea manu profecta, quibus illos ad me pellicere attrahereque conor. Verum cum neque ſic homo à Deo ſe capi permitteret, ecce tibi miſericors ille Dominus, propius eũdem hominem accedere, ac illi proprium ſuum eſſe dare & conferre non dubitauit: Et quoniam hic etiam modus parum effecit & operatus eſt, videamus quid deinceps clementiſſimus ille Deus ſibi faciendum exiſtimarit. Noſtis credo vos Auditores, Filium Dei in ſcriptura ſacra brachiũ illius appellari: *Domine quis credidit auditui noſtro* (inquit Eſaias) *& brachium Domini cui reuelatum eſt?* & in alio loco, *Induere fortitudinem brachium Domini*: & Diuipara item virgo in cantico ſuo; *Fecit potentiam in brachio ſuo.* Quibus omnibus ita præmiſſis, vide quid Deus dicat: conatus ſum ego hominem per diuerſa beneficia ad me trahere, auxi illum varijs donis, imò proprium meũ eſſe communicaui, cum ecce nihilominus fruſtra & nequicquam fui. Accipite proinde brachium meum, omnes illius venas incidite,

Oſee 11

Cap. 53. *Eſai.* 51.

Luc. 1.

cidite,corpus flagellis lacerare, caput ſpinis transfodite; donec omnes partes ſacroſanctæ illius humanitatis pro hominum amore ſanguine reſpergātur. Atque his omnibus ita factis, tragicum & funeſtum iſtud ſpectaculum ei ob oculos conſtituemus, vt hac ſaltem ratione eū ad nos, amoris & charitatis laqueis attrahamus. Ita videlicet De⁹ Creator diuinū ſuum brachium, hoc eſt vnigenitū filium ſanguine conſperſum nobis demonſtrans dicit: *Ecce homo.* Conijce igitur ô homo conſiderationis tuæ oculos in hominem iſtū, & ſcias eum hominem ac Deum eſſe. Paſſus eſt ille ſpineam hanc coronam capiti ſuo imponi,vt ex eo ſanguis riui defluentes,animam tuam lauent. Excepit vulnera iſta,quæ vides in corpore ſuo, vt te ab omnibus ſpiritualib. infirmitatibus ſanaret & liberaret. Et poteſt omnino fieri,vt ſāguis Filij Dei minus apud te, quam ſanguis hominis apud ſyleuſtres beſtias operetur. Conijcite mihi (per Deum vos obteſtor Auditores) oculos veſtros in hominem iſtum; & conſiderate æternū Patrem propter hominum amorem talia illum pati & ſufferre voluiſſe. Conſiderate inquam eum qui vobis illum exhibet & demonſtrat, tametſi id per manus hominis flagitioſi ac Ethnici Pilati faciat: Et dubitatis adhuc Chriſtiani eius vos pedibus confeſtim aduoluere, ac manibus & pedes ligandos vinciendos offerre? O clemētiſſime Domine & Pater miſericordiarum, aſpice nos corde coram diuina tua facie proſtratos ac per merita pretioſi ſanguinis filij tui & noſtri Redemptoris te humiliter obteſtantes,quatenus diuino tuo amore ita ad nos ad te attrahas,vt deinceps neque pedes habeamus ad fugiendum,neque manus ad te offendendum, ſed vt animo & corpore ſancto tuo amoris integrè ſubijciamur poſtquam videlicet pro nobis tot vulnera in diuino tuo brachio excipere non dubitauiſti.

Conſideratio tertia. Imaginemur tertio et loco nobis Audit. ipsū Ieſū Chriſtū velut Dei & hominū mediatorē verba iſthæc nobis dicere: *Ecce homo.* Quæ cōſideratio in deuotiſſima, plus vt aliquāto efficaciæ in nobis habeat,recordamini obſecro Prophetæ illius qui vt Regē Achab,ad quē à Deo mittebatur, meli⁹ flecteret & cōmoueret,homini ad ſe accerſito dixit: *Percute me* Qui cū idipsū facere recuſaret,Propheta aliū id ipsū facere iubēs,alacriter ab eo percuſſus,ac ita ſāguine

Gal. 3. 1. Tim. 2. 3. Reg. 21.

faciem

faciem perfuſus, Regi Achab ſe ſtitit. Quis vnquã Dei filiũ & Eccleſiæ ſuæ caput cædere auſus fuiſſet, niſi ipſe prius id permiſiſſet? *Nõ haberes in me poteſtatẽ, niſi tibi deſuper data fuiſſet:* dicebat Chriſtus ad Pilatum. Et ſi Imperatores Romani plenam tibi poteſtatem authoritatemq; contulerint, me tamẽ iſthoc modo tractare nunquam potuiſſes, niſi cæleſtis meus Pater tibi illud permiſiſſet, & ni ſi ego ipſe meapte ſpõte me obtuliſſem. Certũ ſane & indubitatũ eſt, Seruat. noſtrũ, vti etiã antea diximus ictum nullũ plane excepiſſe, niſi per decretũ & cõſtitutionẽ cæleſtis Patris, ac propriæ etiã voluntatis cũ ineffabili charitate applicationẽ. Nõ quod Pater, Filius, aut Spir. S. malitiã hominũ in hoc negotio ſpectatã approbarint; ſed quia eadẽ illa malitia noſtrũ bonum ſpectabat, ſicq; vnum & idẽ opus bonum erat, quatenus à Dei volũtate procedebat, & rurſus malũ, inquit S. Aug. quatenus à peruerſa hominum volũtate proficiſcebatur. Exiſtimare proinde nos oportet verbera vniuerſa, quæ caput Eccleſiæ Seruator noſter excepit ita volũtaria fuiſſe, ac ſi ad vnumquemq; dixiſſet *Percute me.* Conſiderate iam nunc etiam Auditores, quemadmodum & ſacroſanctum illud caput innumeris vulneribus fuerit cõfectũ; ſimulq; vobis imaginemini Seruatorẽ noſtrũ intra æternũ ſuum Patrẽ ac homines cõſtitutũ; cõtẽplãtes, illic Patrẽ contra homines irritatum, propter grauiſſimas indignitates, quas contra filium ſuum committebant; iſtic vero hominem inſolentem, Deo contrarium ac ſibi tantum præfidentem. Quod ſi ex me interrogetis, quamnam ille ob cauſam adeo crudeliter ſe verberari, & flagellari paſſus ſit; reſpondebo hoc totum idcirco factum fuiſſe, Deum vt irritatum placaret, & inſolentem hominũ audaciam refrenaret. Ita ergo ad cœleſtem ſuum Patrem conuerſus dicit: *Ecce homo.* Conijce oculos tuos, ô Pater, in hominem iſtum, ac hominum miſerere, videns hominem & Deum ita pro illorum amore afflictum atque tractatum. Moueat te ſanguis vnigeniti filij tui, & iuſtam indignationem contra homines conceptam ſedet, ſiquidem is pro eorum amore effuſus eſt. Quærebas tu hominem, qui iuſtitiæ tuæ ſatisfaceret, ecce quem deſiderabas: *Ecce homo*; qui vt tibi ſatisfaceret ac indignationem tuam molliret, ita tractari voluit, vt iam neque homo eſſe videatur.

Ioã. 19.

Aug. in Pſal. 93.

Conſideratio quarta.

tur iſtis ita Ieſus Chriſtus Patrem ſuum alocutus, ad hominem ſe conuertit dicens, *Ecce homo.* Aperi mihi oculos ô homo, & in hominē iſtum illos conijce, vt videlicet intelligas quo tua peccata illum deduxerint. Omitte cæterum animi illam inſolentiam, vale dic Luxuriæ, corruptos tuos mores muta, & quemadmodum Dei filius peſſimè propter eos tractatus ſit conſidera. O tempus infortunatum, ò mores corruptos, ò ſæculum deprauatum, ò duritiem beluinam! Poteſtne fieri vt quiſpiam funeſtum hoc ſpectaculum videns, modum peccatis ſuis non conſtituat? Deus iuſtè contra hominem irritatus, videns filium ſuum ita afflictum & male habitum, veniam tibi facere, atque adeo in filium te ſuſcipere vult, & tu peccato valedicere necdum conſtituis, intelligens vulnera iſta tuorum delictorum pœnas eſſe & punitiones? Poteritne deinceps homo reperiri aliquis, qui malè cogitare, ac malè contra illum facere & operari auſit, qui tantum pro remedio noſtrorum peccatorum ſufferre nō dubitauit? *Recogitate* proinde *eum qui talem ſuſtinuit à peccatoribus contradictionem*.

Inſatiabilis crudelitas Iudæorum. Barbara illa crudelitas à militibus in perſona filij Dei vſurpata & exercita Iudæis ſatisfactura & eorum furorē expletura videbatur. Et eo ſane fine Pilatus eum flagellauerat, confidens fore vt Iudæi ita male habitum eum videntes acquieſcerent, nec ad mortem etiam pertrahi eum deſiderarent. Sed erant iſti canes illi de quibus Eſaias dixit: *Cap. 56.* *Canes impudentiſſimi neſciuerunt ſaturitatem*; ſignificans eos in filio Dei perſequendo modum ignoraturos. Quemadmodum enim Elephas animal turpe & crudele ſanguine quem profudit conſpecto, amplius ad confligendum & inclementius ſæuiendum excitatur, ita Iudæi ſanguinem Dominicum videntes noua rabie percellebantur adeo vt ante eum affligendi lacerandiq; finem non facerent, quam inter ſupplicia & tormenta vitam & ſpiritum reddidiſſet. Hinc cum eos flecti & Seruatoris noſtri adeo malè tractati intuitu mollıri illos oportuiſſet, illi denuo exclamare incæperunt, ac iterum ad crucem eum rapi poſtulauerunt. Iudex ergo poſtquam oſtēdiſſet mortis ſe in eo causā nō inuenire, populi importunitate victus & expugnatus, ei ſibi aquieſcendū & morigerandū eſſe iudicauit. Vnde cōfeſtim Barrabā dimiſit, Ieſum vero poteſtati hoſtium

filium ſuorum tradidit, vno in actu duo peccata committens, vti Lactantius inquit, dum videlicet reo condonat, innocentem vero condemnat. Id autem totum idcirco factum eſt, Vt intelligeremus huius innocentis mortem reis libertatem conferre debere. *Lactant. lib. 4. ca. 18.*

Ieſum vero flagellatum tradidit voluntati eorum. Poteſtne maior iniuſtitia, maior iniquitas reperiri? Quam enim non crudelitatem hoſtes & aduerſarij in aliquem exerceant, poſtquam quidlibet eis facere iudex permiſit? Dubium reuera nullum eſt, niſi diuina prouidentia obſtitiſſet, impios & crudeles illos Iudæos innocentem Chriſtum in mille partes fuiſſe diſſecturos. Pilatus vero hoc peccato perpetrato, aliam ſtultitiam admiſit, credês ſi manus lauiſſet, inculpabilem iterum ſe futurum. Adeo videlicet fieri non potuit, tanta vt indignitas & barbaries qualis quidem erat Filij Dei condemnatio, non mille peccatis & erroribus fuerit coniuncta. Et hanc credo ob cauſam Doctores nonnulli exiſtimant S. Ioannem Euangeliſtam iniquo huic iudicio interfuiſſe, auditaque tam nefaria ſententia, per quam Dei filius hoſtium ſuorum poteſtati & voluntati permittebatur, ilico rem ad B. Virginem detuliſſe. Etſi & inter Græcos, hiſtorici nonnulli affirment eam omnibus iſtis tam crudelibus tragædijs interfuiſſe, & in benedicta ſua anima vniuerſa illa pertuliſſe, quæ ſuus filius in corpore ſuſtinuit & tolerauit. Mihi tamen probabilius videtur, tum propter pudorem & verecundiam virginalem, tum propter ipſius temporis circumſtantias eam latuiſſe, & omnia ex Diſcipulo ſuo vidente, qui nulla præfatione, aut conſolatione vſus ita eam potuit compellare: Age B. Virgo, egredere ex cubiculo tuo comitare me, ſi dilectum filium tuum & meum Magiſtrum priuſquam moriatur ſemel adhuc videre deſideres: Iudex enim Iudæorum manibus illum tradidit, à quibus nonniſi barbarum, & inauditum aliquid poteſt exſpectari, Properemus ſane, ea enim illorum rabies ac furor eſt, vt metuendum ſit, pauliſper ſi tantum cunctati fuerimus amplius in viuis eum reperturi non ſimus. Dic reuera & comprehendi non poteſt Auditores, quantum dolorem triſte ac funeſtum iſtud nuntium in corde B. Virg. excitarit; quem tamen illa ſuppreſſit & mitigauit, cogitans omnia fieri vt

Chriſtus traditur crucifigêdus.

Digreſſio ad B. Virginê.

Simeon Metaph. de Aſſumpt.

Dei Patris voluntas adimpleatur. Quæ quidem conſolatio maxima & efficaciſſima apud illos eſt, qui intelligunt Dei beneplacitum in omnibus & per omnia debere adimpleri. Sancta ergo mater & virgo Maria amictu ſuo accepto, & alacriter ad gradum addens cum S. Ioanne filium ſuum quæſitura procedit. Et dubitari omnino non debet eam ad inſtar ſponſæ ex obuijs quibuslibet interrogauiſſe

Cant. 3. ac dixiſſe: *Num quem diligit anima mea vidiſtis?* Illamque deinde aliqua vt eius ſigna daret rogatam reſpondiſſe:

Cant. 5. *Dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex millibus.* Quę tamen ipſa ſigna locum tunc non habebant, quod videlicet omnem candorem perdidiſſet, propter innumera corpore ſuo excepta vulnera, & propter ſanguinem ex ijs defluentem Dum itaque Seruatorem noſtrum ab vna parte quærunt, ille ab altera crucem ſuam humeris baiulans Cal-

Crucem baiulat. uariæ montem aſcendebat; Nolebant enim hoſtes & aduerſarij mortem eius diutius differri. Quin vt etiam grauius eum affligerent & peius tractarent, purpureo veſtimento exutum, & tunica ſua, vt à quolibet cognoſceretur, indutum, humeris propriam crucem baiulare coegerunt. Sed neque hoc contenti amplius vt eum diffamarent duos ei latrones adiunxerunt. Vbi conſiderate obſecro, Auditores, Eſaiæ illud fuiſſe adimpletum: *Et factus eſt principatus*

Cap. 9. *eius ſuper humerum eius;* vt videlicet oſtendatur eum principatum ſuum in humeris, non autem ſub pedibus more aliorum Regum habuiſſe. Porro Principatus vniuerſus, quem Seruator noſter habuit, alius præter crucem nō fuit Crux autem regni Ieſu Chriſti inſigne eſt, quia ſicut Da-

Pſal. 55 uid inquit, ille per crucem & lignum regnauit. Vnde ſicut reliquorum Regum inſignia ſunt, coronæ in capite, & ſceptrū in manu, ita regiū Ieſu Chriſti indicium eſt Crux humeris eius impoſita. Porro dū Seruat. noſter crucē ſuā ita baiulat, & verſus Caluariæ montē contendit, benedictam ſuam matrem obuiā habet, puta in platea Hieroſolymitana, quę eā ob cauſam platea amaritudinis deinceps fertur fuiſſe appellata. Nā quæ amabò maior amaritudo reperiri potuit, quā matrē filio ſuo iſthoc modo obuiare? Neceſſe reuera fuit dulciſ. matrē maximo & intolerabili dolore perfundi, cū videret filiū ſuū adeo miſere tractatum, laceratū, vulneratū, & ſanguine reſperſum. Qūo fieri poteſt (dicebat

bat B. Virgo) ô dilecte fili homines, vt adeo crudeliter eũ tractauerint, qui pro eorum ſalute humanam naturam aſſumere, & totã ſuam vitam illorum bono impendere non dubitauit? Hoccine illi tibi ſalarium pro doctrina tua perſoluerunt? Ita miracula tua recompenſauerunt? Ita honorandum tuum caput honorauerunt, quod humanę redemptionis officina fuit? Ita faciem illam reueriti ſunt, in quã Angeli deſiderant proſpicere? Ita manus illas adorauerũt, quæ morbos ſanauerunt, mortuosq; reſuſcitarũt? Ita corpus tuum tractauerunt, quod toties eorum cauſa fuit defatigatum? O ingratitudinem hominũ ſingularem! Sed ô patientiam diuinam, quomodo tantam barbariem ſufferre potes & tolerare? Iſta verba cũ cor filij ſui tranſoderẽt, ille canticorum illud poterat replicare; *Columba mea in foraminibus petræ, & in cauerna maceriæ*. Quid agit columba mea inter tot miluos & aues rapaciſſimas? Habitatio tua eſt ô columba mea in foraminibus petræ, & in cauerna maceriæ. Tranſeat modo ſanguinei huius diluuij tempeſtas, reuertere in arcã tuã, donec aquæ relabantur, & tu locum inuenias, in quo quieſcere & pedem figere valeas. Vult hoc voluntas patris mei, & mea etiam idipſum ſemper voluit; noui autẽ neque tuam à mea vnquam diſſenſiſſe. Vix hæc & ſimilia Seruator noſter proferre poterat, quã do ſubito Iudæi, qui nihil aliud, quam eum crucifixum & mortuum videre deſiderabant fuſtibus illum propellebãt, funibus quibus alligatus erat trahebant, imò vt ſanctam ipſius matrẽ maiore dolore afficerent, lanceis inſtigabant. Et dubitet adhuc aliquis matrem & filium inter hæc cõſtitutos præ dolore fuiſſe liquefactos? Ego certè verbis facti huius indignitatem explicem deſtituor. Veſtra ergo conſideratio meum diſcurſum ac ſermonem debet ſupplere. Et ideo *Recogitate eum qui talem ſuſtinuit contradictionem*. *Cap. 2.* *Gen. 8.*

Crudelitatem illã qua Iudæi erga Seruatorem noſtrum vſi fuerunt miſericordiæ quædam inuentio comitata fuit. Cum enim impij illi carnifices innocentem illum agnum tormẽtis penitus attritum & exhauſtum conſpicarentur, ſimulque metuerent, ne in ira occumberet: Simoni quodam Cyrenæo obuiam facto crucem impoſuerũt, ac vt is illam in montẽ Caluariæ vsq; portaret, barbarè, & crude- *Et poſt eum Simon Cyrenæus,*

Caietan. in 23. c. Luca. liter eum coegerunt. Sunt autem Doctorum nonnulli, qui exiſtiment Seruatorem noſtrum crucem ſuam nequaquam depoſuiſſe, ſed Simonem Cyrenæum à poſteriore tantum parte in ea baiulanda eum adiuuiſſe, ſicque ambos, Chriſto, præcedente, Simone vero ſubſequente illam portauiſſe. Verum certius aliquanto eſt Simonem aliquo temporis ſpatio ſolum Seruatore noſtrum pedetentim ſubſequẽdo crucem humeris ſuis baiulauiſſe. Id enim ex Euangelij verbis intelligere facile licet: *Angariauerunt Simonem Cyrenæum, vt tolleret crucem poſt Ieſum.* Atq; hoc ipſum myſterio non caret, quippe cum per id ſignificetur Chriſtianum hominem crucem ſuam ſimiliter baiulare, neque totam molem & pondus vni Chriſto debere relinquere: Adeo vt Seruator noſter quaſi in figura id facere voluiſſe videatur, quod aliquãdo Apoſtolos ſuos docuit dicens:

Mat. 16. *Si quis vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, tollat crucem & ſequatur me.* *Leu. 15.* Porro in hoc egreſſu ex vrbe Hieroſolymitana Seruator noſter figuram illam de hirco emiſſario adimpleuit, quẽ Deus pro populi peccatis auferri ſibi volebat. Iubebat enim lex ſanguine caput eius inungere, omnia peccata & maledictiones populi ei imponere, ac ita deinde eum extra vrbem propellere. Quæ ſanè omnia in Seruatoris noſtri perſona fuerunt adimpleta. Habuit enim ille caput reſperſum ſanguine, quem corona ſpinea copioſe eliciebat. Cum autem eius humeris crux imponeretur, an non erat hoc peccata vniuerſorum in illum conijcere, iuxta Eſaiæ Prophetiam: *Poſuit in eo iniquitates omnium noſtrum.* Ad extremũ verò ex vrbe eum traxerunt, & in Caluariæ montẽ abduxerunt, qui ſecundũ D. Hieron. interpretationem, lõcum ſignificat, in quo oſſa condemnatorum paſſim iacebant. Quidã vero Doctores exiſtimant, eo in loco cui pes Dominicæ Crucis inſertũ fuit caput Patris noſtri Adam requieniſſe, ipſumq; Ieſu Chriſti ſanguinẽ in illud defluiſſe. *Et verè* inquit S. Augu. *non incongrue creditur, quia ibi erectus ſit medicus, vbi iacebat ægrotus. Et dignum erat vt vbi ceciderat humana ſuperbia, ibi ſe inclinaret diuina miſericordia.* Quibus verbis ſanctus ille Doctor breuiter inſinuat quare Seruator noſter in Caluariæ monte mortem voluerit oppetere. Et expirauit idem in loco vbi malefici puniri ac plecti ſolẽt, vt conſtaret eũ pro illis occumbere: ideo

Tertull. lib. 3. cont. Marcio. *Cap. 53.* *Mõs Caluaria.* *Hier. in 27. Matth.* *Aug. ſer. 71. De tẽpore.*

ideo verò in monte, vt intelligeremus non pudere ipſum pro omnibus mori, ac vt nos ſaluaret, nudum & miſerabilem in cruce pendere. Poſtquam vero iam in Caluariæ mõtem perueniſſet, nihilq; præter ſolam linguam, quam neque flagella, neq; ſpinæ contingere poterant, tormentis in eo exemptum eſſet; S. Matth. inquit, vinum cum felle mixtum ei fuiſſe propinatum, illum vero eo guſtato bibere nequaquam illud voluiſſe. Et exuerunt deinde eum denuo veſtimentis ſuis, Adami nuditatem contecturi: quæ quod vulneribus inhærerent, non contra maximum dolorem à carne eius auelli potuerunt. Quod ſi ſola huius ignominiæ & pudoris apprehenſio ante in horto oliuarum ſanguineum illi ſudorem excuſſit, quid in monte Caluariæ cogitauiſſe eum exiſtimatis, vbi iam res non vt futuras apprehendebat, ſed vt præſentes perpetiebatur & tolerabat? O cæleſtis Noe, hoc illud charitatis vinum eſt, quo hauſto nudus morieris. Non deerunt filij nequam qui cõfeſtim tibi illudant; imò Iudæi hoc facient, ſuper quos perpetuã maledictio cadet. Conijcite itaq; oculos veſtros Auditores mei, in diuinum iſtum Moyſen, brachia ſua extendentem, non vt aliquem Amalech, ſed vt Diabolum deuincat. Ecce tempus in quo non ſerpens æneus, ſed Dei filius per illum figuratus, arbori crucis affigendus eſt, vt quotquot ab infernali ſerpente læſi eum oculi fidei intuiti fuerint, ſanitatem priſtinam conſequantur. Ecce tempus illud appropinquat, quo lapis angularis confringendus eſt, non vt ex eo torrentes aquæ, ſed vt ſanguis ſitim Eccleſiæ ſedaturus, eliciatur. Aſpicite obſecro mentis veſtræ oculis crudeles iſtos carnifices, crucem per terram extendentes, clauos expedientes, malleos apprehendentes, crucis brachia terebrantes, tanto vt facilius claui in eam adacti ſacroſanctam ſeruatoris mei humanitatem extendant. Cæterum claui illi, qui manus & pedes filij Dei transfoderunt, animam etiam præſentis Matris, transfodiſſe exiſtimandi ſunt. Contremuit tunc cœlum, obſtupuerunt angeli, obſcuratus eſt mundus, & ipſa natura confuſa fuit. Solus cœleſtis Pater gladium manu tenens, & huius iuſtitiæ cum admirabili conſtantia executor, oculo ira pleno homines, qui ad tale facinus deſignandum ſe compulerant, intuebatur. Audite obſecro hiſtoriam admirabilem

Chriſti denudatio. *Gen. 6.* *Exo. 17.* *Nu. 21.* *Pſ. 77.* *Eſa. 23.*

Oo 2 &

& huic noſtræ materiæ apprimè accommodatam. Tres Re-
4.Reg.3. ges Iuda, Iſrael & Edom contra Regem Moab exercitum in campum educunt, in vrbem fortem & benè munitam ſe recipere illum cogunt; vbi dum eum obſident, ille ad extremum ſe defendendi aliam rationem non videns, filium ſuum primogenitum accipiens in ſupremam muri partem aſcendit, & omnibus inſpectantibus illum ſacrificauit. Ac ſi diceret: videbo ſane vtrum inimici mei quieturi ſint, poſtquam intelligent eo me anguſtiarum redactum primogenitum vt meum cogar ſacrificare. Quo facto inquit ſcriptura, *facta eſt indignatio magna in Iſrael, ſtatimque receſſerunt ab eo, & reuerſi ſunt in terram ſuam.*

4.Reg.3. Quæ quidem indignatio contra non alium, quam ſe ipſos concepta erat, cùm videlicet cogitarent, importunitate ac obſtinatione ſua Regem ſe illum ad proprium filium ſacrificandum adegiſſe. Conicijcite iam nunc oculos veſtros Chriſtiani in hodiernum mundi ſtatum, & videbitis homines adeò liberè Deum offendere, plane vt contra illum conſpirauiſſe, ei bellum inferre ac eum obſidere velle videantur. Ea enim peccati natura eſt, ipſum vt Deum niſi is immortalis & impaſſibilis foret, deſtrueret atque euerteret. Hæc autem obſidio per coronam ſpineam re-
1.Cor.11 præſentata fuit, nam (iuxta D. Paulum) caput Ieſu Chriſti, Deus eſt, & ſicut ante diximus peccata per ſpinas figurantur. Caput autem Dominicum ſpinis coronatum Deum à peccatis noſtris obſeſſum repræſentat. Peccatum verò peccato addere aliud nihil eſt, quàm obſidioni pertinaciter inſtare, ſicut Iudæi faciebant. O inuincibilem Dei patientiam? Quis ſufficienter media illa commendare poſſit, quibus diuina bonitas homini perſuadere voluit, eam vt obſidionem ſolueret, ac à peccato abſtineret? Videns ergo ad extremum fruſtra ſe eſſe, efficaciſſimum medium vſurpauit, & proprium ſuum filium ſacrifican-
Eſa.53. dum ſibi eſſe exiſtimauit. *Propter ſcelus populi mei*, inquit per Eſaiam, *percuſſi eum*. Atque etiam accuratius intelligas, quanto cum rigore cæleſtis Pater filium ſuum propter peccata tua tractauerit, montem Caluariũ cum eo aſcende; ipſe enim cæleſtis Pater ad inſtar Regis ſublimem in murum enitentis, in eundem conſcendit. Audi illic malleorum verbera, aſpice clauos, quibus

manus

manus & pedes illi traiciuntur, & videbis aliud illa nihil eſſe, quam pœnas diuinæ iuſtitiæ, conſidera quomodo illum ita iam cruci affixum, in altum coram mundo vniuerſo eleuarint, cogita non paucos qui eum obſederant ſibi ipſis deinde iratos, ac tale ſpectaculum videntes, fuiſſe reuerſos *percutientes pectora ſua*: vel quoniam oculis corporeis venerandam hanc perſonam ita vulneratam & ſanguinolentam intueri non potes, conijce inquam parumper oculos in imaginem iſtam & quo peccata Seruatorem tuum perduxerint conſidera. Quo facto fieri omnino non poterit, vt deinceps peccata & iniquitates tuas non deferas, ac non continuo ſcelerum obſidionem ſoluens, cæterum DEVM non offendere conſtituas. O Pater miſericordiæ, & Deus totius conſolationis, Pater Seruatoris & Redemptoris noſtri IESV CHRISTI, conijce oculos in hanc imaginem filij tui, quem pro peccatis noſtris ſacrificauiſti: accepta paſſionem & mortem illius pro delictorum noſtrorum ſatisfactione. Abſit vt deinceps aliud, quam quod tuum ſeruitium concernit, facere conſtituamus. Obteſtamur te hoc per amorem, quo impellente filium tuum nobis dediſti, per obedientiam qua ſe ille tibi ſubiecit, & per merita qua ille nobis tuam gratiam & gloriam ſempiternam perpeperit, *quam mihi, & vobis, &c.* *Luc. 23.*

PRO SABBATHO
SEPTIMANAE SANCTAE
DE DOLORIBVS ET SOLITVDINE
Matris Dei.

Stabat iuxta crucem mater eius, &c. Ioan. 19. verſic. 25.

Introductio.

TRes iſti dies quos Eccleſia Quadrageſimali ieiunio abſoluto. glorioſæ reſurrectionis myſterium recolitura celebrat,ad maius fidelium Chriſtianorum bonum ita diſpoſiti ſunt, vt Feria ſexta mortis Dominicę contemplationi ſacra,ſabbathum ſanctæ Matris doloribus dedicatum, ipſa vero Dominica vtriuſque gloriæ deuota ſit: Filio enim reſuſcitato dubium non relinquitur,quin Mater eius gloriæ particeps fuerit effecta. Ad ſabbathum Diuiparæ ſacrum non niſi per Feriam ſextam Paſſionis tranſitur. Ex eo enim tempore quo ſancta Virgo filium ſuum in ligno crucis mori conſpexit;hominem,qui eadem nota inſignitus non ſit, nullo modo recipit aut admittit. Non poteſt etiam ad Dominicam glorioſæ reſurrectionis perueniri;niſi ſabbathum compaſſionis Diuiparæ ante tranſeatur. Vnde vt ad gloriam perueniamus, nõ modo cruce,ſed etiam Diuiparæ gratia & fauore opus habemus, Duo autem iſti paſſus ad gratiam ẽt requirũtur. Ita enim in Euangelij verbis eos coniunctos inuenimus,vbi S. Ioan. inquit: *Stabat iuxta Crucem Ieſu Mater eius*. Et fecimus nos heri primum paſſum,quando de filij cruce tractauimus,vnde hodie ſecundus faciendus eſt,& de compaſſione matris differendum: Quæ vtraq; vt recte præſtemus,Spiritus S. gratia neceſſaria eſt,tum vt crucem, tum vt virginem impetremus. Et

quo-

quoniam hodierno mane ambò nobis obueniunt, efflagitemus gratiam à Filio per ſuæ crucis merita & interceſſionem benedictæ ſuæ matris, *Aue Maria, &c.*

Nullum dubitum eſt Auditores, quin heſterna die vniuerſi ex iſtimaueritis, horribiles illas afflictionum tempeſtates, & anguſtiarũ vndas, quæ durante lamentabili mortis Dominicæ diluuio, velut aquarum montes attollebantur, ſanctam innocentiſſimæ matris arcã ſupra altiſſimos Armeniæ montes eleuaturas fuiſſe: Quod videlicet intelligebatis, eius dolorem, omnium reliquorum Sanctorum luctum ſuperauiſſe, qui in ſcriptura ſacra montes appellantur, tum propter fidei qua pollent firmitatẽ, tũ propter exaggeratã & cæleſtem conſeruationem. *Fundamenta eius in montibus ſanctis*, inquit Dauid de Ciuitate Dei loquens; quæ verba plerique Doctores de ſanctiſſima virgine intelligentes hoc modo paraphraſticos exponunt: ſtatus gratiæ tuæ ita exaggeratus eſt, & excellentia meritorum tuorum tàm ſublimis, ô glorioſa virgo, vt fundamẽta quæ infimæ ſanctitatis tuæ partes ſunt, in iugis editiſſimorum montium ſint collocata Quicquid ergo in reliquis ſanctis eximium fuit, id inte minimũ eſt. Quemadmodum enim vniuerſos gratiã & meritis ſuperauiſti, ita omnes dolore & triſtitia excelluiſti, adeo vt minima anguſtia, quã tu in morte filij tui ſuſtinuiſti acrior fuerit, quam vulnera grauiſſima quæ omnes illi ſimul exceperunt. Et ob hanc omnino cauſam D. Hieronymus & S. Bernardus te plus quã Martyrem eſſe dixerunt: quod videlicet reliqui Martyres in corpore, tu autem in anima paſſa fuiſti: & quod illi in eo paſſi ſunt, quod peſſime oderant, puta in carne ſua; tu vero in eo quod pretioſiſſimum habebas, puta in vnigenito filio tuo. Et hinc omnino eſt, Chriſtiani, quod ſacroſancta Virgo nõ alibi quam ad pedem Crucis materialis reperta ſemper eſt, iuxta Euangeliſtam, qui ait: *Stabat iuxta Crucem*: quãuis eadem illã interius transfoderit & penetrarit. Ita enim S. ille ſenex Simeon prædixerat, quando Ieſum infantem intra brachia ſua tenens, & oculos in illius virginem Matrem conijciens, inquit, *Tuam ipſius animã gladius pertrãſibit*, Non neceſſe erit, ô virgo, duobus cultris vti, filio vt tuo vita adimatur, & tu ad mortem vſque affligaris, illius enim tuus etiã erit, ac vno eodemq; ictu

Dolores B. Virginis depinguntur.

Pſa. 86. verſ. 1.

Ber. ſer. de Aſſump.

Ioã. 19. v. 150.

Luc. 2.

ei vitam adimet, & tibi ſanctam tuam animam tranſfodiet. Vbi ex vocula pertranſibit, quæ non leuiter ſtringere, ſed faciendo penetrare ſignificat, intelligere licet Virginis Mariæ dolorem quemlibet alium ſuperueniſſe, & exceſſiſſe: Inſtrumenta enim martyrum pœnas acutiores ac grauiores efficere conſueuerunt; ita dicimus eum qui in igne moritur, maius tormentum pati eo qui in aquis ſuffocatur, quia videlicet ignis inſtrumentum magis actiuum, & violentum eſt. Ita eum qui virgis ferreis cæditur plus illo pati dicimus qui flagello feritur, quia nimirum virgæ ferreæ, quam flagella aſperiores, & crudeliores ſunt. Denique quanto inſtrumentum aliquod quo homo excarnificatur grauius aut leuius eſt, tanto eundem martyrium etiam grauius aut leuius dicimus ſubiuiſſe.

Comparatio cũ alijs martyribus. Collocate, ſi placet, ab vna parte S. Bartholomæi pellem, S. Petri crucem, S. Laurentij craticulam, S. Blaſij pectines, & reliqua inſtrumenta omnia quibus aliquando Martyres fuerunt excarnificati: ab alio verò latere gladium, qui ſacroſanctæ Virginis animam tranſiuit conſtituite, mihi credite non lapides, non equulei, non candentes ferri laminæ, non liquidum plumbum, non feruens oleum, nec cæterorum tormentorum vllum, quibus hactenus SS. Martyres laniati, excarnificati, & occiſi ſunt, cum gladio paſſionis Dominicæ poterit comparari. Quòd ſi inſtrumentum illud per quod B. Virgo paſſa eſt quolibet alio acutius fuit, dubium reuera non eſt eius paſſionem qualibet etiam alia fuiſſe grauiorem. Et hac omninò de cauſa concionatores hodierna die ad populum facientes Ieremiæ illud in ſuis lamentationibus ſanctę virgini ſolent applicare; vbi Propheta populi ſui deſtructionem deplorans, & eius ruinæ enormitatem ponderans

2. Tren. Gen. 1. v. 10. exclamat: *Cui comparabo te, & cui aſſimilabo te filia Hieruſalem? Magna eſt veluti mare contritio tua. Quis medebitur tibi?* Filia Hieruſalem. Virgo ſacroſancta, cælorum Regina, Angelorum Domina, Mater Dei, & ſponſa Spiritus S. cui amabò dolorem illum comparaturus ſum quem tu ex morte filij tui cæpiſti? *Contritio tua magna eſt velut mare:* ſicut enim inter mare, & reliqua flumina, & aquas nulla planè proportio, & comparatio eſt; ita reliquorum dolores nulla ratione cum tuo poſſunt comparari. Imò quemadmodum

dum mare aliud nihil eſt, quam aquarum colluuies, & congregatio; ita omnes afflictiones, pœnæ, & tormenta in te, & in filium tuum ſe exonerauerunt. Vnus. n. & idem gladius ambos vos tranſiuit. Es tu mare, & mater gratiæ, & ideo Maria appellaris, quia cœleſtium gratiarum torrentes in te tanquam aquæ in mare defluxerunt. At voluit etiam filius tuus te dolorũ mare eſſe, & ideo Mariam nominari, quod eſt *mare amarum*. Quod ſi formoſa illa Noemi filijs ſuis priuatam ſe videns, parentes, & amicos ſuos rogauit, amplius ne *Noemi*, hoc eſt pulchram ſe appellarent; Sed *Mara*, quod idem eſt ac amara; Tu ô ſancta virgo, quæ filium amiſiſti centuplo illius liberis pretioſiorem, meritò ſane *Maria* appellari, potes, adiũgendo vnam litteram ei nomini, quod illa ſibi vendicabat; tui. n. dolores, & tormenta reliquarum feminarum luctum, tanquam mare flumina ſuperauerunt. Verum inter has pœnas, & inter tormenta tam immania, & crudelia, *Quis medebitur tibi?* Quis conſolari te poterit? Quis remedium aliquod ſalutare tibi præſcribet? Ad quem tu tanquam ad ſacram anchoram, & tutum Aſylum confugies? Quos ſcorpiones momorderunt, ij ad theriacam aut earundem beſtiolarum oleum confugiunt. Qui in deſerto à ſerpentibus ardentibus læſi erant, ij remedij loco oculos in ſerpẽtem æneum quem Moyſes Perticę affixerat eleuatos conijciebant. Noſtram vero Diuiparam Virginem quis momordit? Quis illius caſtiſſima viſcera trãsfodit? Quis ſanctiſſimam illius animam læſit? Nullus reuera alius, quam ipſius filius Cruci affixus. Hic eſt ille gladius qui eius cor, & pectus traiecit: ad eum ergo recurrere, & ab eo tantum remedium debet expectare. Quod quidem Diuiparam Virginem feciſſe nemo dubitare poteſt qui ſciat eam Cruci aſtãtem, illum qui in ea pẽdebat pro vnico ſuo bono, & doloris remedio habuiſſe. Hoc. n. Euangelij illa verba ſignificãt *Stabat iuxta Crucem*.

Maria amarum dolorum mare.

Num. 21

Tres Cruces in mõte Caluariæ erectas in Paſſione Dominica fuiſſe legimus vna erat Redẽptoris noſtri, altera boni tertia vero peruerſi latronis. Ad eundem planè modum tres etiam in Eccleſia cruces ſunt, vna iuſtorũ, & innocentum, altera pœnitentium, tertia verò peccatorũ, qui de pœnitentia facienda non cogitant. Obſtinati enim ne-

Tria Crucis genera.

quaquam ſine cruce ſunt, imò ſæpenumero maximam, & grauiſſimam portare coguntur. Sua cuilibet crux ferenda eſt, & ab hoc onere nemo vnquam excipitur. Conſideret proinde quilibet ex vobis in quonam ſtatu vniuſcuiuſque conſcientia verſetur, & intelliget confeſtim, quam crucem baiulet, & ad quam tendere debeat. Virgo Maria, inquit Euangeliſta ſtabat iuxta crucem Ieſu, ſua.n. Crux, crux innocentiæ erat, quippe quæ peccati expers, tanquam filius innocens erat Et fuit ille talis per naturam, iſta vero per gratiam: fuit ille in cruce, iſta autē *iuxta crucem*. Quanto enim creatura aliqua Deo magis appropinquat, tanto illa eam ærumnarum cruci propius coniungit. Ita videlicet humanitas Ieſu Chriſti, quæ cum Deo vnita erat, etiam cum cruce vnita fuiſſe inuenitur, non autem iuxta crucem ſtetiſſe, ſed in ipſa pependiſſe. Et S. Virgo Maria, quæ poſt humanitatem Seruatoris noſtri arctiſſime Deo vnita erat, cruci quoque proxima fuiſſe legitur. Hāc enim rationem, hunc ordinem, & hunc gradum, Deus in domo ſua obſeruat. Si Virgo non ſolum Mater, ſed Dei ſponſa etiam erat, ita enim in diuerſis canticorum locis à Spiritu S. appellatur. Et hunc illa titulum pluris omninò faciebat quam matris illum, ſiquidem amicitia vnionem, per gratiam factam præſupponit, maternitas autem, quatenus talis, eandem tantum per naturam: præterquam quod prior ille poſteriore multis partibus præſtantior ac nobilior eſt, dicente D. Auguſt. *Beatior fuit Maria concipiendo Deum mente quam ventre.* Quoniam ergo per amicitiæ vinculum arctius quam vlla creatura cum Deo erat vnita: Hinc neceſſe erat eam Dominicæ cruci propius quā vniuerſos mortales aſtare, & de filij ſui paſſione ac doloribus communicare. Et apud hanc crucem inquit S. Ioan. Damaſc. grauiores dolores perpeſſa eſt, quam in partu tolerarit. Atque hoc ſenſu non immeritò Canticorum illud à quibuſdam explicatur: *Sub arbore malo ſuſcitaui te, ibi corrupta eſt mater tua, & ibi violata eſt genetrix tua.* Vbi iuxta hebræorum ac nonnullorum etiam latinorum Doctorum expoſitionem ſponſa ſponſum ſuum alloquitur, &c. ſecundum originale hebræum dicit: *Sub arbore malo deſtruxi te: ibi peperit te mater tua, ibi parturiuit te genetrix tua.* Planè ac ſi dicat; ſub arbore ô ſponſe, te excitaui, &c. deſtruxi,

Cāt. ca. 1. verſ 9. 2. verſ. 1. 4. ver. 1.

Damaſ. cap. 5. de fide cap. 15.

Cap. 8.

ſtruxi, comedens enim fructum vetitum, diuinam tuam iuſtitiam irritaui, perdidi, & deſtruxi, non quatenus Deũ, ſecundum cuius naturam impaſſibilis es, ſed quatenus hominem, cuius naturam me redempturus aſſumpſiſti. Sub eadem deinde etiam arborẽ mater tua te peperit, & partus dolores matribus communes ſuſtinuit. Cum.n. *iuxta crucẽ* ſtaret, & dolores ac tormẽta quæ tu pro meis peccatis patiebaris conſideraret, in partu ſibi quodam conſtituta eſſe videbatur. Adeo vide dolor, quem Diuipara Virgo ex filij ſui paſſione accepit, verbo magis proprio explicari nõ poteſt. Ita ipſemet Seruator noſter paſſionis ſuæ tormẽta nobis repræſentaturus, eos parturientis doloribus comparat. Et Proph. Eſa. Inferni pænas omnibus mundi ſupplicijs grauiores deſcripturus, eaſdem partus doloribus aſſimilat dicens. *Tortiones & dolores tenebũt, quaſi parturientes dolebũt.* Volens ergo ſcire quantis doloribus B. Virgo iuxta crucẽ filij ſui ſtans fuerit confecta, cogita ſcripturam ſacram eos expreſſuram, iiſdem terminis vti, quibus. Propheta Inferni ſupplicia adumbrare conatur. Et quomodo illa dolore non obrui potuit adeo triſte, & crudele ſpectaculũ videns, conſiderans immanitatem tortorum, aſpiciens filij ſui corpus à capite vſq; ad plantam vulneratũ, eius manus tranſfoſſas, traiectos pedes, cerebrum ſpinis trãfixum, & cutem innumeris flagellorum vulneribus laceratam. Cogitãs ab alia parte naturæ mutationem qua illa tanquam ſtimulo quodam ad maiorem dolorẽm cõcipiendum excitabatur? Erat.n. turbatum, & cõtriſtatum cælum lugebat Sol, ipſaq; adeo terra enormia, & horrenda illa ſcelera ſupportare nõ valens tremebat, lapides inter ſe collidebantur, templi velum ſcindebatur, tenebræ adeo craſſæ & denſæ oriebantur, vt aues in meridie ad ſuos ſe nidos, beſtiæ vero, & animantia in cauernas ſe ſuas reciperent. Præter hæc autem omnia ipſi mortui, & defuncti velut attoniti ex ſepulchris ſuis ſurrexerunt, tanti vt luctus cauſam viderent, cernentesq; inſolitas illas tenebras, & Ecclypſin animis cohorruerunt. Et dubitet quiſpiam hunc rerum mutatum ordinem Diuiparam ad ploratum excitauiſſe, ac illius dolorẽ omnium luctu, & ærumna grauiorem feciſſe? *Repleuit me amaritudinibus, & inebriauit me abſynthio*, inquit Propheta Ieremias, & haud aliquanto iuſtius quam ille B. Virg.

Ioan.16.

Eſa. 13.

Thren.3

Non

Non enim dicit amaritudine, ſed amaritudinibus ſe repletam eſſe: Quia nimirum omnia quæ illius Filius tolerauit, in ipſius etiam cor, & animum fuerunt transfuſa. Addit deinde abſynthio ſe fuiſſe inebriatam, dolorum enim vis, & Paſſionis Dominicæ ſenſus ita eam oppreſſerunt, vt extra ſeipſam propemodum fuerit conſtituta: Non quod iudicium aut ratio illius turbata fuerit, ſed quia ea cogitare non poterat quæ ille perpetiebatur. Ita etſi firmiter reſurrectionem eius crederet, hæc tamen fides minimè illam conſolabatur, præſentium dolorum magnitudine nullum planè locum ſpei de futura gloria conceptæ, relinquente. *Nec me latent*, inquit S. Gregor. Nazianſenus, ſub perſona Diuiparæ, *quæ poſt breui futura ſunt, ſed mæror excedit grauis fiduciam*. Quid faciat ergo B. Mater inter tam terribiles tempeſtates conſtituta? ſolum hoc remedij loco habet, Ieſum Chriſtum intueri, & iuxta illius crucem ſtare: Cum iunior Tobias à paterna domo abeſſet, ſcriptura dicit quod eius mater *Flebat irremediabilibus lachrymis*, & dicebat *Heu me fili mi, lumen oculorum noſtrorum, baculum ſenectutis noſtræ, ſolatium vitæ noſtræ, ſpes poſteritatis noſtræ. Omnia ſimul in te vno habentes, te non debuimus demittere à nobis*. Quid tu putas hanc matrem dicturam fuiſſe, filium ſi ſuum mortuum ob oculos habuiſſet? Et quid poterat in anima ſua ſacroſancta Virgo non perpeti, videns filium, & Seruatorem ſuum, in ſua præſentia mortuum, imò morte ignominioſiſſima affectum, & eum filium, quem adeo tenerè amabat, nulla vt vnquam mater impenſius ſuum diligere potuerit: Et quamuis Tobiæ mater affectum ſuum ſecuta mentita non fuerit cum diceret, *omnia ſimul in te vno habentes*, id tamen ſi effectum ſpectauiſſes verum non erat, habebat enim maritum, habebat facultates, habebat amicos, quos ſimiliter diligebat: Et cum filius illius Deus non eſſet, omnia in eo vno habere non poterat. B. autem Virgo Maria veriſſime dicere poterat, omne ſe gaudium, & bonum in filio ſuo habere, primò quidem quia Deus erat, cum quo omnia bona vnita, & coniuncta ſunt; ſecundò vero quia amorem, & affectum ſuum integrè in eo defixerat, ita vt voluntatem ſuam ad nullam prorſus aliam creaturam transferret: *Mulier innupta, & virgo*, inquit S. Pau-

Nazian. in Chriſto patiēte.

Tob. 10. v. 4.

Digitized by Google

S. Paulus, *Cogitat quæ Domini ſunt, vt ſit ſancta, & corpore, & ſpiritu. Quæ autem nupta eſt, cogitat quæ ſunt mundi, quomodo placeat viro.* Tobiæ ergo mater quæ nupta, & maritata erat, curam diuerſarum rerum habebat, & nihilominus ſcriptura dicit, eam *irremediabilibus lachrymis* plorauiſſe: Et inter tam diuerſa negotia conſtitutam, nihilominus omne ſuum bonum in filio ſuo latere aſſeuerauiſſe. S. autem Virgo quæ maritata non erat (iam enim S. Ioſeph diem ſuum obiuerat, & licet ſuperuixiſſet, eam tamen neutiquam hac in re impedire potuiſſet) citra vllam controuerſiam omnes ſuas cogitationes in ſolo Deo defigebat. Non habebat illa facultates, non maritum, non liberos, non familiam, non agnatos, non denique aliquid, quod eam a filij ſui amore poſſet auertere. Habebat autem in eo omnes amoris cauſas, & motiua; quippe cum non alium Patrem, non alium Sponſum, non alium filium, non aliud bonum, imò nihil planè præter illum agnoſceret: Cumque in hoc ſolo tanquam in Deo, & ſupremo ſuo Domino ſpes ſuas vniuerſas collocaret. Vnde Ieſu Chriſto mortuo, reſpectu D. Virginis idem erat, ac ſi mundus vniuerſus eſſe deſijſſet. Atque ex hoc opinor loco intelligitis, quare feſtum illud quod compaſſio D. Virginis dicitur, eius ſolitudo appelletur. Inter omnia quæ Deus mundum condens fabrefecit, vltimum fuit homo, in quem etiam oculos conijciens dixit: *Non eſt bonum hominem eſſe ſolum*. Adeo vt Deus mundum vniuerſum, deſertum, & ſolitudinem quandam hominis reſpectu exiſtimarit, quo ad quidem ille ſibi ſpecie ſimilem non haberet. Et Seruator noſter de paſſionis ſuæ fructu loquens, inquit; *Niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipſum ſolum manet*. Exiſtimabat enim optimus ille Deus, cælum ſibi homine id non introeunte, etſi ſanctos Angelos ſecum haberet, ſolitudinem tantum ac deſertum quoddam viſum iri. Vbi enim ea perſona quam impenſius diligimus abeſt, nihili plane reliquam ſocietatem facere ſolemus. Idem autem in B. Virgine conſiderare poſſumus, quæ cum omne ſuum bonum, & affectum in filio ſuo vnigenito collocauiſſet, eo amiſſo omnia perdidiſſe ſe credidit. Potuit ergo Ieremiæ verba illa vſurpare: *Poſuit me deſolatam, toto die mærore confectam*,

1. Cor. 7.

Solitudo quanta pœna.

Gen. 2.

Ioan. 12.

fectam, dicebat Dauid, *Deus cordis mei, & pars mea Deus in*
Thre. 2. *æternum?* Quæ etiam verba multo melius B. Virgo profer-
Pſal. 72. re poterat, quippe cum illius amor infinitis ſpatijs, Dauidis illo maior eſſet, & excellentior. Præter hæc caro in qua Seruator noſter patiebatur, erat caro B. Virginis, quod nimirum infantes maternæ ſubſtantiæ partes & portiones quædã ſunt; Et ſua deinde anima potius in filio quam in ſeipſa erat, quia *anima potius eſt vbi amat quam vbi animat*. Vnde conſequitur eam non ſpiritu tantum, ſed cor-
Aug. hſt. in Conf. pore etiam paſſam fuiſſe. Et quia partem quam filio ſuo dederat impenſius quam propriam ſuam diligebat, idcirco plus dolebat filium ſuum pati videns, quam ſi ſeipſam in crucem agi conſpexiſſet. Ex quo etiam illud ſequitur Seruatore noſtro moriente, B. Virg. non tantũ ſolitariam, perdendo in illo bona ſua vniuerſa: ſed quodam etiam modo mortuam remanſiſſe, tametſi ſenſu prædita pœnas, & tormenta ſua perpateretur, O mirabilia charitatis opera, quæ facere poteſt vt ſyncerè & medullitus diligens ſimul mortuus, ac viuus exiſtat! O viſcera ſanctiſſimæ matris, quæ omnibus mundi huius creaturis peius fuiſtis tractata! Videbat illa ventris ſui fructum quem S. Eliſabetha Spiritu S. impellente, benedictum vocauerat, crucis fructum, & conſequenter maledictum eſſe, iuxta illud: *Maledictus omnis qui pependit in ligno*. Inclina ramos tuos, ô ſan-
Deut. 21 cta arbor (poterat interius ſacroſancta Virgo crucem affa-
Apoſtropha ad crucem. ri) fructus enim quem portas non tuus eſt, ſed meus: Ego ſine vllo dolore eum produxi, ſed in præſentiarum quia eo frui non poſſum, dolore obruor. Proprij tui fructus, ò crux, non ſunt innocentes, ſed improbi, ſed latrones, ſed prædones; quanam ergo ob cauſam ex tuis ramis is pendet, qui non innocens tantum, ſed ipſa eſt innocentia? ſancta illa & rubicunda vua, quam tu inter duos latrones pendentem ſuſtines, præfigurata fuit per veteris teſtamenti illam, quam duo exploratores ex terra promiſſionis attulerunt. Fructus ille viſcerum meorum eſt, Spiritu San-
Num. 13 cto operante productus; Et quare tu eum in alto retines & ſuſpendis? Cur eo me frui non ſinis quod meum eſt? At fruere ſane, ô ſacra crux, tu enim diuinum illud torcular es, quo illa calcari & comprimi debet, vt loco vini ſanguinem Eccleſiæ ſuæ largiatur O fortem mulierem, ô ma-

trem

trem conſtantem, ô inuincibilem animum, ô pectus ſtre nuum, pectus carneum propter dolorum ſenſum, pectus adamantinum propter conſtantiam! Nec videatur adhuc vobis, Audit. Euangeliſtam optimo iure dixiſſe, quod B. Virg. ſteterit. Attollamus pauliſper conſiderationis noſtræ oculos, & videbimus Paradiſum terreſtrem in Caluariæ monte repræſentari, vt per eoſdem gradus quibus Protoplaſti ad perniciem & ruinam noſtram decurrerunt, interitus noſter reparetur; erat in Paradiſo vir, erat mulier, erat arbor, in monte autem Caluariæ lignum, virgo & vir. Vir illic fuit Adam, mulier Eua, arbor ficus ſeu malus. Hic arbor eſt crux, mulier B. Virgo, & vir Seruator noſter. Primæ arboris guſtatus fructus mortem attulit, hic deguſtatus vitam conciliat. Illic mulier virum ad comedendum incitans omnes nos in ruinam egit: Hic B. Virgo filium ſuum Seruatorem noſtrum ſollicitat, quatenus crucis fructus, hoc eſt tormenta largiter deguſtet, quo facto ſalus nobis parta, & conciliata venit. Nolite admirari, Auditores, quod dico, imò conſiderate in anima B. Virg. duas amoris ſpecies ſimul confligentes, vnam naturalem materno animo propriam, per quam filium ſuum diligebat, alteram charitatis, per quam Deum & homines amabat. Primo amore impellente deſiderabat filium ſuum mortē non perpeti; ſecundo inſtigante mundum redimi, & Dei voluntatem adimpleri videre cupiebat. Vnde ſicut gratia quam natura fortior, & potentior eſt, ita charitas in ea prædominata eſt, effecitque vt illa filio ſuo animum adderet, ad fortiter mortem oppetendum; quemadmodum olim ſeptem illa Machabæorum mater feciſſe perhibetur. Offerens ergo illi ardentia ſua deſideria, quæ in anima ſua experiebatur, aliquando vt mundum redemptum, & Deo videret ſatisfactum, inuitabat reuera Seruatorem noſtrum ad comedendum fructus crucis, qui erant dolores, pœnæ, & tormenta. Ita videlicet eadem illa tria quæ ad mundi ruinam concurrerunt, in hominis etiam reparatione fuerunt reperta: vir, mulier & arbor, Seruator noſter, B. Virgo, & crux. Quæ ipſe etiam Euangeliſta Hiſtoriæ ſuæ inſeruit dicens: *Stabat iuxta crucem*, Ecce arborem; *Ieſu* ecce virum, *Mater eius*, ecce mulierem? Porro ſicut in Paradiſo per Adamum & Euam arboris occaſione mors in mundum

Quomodo Caluaria mons ſit inuerſus paradiſus.

2. *Mac.* 7.

mundum fuit introducta,ita per Ieſum Chriſtum in monte Caluario mediante cruce, & B. Virgine vita humano generi fuit reſtituta. Vbi tamen obſeruate,quemadmodũ Adam,& Eua ambò pomum mordentes peccauerunt,humani autem generis interitus & ruina, non niſi ab Adamo proceſſit, qui omnium hominum aliquando naſcendorum caput fuit. Et ſicut Eua ad ſaturitatem vſque ex vetito fructu comedente, ſi Adam eum non guſtauiſſet, nulla humanam naturam contagio fuiſſet conſecuta. Ita etiam hic de ſalute & , reparatione noſtra philoſophari poſſe videmur. Ieſus & Maria ambò amarum illum crucis fructum guſtauerunt,hoc eſt dolores, & tormenta ſuſtinuerunt,ſalus autem non niſi à Seruatore noſtro,qui Eccleſiæ caput eſt,promanat, & proficiſcitur. Et idcircò per
Cap. 63. Prophetam dicebat: *Torcular calcaui ſolus, & de gentibus*
verſ. 3. *non eſt vir mecum.* Vnde etſi Deus cum duobus alijs, imò inter duos mortuus pependerit, eoſdem tamen maleficos, & latrones eſſe voluit,ne quis forſitan imaginari ſibi poſſet eos ad hominum redemptionem concurriſſe,ſiquidem ipſi ea tantopere indigebant. Ob eandem deinde cauſam iuſtum illum latronem clara voce confiteri voluit,ambos
Luc. 23. iuſtas ſcelerum ſuorum pœnas luere dicentem; *Et nos quidem digna factis recipimus, hic verò nihil mali geſſit*; vt nimirum ita proprio ore vterque confiteretur, ſe redemptores eſſe non poſſe,imò hoc ſoli Chriſto competere. Quamuis autem ſolus Chriſtus damnum in quod ſolius Adæ peccato incideramus reparauerit, conueniens tamen fuit B. Virginem tormentis eius condolentem eidem compati, ſicuti primo homini in comeſtione fructus vetiti Eua ſe ſociam præbuit. Primo Adamo peccanti ſociatur Eua; Secundo redimenti iungitur Maria: Et Chriſtus itaque patitur, & Maria, ſed non pari modo, in Cruce Chriſtus, vnde crucem Chriſti appellat Euangeliſta, iuxta crucem Maria: Ille crucem patitur, hæc crucifixo compatitur: vt Redemptor ille, vt mediatrix iſta: ideoque tantopere cruci approximat,vt intelligamus dignum aliquem non eſſe crucis acceſſu,niſi huius Dominæ noſtræ interuentu. Anne exiguum hoc priuilegium vobis videtur Auditores? Et vnde hoc meruit niſi quia viciniſſima cruci ſemper aſtitit? Et quomodo poſſibile erat à cruce elongari matrem, cui

cui clauis affigebatur filius? Manſit igitur ibi, & æternùm manſiſſet, niſi filium ſuum à cruce depoſitum ſepoſuiſſent. Nunquamne hiſtoriam Reſphæ concubinæ Saulis audiſtis? Duos eius filios Gabaonitæ crucifixerant, illa vero accepto ſacco, *cilicium ſubſtrauit ſibi ſupra petram ab initio meſſis, donec ſtillaret aqua ſupra illos de cælo, & non dimiſit aues eos lacerare per diem, neque beſtias per noctem*, ita eam maternus affectus perurgebat. Quid ergo hæc ſacratiſſima Virgo feciſſet, ſi filium eius ante oculos cruci affixum reliquiſſent? An crucem deſeruiſſet? An abijſſet? An cum Petro, & Ioanne Chriſtum de lõge ſecuta fuiſſet, aut cum mulieribus remote, ita vt conſpici poſſet conſtitiſſet? non ſane, ad pedem crucis eſt, *iuxta crucem ſtabat*. *2. Reg. 21. verſ. 10.* *Luc. 22.* *Mat. 27.*

Nullum animi diliquium paſſa ſe ſuper S. Ioannem reclinauit; nec opus erat Magdalena, quæ eam inter brachia ſuſciperet, pictorum in ſuis tabulis hæc figmenta ſunt, quibus cum poetis aqua ſemper mentiendi poteſtas fuit: eiuſmodi enim actiones abiecti cordis, & timidæ animulæ, quales cæterarum feminarum ſunt, ſigna habentur; At S. Virgo animo forti, & maſculo, & Spiritu pluſquam humano erecta perſtitit. Indicat hoc ſatis ipſum verbum *ſtabat*, niſi enim, & animo magna, & Spiritu conſtans fuiſſet in tantis anguſtijs non ſtetiſſet: Adeo imperterrita ac firma fuit, vt ſi Salomon fortem mulierem requirens in eam incidiſſet confeſſurus fuerit ſe quod quæreret inueniſſe. Scimus Machabæorum Matrem, Sanctam Symphoroſam, & Felicitatem filios ſuos ad martyrium ſubeundum animaſſe. Nouimus Matrem S. Melitonis, cum filium ſuum poſt multa tormenta mortuum conſpexiſſet, inter ſua brachia, in humeros ſublatum cum reliquis martyribus cremandum in ignem conieciſſe. Nulla tamen earum ad conſtantiam B. Virginis peruenit, nulla tam rudes dolorum ictus ſuſcepit; ictus inquam qui cælum, & terram tenebant, petras duriſſimas findebant, & vniuerſam mundi machinam cõcutiebant: & tamen his omnibus tormentibus, cedẽtibus, glorioſa Virgo ſola ſtetit immota rupe firmior, adamante conſtantior: Et quomodo hæc ſine ſpeciali Dei auxilio fieri potuerunt? Iuxta crucem filij ſtabat, & eadem crux quæ filium vexabat, matrem ad conſtantiam animabat: *Maria ſub cruce nõ defecit ſed ſtetit.* *Prou. 31* *Baſ. Hom. de 4. Matt.*

Dei enim proprium eſt vna manu crucem imponere, & altera manu auxilium quo ſufferatur miniſtrare. Quod ipſum quidã amicorum Iob his verbis inſinuat,cum ait,

Iob. 5.v. 17.& 18 *Beatus homo qui corripitur à Deo; increpationem igitur Domini ne reprobes,quia ipſe vulnerat,& medetur,& manus eius ſanabunt*; quaſi dicat,vna manu percutit, & vtraque emplaſtrum adhibet. Caue proinde fili mi ne crucem fugias, accede ad eam, & vicinus conſiſte ſuſtentabit te, ſicuti Matri Dei, ita & tibi fortitudinem, & conſtantiam ſuggeret. Conſiderantes itaque,& meditatione contemplantes maximos huius Virginis dolores, animique anguſtias, tantum eius pietati ac deuotioni tribuendum eſt,vt nihil eius conſtantiæ detrahatur, ei ne iniuria fiat: Hinc Ambroſ. eam in medijs his anguſtijs adeo firmam ac ſtabilem imaginatur,vt non auſit dicere eam vel vnam lachrymam profudiſſe, cum hoc apud Euangeliſtas non reperiatur,dum ait, *ſtantem lego, flentem non lego*: quaſi dicat, virginem ſub cruce, ſed inſtar columnæ erectam video: rupem ventis ac maris fluctibus agitatam, ſed inconcuſſam aſpicio,imò ne lachrymulam lachrymatam reperio. Memini me alibi legiſſe Principem quandam feminam in ſpectaculis ſeu torneamentis taurorum, quæ more hiſpano exhibentur; maritum ſuum, quem tenerrime diligebat,à tauro primo equo excuſſum inde miſerrime contritum conſpexiſſet:cum autem caſum huius Principis cunctis amabilis,prudentiores ſuſpirijs alij ploratu, omnes autem ſummo dolore proſequerentur,inter tot lachrymas, ploratus ſingultus ac ſuſpiria ſola vxor inſtar marmoreæ ſtatuæ immobilis, nec lachrymam emittebat, nec ſuſpirium trahebat. Interrogata autem à quadam ſua pediſſequa, cur ſe tam rigidam ac ſeueram exhiberet, ſimulque admonita ne hoc ſuo rigore populo male ſuſpicandi cauſam daret, reſpondit: Qui plorant, & ſuſpirant triſtitiæ ſuæ ſolatium, & leuamen quærunt; at vero qui me circumſedit dolor tantus eſt, vt nihil ſit quod eum minuere poſſit, adeoque plorando aut ſuſpirando leuamen ei non quæro. Simile refert Herodotus de Samnite Rege Aegypti;Huic enim à Cambyſe rege Perſarum deuicto ac capto, cum ſuperbus triũphator inſultare vellet, & illudere, publice eum ad ſe euocauit, eique filiam

An B. Virgo lachrymata fuerit?

Notabile exẽplũ.

Aliud.

ſuam

ſuam ſeruili modo indutam,& cum cæteris ancillis à fonte redeuntem amphoramq; aquę baiulantem,ſpectandam exhibuit:ſtatim omnibus Aegyptijs, qui coram aderant, tanta ſuæ Principis miſeria lachrymas excuſſit: ſolus pater dolorem diſſimulans dimiſſis ſed ſiccis oculis perſtitit. Cambyſes tantam conſtantiam admiratus poſt paucu- las horas filium eiuſdem Samnitis, quem captiuum detinebat peſſime indutum, catena circumdatum, ac freno ori iniecto illuſum miſerabili ſchemate patri exhiberi iuſſit: Quo conſpecto omnis populus illachrymari cepit, pater autem lapide minus ſe commoueri ſimulabat. Paulo autẽ poſt cum quendã ſuum famulum,& amicũ quõdam prædiuitem mẽdicantem conſpexiſſet,indoluit,& lachrymas profudit: Admirantibus autem qui aſtabant,& cauſam inquirentibus reſpondit: Alijs compati oportet, maxime ſi amici ſint: proprijs autẽ malis, maxime ſi meam infelicitatem adęquent,fruſtra remedium queritur. Cum itaq; lachrymæ compaſſionis ſignum ſint,& afflictos conſolẽtur, decuit me amici infortunium deplorare, vt me ei compati demonſtrarem, mea autem mala lachrymari caueo, ne ijs remedium,quod inueniri nequit,quæſiſſe videar. Hæc igitur exempla rationesq;ſecuti, ſi B. Virginem non ploraſſe credamus, ne doloribus ſuis quantumuis extremis remedium quæreret,deuotioni eius,& pietati nullam iniuriam faciemus. Et ſi vt compati filio ſuo ſe demõſtraret ploraſſe eam dicamus,nihil conſtantiæ eius derogabimus: Nam licet non deceat eam conſiderare vt deſperatam, capillos euellentem,genas deturpantem,pectus tundentem, abſq; vlla diſcretione eiulantem,& plorantem,inſtar quarundã feminarum,quibus eſt cor molle,& animus omninò feminius. Tamen imaginari eam nonnullas lachrymas fudiſſe non ita abſurdum:ſi.n.filius terram proprio ſanguine rubefecerit,non improbabile erit matrem eandem nonnullis lachrymulis madefeciſſe, nam *Lachrymæ B. Virg. nihil eius conſtantia derogans.*

Quis niſi mentis inops matrem de funere nati
Flere vetat.

Si autem quęras,cur ergo Euangeliſta nullam mentionem faciat lachrymarum:reſpõdebo eum totum,quod potuit, dixiſſe cum ait, B. Virginem iuxta crucem Chriſti ſtetiſſe, & matrem eius fuiſſe: ideoq; diuerſimodè dę hac, & alijs *Expẽditur illa vox Mater.*

feminis, quæ etiam cruci aderant, loquitur, has.n. omnes ſuo nomine deſignat,illam vero matrem Chriſti appellat, quaſi diceret, vt oſtendam quam viuidè mortem filij ſui, redemptoris noſtri,ſenſerit, ſufficit dicere eius matrem eſſe;hoc enim verbum omnia complectitur: Nam ſicuti alij Euangeliſtæ longis deſcriptionibus, quibus excellentiam huius Virginis depingerent, abſtinent, cum ſufficiat eam Deiparam, & matrem Dei appellaſſe, hoc.n. verbo quicquid dicere poſſunt inuoluitur. Ita ſimiliter Ioannes in deſcribendis eius anguſtijs,& doloribus non moratur, eo ipſo.n. quo dicit eam redemptoris noſtri matrem fuiſſe, eiq; morienti aſtitiſſe,plura vno verbo complectitur, quã omnes totius mundi oratores multis orationibus explicare poſſent,huic rei declarandæ optimè ſeruit pictura Agamemnonis,ſacrificio,& immolationi filiæ ſuæ Iphigeniæ aſſiſtentis. Cum.n. hic dux, & græcorum omnium caput inter venandum ceruam Dianæ ſacram interemiſſet,adeo ei bilem commouit,vt ipſum Agamemnonem, totumque eius exercitum vno eodemq; loco longo tempore continuerit: Nam diabolicis fraudibus omnẽ oportunum abeũdi ventum intercipiebat,donec tandem ſacrificulorum,& diuinorum ſuaſu à patre filia tanquam ſacrum piaculare Dianæ immolaretur.Quod ſacrificium poſtmodum Agamemnon ſuis coloribus à Temante præſtantiſſimo pictore in tabula repreſentari iuſſit:qui quidem ad viuum Iphigeniam aræ adgeniculãtem,& tectis oculis ſacerdotis,qui iam brachium leuabat,gladiumque vibrabat,ictum expectantem depinxit,& in circuitu pulchre totam Agamemnonis familiam circumfudit, & hunc quidem oculos ad ſydera ſuſtollentem, illum manus complicantem, ipſum barbam,alium capillos euellentem,omnes triſtes, & plorantes expreſſit. Cum autem ipſe Agamemnon delineandus eſſet dubius ſubſtitit,conſiderans hunc patrẽ eſſe, omnemq; ploratum,& eiulatum exteriorem minorem multo eſſe, imò nihil comparatione dolorũ quos interius paternus animus ſenſerat: ideoq; tandem reſoluit faciẽ eius velo obtegere, vt ſignificaret, ſe vnicuiq; tabulam ſuam viſuro liberum relinquere,affectiones paterni animi, quas coloribus ipſe non poterat,cogitatione exprimere. Commodè hęc propoſito noſtro accommodari poſsũt. Primus

pa-

parens totius humani generis caput; ſua inobedientia, & culpa ſe,& totam ſuam poſteritatem ad eas anguſtias redegit, vt neceſſe fuerit proprium Dei filium Deo ipſi pro reconciliatione offerri; qui ſimul,& Virgo,& Virginis filius erat. At Spiritus S. ſacrificiũ hoc in Euangelica tabella ſpectandum proponens, Chriſtum in ara crucis extẽſum ob oculos ponit, & vt mortem eius luctuoſam adumbret omnes creaturas creatorem ſuum lugẽtes inducit: cælum tenebris tegitur, ſol ecclypſim patitur, luna obſcuratur, velum templi ſcinditur, ſepulchra aperiuntur, in partes ſaxa diſſiliunt, in lachrymas feminæ reſoluuntur, imò inimici eius pœnitentia ducti pectora tundunt. Virginem autem noſtram S. Ioanni deſcribendam reliquit: at ille exiſtimãs eius dolores maiores fuiſſe, quam qui ſcripto poſſint exprimi, vnde ordiretur non inueniebat. Ne tamen omniuo quid ei contigerit ignoraretur, faciem eius velo texit, dicẽs eam Matrem Chriſti fuiſſe, & iuxta crucem in qua filius animam exhalabat, conſtitiſſe. Atq; hoc ipſum eſt paucis verbis omnia dicere. O ſanctiſſima Virgo omnium quas vnquam terra tulit caſtiſſima,& maximè afflicta, quippe cuius dolores ſcriptis effari non præſumpſit Euangeliſta, qui filij Dei ęternam generationem audebat promulgare, quantumuis præſens eos conſpexiſſet, adeoq; cognouiſſet impoſſibile eſſe homini ad viuum eos delineare. Nos autem ô beatiſſima Virgo cauſa horum dolorum,& tormẽtorum, cauſa mortis filij tui fuimus: condona nobis hanc culpam, teq; matrem monſtra, & peccatores talem experiantur: doceas nos tuos filijq; tui dolores viuide ſentire; ac perferre, veniam peccatorum noſtrorum nobis impetra, vt merito tuarum paſſionum, ſe nobis inclinet Deus donans nobis gratiam per quam gloriam conſequamur.

Quam mihi, & vobis, &c.

DOMINICA
PASCHAE.

Maria Magdalena, & Maria Iacobi, & Salome abeuntes emerunt aromata. Matth. 16. verſ. 1.

Comparatur Eccleſia naui.

NVLLA eſt metaphora toties ſanctis Doctoribus iterata, & quæ melius ſtatum peregrinationis fidelium explicet, quam qua Eccleſia nauis, & decurſus itineris eius nauigatio appellatur: In hunc ſenſum interpretatur Chryſoſtomus verba ſapientis,

Prou.vl.

cum de muliere forti ait, *facta eſt quaſi nauis inſtitoris de longe portans panem ſuum.* Per nauim enim Eccleſiam intelligimus, quæ panem verbi Dei à ſummis cęlis ad nos deuehit, nautæ ſunt Apoſtoli, vectores Chriſtiani, nauclerus Chriſtus, malus crux, velum charitas, anchora ſpes, ventus Dei, & ſancti Spiritus inſpiratio: & de eadem nauicula alibi dicitur, quod via eius in medio mari ignoretur; conuerſatio enim Eccleſiæ in cęlis eſt, nec ſemitam in mari huius mundi relinquit. Hanc nauiculam Dominus noſter Ieſus Chriſtus ab initio conceptionis ſuæ intrauit, & arrepto clauo gubernatorem egit, quia tamen turbidum mare & venti contrarij erant maximas difficultates ſuperauit: Quis omnes fluctus, qui tempore vitæ Chriſti in hanc nauiculam incurrerunt enumerabit? quæ lingua dexteritatem gubernatoris digne prædicabit? quis pericula quibus ſe pro ſalute vectorum expoſuit, recenſebit? ob oculos vobis ponite Auditores tempeſtatem aliquam, aut iratum mare, videbitis eadem, vt plurimum in Eccleſia euenire: ſublatis anchoris proſpero vento è portu nauis egreditur, in altum mare ſubuehitur, & in medio itineris conſtituta vndiq; inſurgentibus ventis oppugnatur; inflatur mare, fluctus dupli-

Digitized by Google

duplicantur, & eleuati cœlum ipſum tangere videntur: ventus eam vt pilam agitat, iam ad inferos deſcendit, mox ad nubes eleuanda, conturbatur cęlum, & miſeram nauiculam maximis pluuijs inundat, hinc atque illinc flu ctus perrumpunt, ita vt iam aquam hauriat, nautæ ſentinam exantlent; alij merces exonerant, vela complicant, in omnium faciebus, præ timore, mors notatur: quidam fluctibus ſe credentes in aquam deſiliunt, alij in angulum aliquem maris furias fugientes ſe abſcondunt: naucleri auxilio accurrit vnus, alter in oratione ſe proſternit. Verũ ad omnia imperterritus gubernator nunc huc, nunc illuc diſcurrit, vt imminens naufragium euitet, eoſque ſaluet, qui ſe ſuo nauigio crediderunt: Subinde etiam aſcenſa ſpecula, cum videt vectorum quoſdam in mari periclitare, veſtes abijcit, in mare deſilit, vt pereuntes ſaluet. Si autem poſt tempeſtates & turbines mare ſubſidat; venti ceſſent, cęlum diſcooperiatur, & læti ſolis radij denuò appareant, quantum tunc gaudium in cordibus eorum naſcitur? quis lætitiam quam oſtendunt, amplexus quos ſibi exhibent, & gratiarum actiones quas Deo offerunt, enumerabit? Si quis autem nunquam naufragij periculum ſubierit, legat Dauidem, vbi Chriſtum maxima tempeſtate oppreſſum, & ad cęlum clamantem introducit, dicens; *Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ vſque ad animã meam: infixus ſum in limo profundi, & non eſt ſubſtantia*; quaſi dicat, quæ ſiui fundum & locum ſtabilem vbi pedem figerem, & nihil ſolidi inueni. *Veni in altitudinem maris, & tempeſtas demerſit me; laboraui clamans, raucæ factæ ſunt fauces meæ, defecerunt oculi mei, dum ſpero in Deum meum.* Atq; hæc Dauid in perſona Chriſti gubernatoris noſtri tempore paſſionis ſuæ multis moleſtijs, & laboribus oppreſſi: cuius paſſionis tempeſtatem proximò elapſa ſexta feria, primis lineis vobis adumbraui; intellexiſtis tunc quomodo prorera noſter Ieſus Chriſtus fluctus laborum, contrarios ventos perſecutionum, turbines tormentorum debellarit: quomodo ad Patrem ſuum clamarit, & ſuppliciter orarit ex hac tempeſtate liberari. Vidiſtis quomodo ſola malorum, & dolorum apprehenſio in ſanguineas eũ guttas reſoluerit. Audiſtis quomodo victorum alij turbati in fugã ſe coniecerint; alij occultarint præ metu; alij magno

Chriſtus nauclerus noſter.
Pſal 68.

animo nauarcho ſuccurrere volẽtes & ipſi defecerint. Erat iã nauicula naufragio proxima, & ſine dubio ſubmerſa fuiſſet, niſi dexterrimũ hunc & potentiſſimum patronum ac gubernatorẽ habuiſſet. Ille.n.furentib. ventis, & ſeuiente tempeſtate veſtes abijciens malum crucis conſcendit, cũ corpus ſuũ cruci affigi permiſit, in mare ſe demiſit, cũ vitã ſuam pro periclitantib. vectorib. expoſuit, & tanquã peritiſſimus vrinator ad ipſum maris fundum penetrans tenebroſum, & obſcurum angulum adijt, ex quo multos prӕteritis tempeſtatib. ſubmerſos liberauit; implens illud Prophetӕ: *Tu quoque in ſanguine teſtamenti tui emiſiſti vin-*
Zach. 9. *ctos tuos de lacu in quo non erat aqua.* Iucundiſſimum eſt ſanè ſpectaculum prӕclarè facta ſanctӕ illius animӕ corpore iam exutӕ, & profunda maris, ac inferni penetrantis cõtemplari: Intrauit lacum confuſionis portas diſijciens, ceras diſrumpens, catenas confringens, & omnes illius regionis habitationes terrefaciens: Quis eſt ille, inquiunt, qui tanta pompa, ac regio apparatu portas noſtras ingreditur? ſolent defunctorum animӕ trementes, ac tributum perſoluẽtes accedere; verum hic vincula comminuens, & captiuos diſſoluens ingreditur: Nunquid non ipſe eſt quẽ iamiam in arbore crucis animam exhalantem vidimus? Si Deus eſt cur ſe morti & ſepulturӕ ſubiecit? Si homo eſt vnde hӕc tanta eius audacia? Et hӕc quidem aut his ſimilia principes illi tenebrarum obmurmurarunt, cum animam, quam iam in medio tempeſtatis, ac fluctuum abſorptam putabant, tam magnifico apparatu tenebroſa ſua regna adeuntem cernerent: ſcilicet prӕ ſuperbia tumidi & excӕcati non meminerant eius quod in perſona Chriſti

Infernũ ſpoliat, & mortem abſorbet.

Oſea 13. prӕdixerat Oſeas: *Ero mors tua ò mors, morſus tuus ero inferne:* vt itaq; prophetia hӕc compleretur, neceſſarium erat Chriſtum mortem ſubire, & ad inferos deſcendere: cùm .n. vigente tempeſtate mors eum deglutire pararet, contrarium euenit, nã ipſi Chriſti per paſſionem facta eſt morſus; vnde Chriſti paſſio calix appellatur, quam tamquam amaram potionem abſorbere debebat; & hinc Apoſtolus
1. Co. 15 ait: *Abſorpta eſt mors in victoria.* Et Auguſt. *vt occideret mortem veſtitus eſt morte, & reſurrexit interfecta & deglutita morte.* Atque ita prior pars prophetiӕ Oſeӕ quӕ ait: *Ero mors tua ò mors* impleta fuit, ideo .n. ſe in mare tribulationum,

& ipſius

Digitized by Google

& ipſius mortis defecit, vt ab ea abſorberi videretur, imò verè abſorptus, & mortuus eſt. ſed hoc ipſum victoriæ eius apex erat, quod mortem moriendo triumpharet tanquam generoſus elephans draconem, qui mortis cauſa ei erat, lapſu ſuo opprimens. Vt autem alteram huius prophetiæ partem, ſcilicet, *morſus tuus ero inferne*, impleret, Sacer noſter propheta ex arbore crucis deſcẽdit, id eſt, ad centrum terræ, vbi eſt infernus penetrauit. Vbi notetis velim Auditores verba hæc quæ hodie nobis Eccleſia proponit duplicem & vtrumque commodum ſenſum admittere: primo actiuum, *Morſus tuus ero inferne*, ideſt, te mordebo: Reuera enim Chriſtus fecit ſicut ij, qui pomum ex vna parte putridum, ex altera mordent: Nam infernus tunc temporis, & ſanos habebat & putridos, damnatos ſcilicet, & Patres in Lymbo, aut purgatorij animas. Momordit itaque infernum Chriſtus cum Patres ab exilio reduxit, & omnes animas è purgatorio liberauit, &c, ſic morſu hoc apprehenſo Oſeæ prophetiam in priori ſenſu impleuit. Altero modo cum Ruberto verba Prophetæ paſſiuè accipere licet, ſcilicet ipſe Chriſtus ad inferos deſcendens inferni morſus dicatur, cui inferno contigit quod voracibus ſubinde euenire ſolet, qui cum ſumma auiditate omnem cibum deuorent, in eum aliquando incidunt, qui ſtomachum illorum adeo perturbet, & grauet, vt cogantur & hunc & alios multos, ſi velint hoc malo liberari, eijcere. Infernus tantus animarum helluo erat, vt de eo dixerit Propheta Iſaias: *Dilatauit infernus animã ſuam, & aperuit os ſuum abſque vllo termino.* Proprius autem eius cibus, & ſtomacho eius conueniens, erant animæ peccatorum; cum vero Chriſtum innocentiſſimum iam mortuũ deuorare vellet, ipſe tanquam cibus qui nihil ad inferni palatum faceret, eius ſtomachum tantopere euertit, vt quicquid haberet boni reddere cogeretur, adeoque ſe ab omnibus animibus SS. Patrum exonerarit, vti fide credimus. Reſtitit etiam, vt multi Doctores putant animas Purgatorij, cum enim Dominus noſter, vt ait Sanctus Petrus, inferni dolores ſoluerit, non ſuos, quia nullos pertulit; non eorum qui in Lymbo erant, nam illi nulla pœna ſenſibili affligebantur; non damnatorum, cum illorum dolores ſint perpetui, & irremiſſibiles. Reſtat itaque

Voracitas inferni.

Iſaia 5.

Auguſt.
Pſal. 99.
Act. 2.

quod

quod doloribus purgatorij finem impoſuerit. Vnde optime inferno accommodare poſſumus, quod in alium ſenſum apud Iob aiebat Sophar Naamatitis, *Diuitias quas* Iob 20. *deuorauit euomet, & de vĕntre illius extrahet eas Dominus*, ſcilicet generoſus noſter nauarchus. Cum autem ipſe iam ad centrum terræ hoſtes infernales debellaturus deſcendiſſet, ad priſtimum curſum nauicula reduci cepta eſt, nā quidam ex Diſcipulis corpus eius à cruce depoſitum tanquam exuuias ſubmerſi hominis ſepulchro intulerunt. Sicuti enim bonum natatorem non decet depoſitas veſtes amittere, ita etiam Saluatori noſtro euenit, qui ad recipiēdum eas redijt, ideoque diuina prouidentia diſpoſuit, vt corpus ſuum in ſepulchro, tanquam exuuiarum ſuarum fideli repoſitorio cuſtodiretur. Vectores autem putantes nauclerum perditum & ſubmerſum lacrimabundi diffugiunt, hic in angulum aliquem ſe abſcondit, iſte ad ſolitudinem ſe recipit, omnes manifeſto periculo ſubmerſionis ſe exponunt. Tres feminæ mortuum corpus, vt aromatibus in hoc præparatis inungerent, quærunt. S. Petrus licet per infidelitatem extra nauiculam non ſit eiectus, intra eam tamen ad obſcuriorem locum ſua negatione eſt coniectus: In alio angulo Iacobus hæret, & iurat neque manducaturum ſe neque habitaturum, donec gubernatorem illum ſanctiſſimum videret; reliqui omnes in maximo periculo amittendæ ſpei verſabantur, ſola Deipara Virgo rectum curſum tenet, nec ceſpitat. Poſt triduum autem tempeſtas ſedatur, turbines ceſſant, ſubſidūt venti, & ipſe Nauarchus in portu emergens è ſepulchro exuuias ſuas repetit, antiquam veſtem licet renouatam & glorioſam reſumit, coniunctionem animæ ad corpus quæ morte interrupta erat, denuo renouat: Et hæc eſt ipſa reunitio quam hoc triumphali feſto reſurrectionis Chriſti celebrat Eccleſia. Vt autem omnia clarius intelligantur, ſupponendum in primis eſt corpus & animam Chriſti in ara crucis realiter fuiſſe ſeparata, ac cōſequēter Chriſtum verè mortuum eſſe: licet diuinitas ſemper coniuncta fuerit & animæ in inferno, & corpori ſub cruce, ac in ſepulchro; ideoque dixi bonum vrinatorem veſtimenta ſua cuſtodire, ſicuti nec Chriſtus vnquam à ſuis exuuijs diuinæ prouidentiæ oculum auertit. Tertio autem die infinita virtus diui-

Status Eccleſiæ mortuo Chriſto.

diuinitatis animam corpori denuo vniuit, ex qua iterata vnione, eadem omnino quæ antea erat Christi humanitas reſultauit. Cum itaque ſupradicto modo tempeſtatem illam nauarhus euaſiſſet, & poſt tertium diem ad ſolitum gubernandi officium rediſſet, cepit victores ſuos recolligere, hunc animans, illum de latebris extrahens, iſtũ ſpe firmans, illum charitate inflammans, omnes fide, quæ in ſingulis, ſi non excuſſa, bene tamen concuſſa erat, roborans: Solius enim B. Virginis fides inconcuſſa permanſit, ne ſcilicet lucerna nauiculæ huius omnino ventorum turbinibus extingueretur Primus autem ✝vectorum ad quem Chriſtus poſt ſuam reſurrectionem accurrit, fuit Sanctiſſima eius mater, tametſi Euangeliſtæ id non referant: Nam vt inquit Anſelmus, hoc eſſet ſuperfluum, cum ſit certiſſimum. Vel vt bene notauit Rupertus Abbas, ſi non debeamus credere Chriſtum primo matri ſuæ apparuiſſe, quia huius apparitionis Euangeliſtæ non meminerint; ſimiliter dicere poterimus, neque credendum eſſe quod vnquam poſt reſurrectionem ſuam matri apparuerit, cum neque hoc quando, aut quomodo contigerit referant. Firmiter itaque credendum eſt Chriſtum primo matri ſuæ apparuiſſe, & ✝viſionis ſuæ participem feciſſe: viſionis inquam, quæ tanto eam gaudio & lætitia compleuit, vt ſicuti ſub cruce opus habebat peculiari Dei aſſiſtentia ne dolorum vehementia Spiritus vitales in corde ſuffocaret, ita etiam nunc peculiari eius ope indiguerit, ne lætitia nimia omnes vitales Spiritus, ſine quibus non viuimus ex dilatato corde expelleret. Et forte ita eam alloquebatur, Abſterge, Abſterge ô Virgo omnes lachrymas, *iam enim hyems tranſijt, imber abijt & receſſit, ſurge amica mea & veni: flores apparuerunt in terra noſtra* gemmant iam arbores, & mox mox poſt flores fructus ſubſequitur: hi enim quos mecum ſuſcitauit flores ſunt & primitiæ reſurgentium, ac paſſionis meæ primi fructus: Te vero ô ſanctiſſima arca paſſionum & dolorum meorum diluuiũ ſuper omnem montem humanæ creaturæ extulit, & viuidiſſimo tactu meorum malorum affligit, æquiſſimum itaque eſt, & in participatione glorię meæ ſuper omnes eleueris, Intra ô mater per portã lateris mei, interius animæ meæ gaudiũ contẽplare, vt ipſa particeps fias: Intuere quãtò glo-

Status Eccleſiæ poſt reſurrectione Chriſti.

Primo apparet matri.

Anſel. de Exce. Virg. Cap. 9.

Cant. 2.

to gloria omnibus malis toleratis ſit maior, vt triſtitiam tuam ſubſequens gaudium ſupergrediatur. Cui ipſa verbis Saræ filiæ Raguelis reſpondere poterat: *Sit nomen tuum Deus Iſrael benedictũ in ſeculа, quia poſt tempeſtatem tranquillum facis, & poſt lachrymationem & fletum exultationem infundis*. Talis triumphus tam laborioſæ victoriæ debebatur, talia ſpolia, tantum prælium; talis merces, tantum laborem; talis gloria, tantas moleſtias decebat. Fuit hic dies, Auditores, Eccleſiæ omnium quos vidit lætiſſimus, non ſolum quod eo Saluatorem ſuum glorioſum conſpexerit, ſed magis qui ad eum gloriam poſt labores & tormenta dux ſuus intrauerit; Illuxit hoc die ſol clarior, reſplenduit aer purior, cælum pulchrius ac ſerenius enituit, & ſicuti gratior eſt poſt tempeſtatem malacia, poſt tenebras lux, poſt laborem quies, poſt bellum pax: ita etiam poſt tempeſtatem, tenebras, labores, & bella, Chriſti gratiora ſucceſsêre malacia, lux, quies, & pax, quæ omnia Chriſtus ſua reſurrectione nobis donauit, ſicuti priora illa ſua paſſione & morte diſpulit.

Tob.3. — *Feſtiuitas Paſcha.*

Dum autem ita matrem ſuam conſolatur Chriſtus, tres virtuoſæ Dominæ, cupientes Chriſtó mortuo inſeruire, ſicuti viuo miniſtrauerant, emptum aromata abeunt, vt venientes vngerent Ieſum. *Et valde mane vna Sabbathorũ veniunt ad monumentũ orto iam ſole.* Nouerant enim quod matutino ſurgere, & diligẽter inquirere ſint duo oportuniſſima remedia ad Deũ inueniẽdũ. Vnde Sapientia clamitat. *Qui mane vigilat ad me, inueniet me: Beatus homo qui audit me, qui vigilat ad fores meas quotidie, & obſeruat ad poſtes oſtij mei*, nam vt Sapiens ait; *Qui de luce vigilauerit ad illã non laborabit: aſſidentem enim illa foribus ſuis inueniet, qui vigilauerit propter illam ſecurus erit.* Matutina enim eſt, & vt ibi dẽ dicitur, *Facile videtur ab his qui diligunt eam, & inuenitur ab his qui quærunt illam.* Eodẽ ſpectat quod ait Baldad Suhites, *ſi diluculo conſurrexeris ad Deum, & omnipotentẽ fueris deprecatus: Si mundus & rectus inceſſeris, ſtatim euigilabit ad te.* Qui ante exortum ſolem ſurgunt manna colligunt, qui ortum eius operiuntur, fruſtrantur ad primũ enim ſolis radiũ diffluebat, quod ignis caloris reſiſtebat, nam vt inquit Sapiẽs; *Quod enim ab igne nõ poterat exterminari, ſtatim vi ab exiguo radio ſolis calefactũ tabeſcebat:* & quare *vt notũ omni-*

Mane Deus quærendus eſt. — *Pro.8.v. 17. & 34.* — *Sap. 6. verſ.15. & 16.* — *Ibid. v. 13.* — *Iob. 8.* — *Sap. 16. verſ.27. & 28.*

Digitized by Google

omnibus eſſet, *quod oportet preuenire ſolem ad benedictionẽ tuã* *Pſ.* 120.
et ad ortũ lucis te adorare. Non enim dormitabit neque dormiet,
qui cuſtodit Iſrael, vt Regius Propheta canit: ideoq; ſomno
lentorum inimicus eſt. Diligenter & caute negotiandum
eſt, oportuniſſimum tempus eſt mane, antequam curæ tẽ-
porales ſenſus hominis diſtraxeriut: primam cogitationẽ
tuarum poſſeſſionum Deo, primam diei partem conſide-
rationi beneficiorum Dei, Deo conſecra, vt hac grata præ
teritorium recognitione, futurorum augmẽtum merearis,
aut ſaltem ad recipiendum te diſponas. Fecerunt hoc bo-
næ illæ Domicellæ, quæ mane valdè ſurrexerunt, vt aroma
ta ſua, quæ præcedenti die preparauerunt, in vnctionẽ cor
poris Chriſti expenderent. O ſane rem Deo gratiſſimam,
veſperi per piam meditationem & recollectionem ſeruitia
præparare, quæ ſũmo mane Deo offeras? & ſane ſecuriſſi-
mã, ſi enim talem ſubſequente nocte contingat diſcedere,
merito & premio boni operis in corde iam patrati nõ ca-
rebit, nã vt inquit Dauid: *Preparationẽ cordis eorũ audiuit* *Pſal.* 9.
auris tua. Sic enim feminæ virtutũ in cura & ſolicitudine
vngẽdi Chriſtũ obdormierant, & in eadẽ euigilãt, & *ve-
niũt ad monumẽtũ*, vt inquit Euãgeliſta, *orto iã Sole.* Si dicas,
quomodo adeo matutinæ fuerũt hæ mulieres ſi orto iam
Sole demũ ad monumẽtũ acceſſerint? Reſpõdebo cũ Petro *Ser.* 82.
Chryſologo, Solẽ hoc die reſurrectionis Chriſti tres ho-
ras ſolito citius exortũ, vt hac diligẽtia tenebras diei Paſſio
nis Chriſti reſarciret, adeo vt eo die etiam exorto Sole sũ-
mum mane fuerit. Niſi tamen cum alijs Doctoribus dice-
re malimus eas ſummo mane exijſſe, & qua poterant di-
ligentia vſas fuiſſe, & tamen non ante exortum ſolem ad
ſepulchrum veniſſe, eo quod in via ſubinde certis quibuſ-
dam locis, & ſtationibus vbi Chriſtus notabile aliquid
paſſus erat ſubſtinerint. Nam vt quis Chriſtum crucifi-
xum inueniat, breuiorem ſemitam inire nequit, quam
viam contemplationis paſſuum paſſionis eius. Approxi-
mantes autem ſepulchro dubiæ, & quaſi hæſitantes inter
ſe dicunt: *Quis reuoluet nobis lapidem ab oſtio monumẽti?* Ve *Chriſtus*
rum cum Deus ſibi ex animo ſeruire cupientibus, omnia *clauſo ſe*
impedimenta & obſtacula auferat, *reſpicientes viderunt re-* *pulchro*
uolutum lapidem; & introeuntes in monumentum, viderunt *reſurre-*
iuuenem ſedentem in dextris, coopertum ſtola candida &cæt. *xit.*

Vbi

Vbi cum S. Greg. Nyſſeno aduertendum eſt, Angelum lapidem iſtum grauem & grandem amouiſſe à ſepulchro, non ante ſed poſt Chriſti reſurrectionem; ipſe enim clauſo monumento ac maximo lapide obſerato, abſq; vlla lapidis reuolutione, ruptura, aut fiſſione exiuit, non aliter quam cum ſine vlla clauſtri virginalis apertione de matris ſuæ vtero prodijt. Sed cum iam reſurrexiſſet, miſit Deus Angelum ſuum, qui reuolueret lapidem, & aperiret ſepulchrum in quo Petrus & Ioannes poſtmodum accurrentes ſudarium quod fuerat ſuper caput eius, & linteamina ſeorſim poſita inuenerunt, vt ex Ioanne diſcimus. Vbi nota cum Dominus noſter Lazarum reſuſcitaſſet, prodijt ligatus manus & pedes inſtitis, faciem autem ſudario tectus; econtra Chriſtus linteamina & ſudarium in ſepulchro reliquit, ille enim iterum moriturus reſurgebat: adeoque ſudario indigebat: hic autem *reſurgens ex mortuis iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur*, adeoque funeralia illa in ſepulchro deponit. Cum triremes ad portum aliquem appellunt, plurimos exeuntes, terramque prendentes conſpicimus, facile tamen quinam remiges, qui verò nautæ aut vectores ſint internoſcimus ex certis quibuſdam ſignis, quæ portant: Si quis enim ferrum in pedibus geſtet, & collum ei catena circumdetur, indicium eſt malefactorem eſſe & remigem, qui ſtatim reuerſurus egreditur: ſin à vinculis & ferro expediti incedant, ſignum eſt liberos eſſe, nec ad redeundum compelli poſſe. Nos omnes Audit. maledicti ſumus, & triremi mortis adiudicati, ex quo generalis ſententia contra primos noſtros parentes eſt lata. *In quacumque die comederitis, morte moriemini*; quam ipſam etiam Dominus noſter ſubijt, vt nobis libertatem acquireret. Sudaria & lintea quibus nobis pedes manuſque ligantur, notæ ſunt & inſignia remigum, quorum aliqui in portũ appulerunt reſurrectionis, inter quos Lazarus, qui totum genus humanum repræſentabat, & Chriſtus *primitiæ dormientium*, vt inquit Apoſtolus. Scire vultis quinam ad triremes reuerſuri ſint, & qui non? conſiderate quibus notis inſigniti egrediantur; Lazarus ſudario tectus & ligatus totus, Chriſtus hæc vincula in ſepulchro reliquit: Lazarus itaque egreditur, tanquam maleficus, iterum mori obligatus, Chriſtus autem liber omnino,

Orat. 2. de reſurrectione.

Ioan. 22.

comparatio inter Chriſtũ & Lazarum reſurgẽtes.

Gen. 2.

1. Cor. 15

Digitized by Google

nino,& ipſius mortis Dominus. Vnde ei multi Doctores hunc verſiculum appropriant: *Factus ſum ſine adiutorio inter mortuos liber*. Quod ipſum inſinuat angelus mulieribus,dum ait, *Ieſum quæritis Nazarenum crucifixum, ſurrexit non eſt hic.* Quaſi diceret,vos crucifixum quæritis,ſed reſurrexit,mortuum vultis,ſed viuit,*ſurrexit enim non eſt hic:* ſi non creditis accedite & videte ſepulchrum. *Ecce locus vbi poſuerunt eum*. Videte,quod non ſolum reſurrexerit, ſed etiam ſudarium & vincula eiecerit,quippe qui compedes mortis ſoluere,catenas confringere,& vincula diſrumpere poterat,immortalis iam reſurrexit,& abijt: *Sed ite,dicite diſcipulis eius,& Petro.* Magnanimum eſt & honeſti pectoris cùm aduerſa ſuperauit, aut altiorem gradum conſcendit,obliuiſci iniuriarum,quæ ei tempore aduerſo, aut in minori ordine obuenerunt,ne videantur proſpera fortuna deterius effectum. Ita Ioſephus Patriarcha venditionem ſuam fratribus non imputauit, neque ſe de venditoribus ſuis vindicauit, ſed eos ſpicialibus gratijs ac fauoribus præuenit.Dauid quoque extincto iam Saule, & pacificam regni poſſeſſionem adeptus poſteris eius benefacere ſtuduit dicens: *Eſt ne aliquis qui remanſerit de domo Saul,vt faciam miſericordiam cum eo.* Patres quoque noſtri meminerunt,quomodo Ludouicus vndecimus galliȩ regnum conſecutus,iniurias ſibi adhuc duci Aurelianenſi exiſtenti noluerit vindicare. Similiter Dominus noſter poſt reſurrectionem ſe erga ſanctum Petrum geſſit,negauerat ille pauperem & afflictum Dominum; adeoque à glorioſo pœnam merebatur,ſed veniam conſecutus eſt ideoque ſpecialiter mandat mulieribus vt Petro nuncient, magiſtrum ſuum à mortuis ſurrexiſſe; quaſi diceret: magiſter veſter ſuſcitatus nullam vindictam de iniurijs crucifixi exigit: ite dicite Pet.magiſter tuus bonus reſurrexit, qui tantum abeſt vt te puniat, quin potius ſpecialiter tui meminerit, & ſingularis nuntij fauore te proſequitur. Atque hoc nuncio in Pet. cæteriſque Apoſtolis ſpes veniæ reuixit, cum enim viderent Chriſto tantopere curæ eſſe qui cum negauerat,& ipſi veniam ſperabant,qui deſeruerant. Ideoque Petrus gratiarum actionibus explere ſe nequit cum ait: *Benedictus Deus & pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui ſecundùm miſericordiam ſuam magnam regenerauit nos in ſpem*

Pſ 87. Mar.16. *Magnanimũ eſt iniuriarũ obliuiſci.* 2.Reg.9. 1.Pet.1.

viuam,

uinam, per reſurrectionem Ieſu Chriſti ex mortuis : quaſi dicat, Chriſtus eſt omnis ſpes & fiducia noſtra, hoc mortuo, ſpes iacebat, languebat: iterum viuente & ſuſcitato, ipſa quoque reuixit, vireſq; reſumpſit. Et in Petro quidē ſpes, ſi non mortua, morti ſaltem proxima fuit: quomodo enim de tanto crimine negati Chriſti à Chriſto veniam ſperare potuiſſet? ne itaque deſperaret, à mortuis reſurgens Chriſtus, eius ſpecialem mentionem facere voluit, nuntiumque ſuæ gloriæ ei fieri mandauit, quo excitatus Petrus in ſpem veniæ erectus eſt, & nequaquam tantæ miſericordiæ immemor, aut ingratus, ampliſſimis modo allegatis verbis Deo gratias agit. Nos quoque Auditores animum reſumamus, & à vitijs noſtris cum Chriſto reſurgamus, ſpem nouam concipiamus; ſi enim tanti peccatoris ſponte meminerit, nos ſanè ad ipſum clamantes exaudiet: ſed, *ſi conſurrexiſtis cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt quærite, vbi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens, quæ ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſuper terram.* Conuerſatio enim eorum, qui cū Chriſto peccatis mortui ſunt, debet non in terra terreſtris, ſed in cęlo cæleſtis eſſe, vt cū Apoſtolo dicere poſſint: *Noſtra aūt cōuerſatio in cælis.* Huc oportet omnia noſtra deſideria, cogitatus omnes tendere, ibi enim eſt *vita noſtra abſcondita cum Chriſto in Deo*: ibi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens, ab hoc patris latere nunquam mentem auertamus, per paſſionem namq; in dextera ſedentis in filios Dei adoptati, & hæreditatis regni illius æterni participes effecti ſumus. Conſideratione itaque throno filij Dei, cuius cohæredes effecti ſumus, aſſiſtamus; de hæræditate qua in æternum fruemur, ſeriò cogitemus: Nunquam alia quam ſeruitij diuini cogitatio ſubrepat, tam enim beato ac miſericordi Deo ſeruire honorificum eſt; ſeruitium autem eius ingrate deſerere, aut gratiarum actiones negligere, ignominioſum eſt & reprehenſione digniſſimum: In ipſum iactandus eſt cogitatus noſter, ſpes & fiducia noſtra, ille enim ſua reſurrectione nobis reſuſcitationis quaſi arrham dedit, vt ſumma illa felicitate, qua ipſe beatiſſime perfruitur, etiam nos ſuo tempore perfruamur. Cum itaq; dexterimus gubernator, noſtræ nauiculæ ad dexteram patris ſui reſideat, ad eum in omni turbine & tempeſtate recurramus, nam is qui vt nobis vitam à naufragio præſeruaret,

Cū Chriſto reſurgendum. *Coloſſ. 3.* *Phil. 3.* *Coloſſ. 3.*

uaret, vitam ſuam prodigit; fauorem ſane gratiæ ſuæ non denegabit, & hoc quaſi ſecunda aura prouectos ad portum æternæ gloriæ feliciſſime appellare faciet: *Quam mihi & vobis præſtare dignetur, &c.*

FERIA SECVNDA PASCHAE.

Duo ex Diſcipulis Ieſu ibant ipſa die in caſtellum nomine Emaus. Luc. 24.

INTER omnes prophetias, quæ de Chriſti reſurrectione in ſcripturis & numeroſiſſimæ, & myſteriorum pleniſſimæ reperiuntur, meo quidem iudicio nulla eſt ſuauior, & altiſſimorum ſecretorum plenior, quam benedictio illa quam Iacob Patriarcha iamiam moriturus filio ſuo Iudæ impartiuit, eſtque inter benedictiones ordine tertia: *Catulus Leonis Iuda* (inquit textus) *ad prædam aſcendiſti fili mi: requieſcens accubuiſti vt Leo, & quaſi Leæna, quis ſuſcitabit eum?* *Gen. 49.* Certum enim eſt hanc benedictionem, quæ Iudæ, ex cuius ſtirpe Dominus noſter deſcendit, data eſt, in ipſo impletam non fuiſſe; ideoque hinc Doctores colligunt hæc ipſi particulariter dicta non eſſe, ſed prophetiam de Chriſto, & in ipſo implendam, fuiſſe; Atque ita ſenſerunt Origenes cũ Theodoreto ſuper Geneſin. Ambr. lib. de benedict. Patriarch. Cyrill. in Ioann. & ſufficienter probatur ex S. Ioanne, qui Chriſtum leonem de tribu Iuda appellat. *Apoc. 5.* Pro clariore autem huius prophetiæ intelligẽtia aduertendum eſt primo Chriſtũ varijs de cauſis appellari catulum leonis: *Chriſtus dicitur Catulus Leonis.* Primo, quia eſt filius Dei, qui ob ſummam fortitudinem leo vocari poteſt. Secundo, quia eſt filius B. Virginis, quæ, vt docet Epiphan. recte leæna nominatur, nam iuxta proprium leænarum mortem

ſemel tantum vterum geſtauit & peperit. Denique tota leonis compoſitio ad viuum vnionem duarum naturarum in vno Chriſto exprimit: Nam vt refert Pierius in hieroglyphicis, Leo duabus partibus maxime differentibus conſtat; Superior enim eius medietas naturæ cæli maxime proportionatur; inferior autem plurimum cum terra participat. Conſidera caput, & inuenies totum viuidum, oculi ſtellarum inſtar ſcintillant, faciei rotunditas & circum dependens iuba, Solis rotunditatem, radioſque repræſentant. Si vero inferiorem corporis partem intuearis, grauem illam, frigidam, & inſtar terræ ſiccam reperies, vnde etiam ei quartana febris, qua cum ordinarie luctatur. Eadem omnino in Chriſto notare eſt, in cuius perſona duæ naturæ infinitè differentes, ineffabili quodam modo vnitæ ſunt; Diuina quæ tota cæleſtis eſt ſuprema: Humana, quæ cum eiuſdem ſpeciei ſit cum noſtra, terreſtris

1.Cor.11 eſt Conſidera caput & diuinum inuenies; *Caput enim Chriſti Deus* Corpus conſidera, & verum hominem inue-

Phil. 2. nies: Nam de Chriſto dicit Apoſtolus, *in ſimilitudinem hominum factus et habitu inuentus vt homo.* Et ſicuti leo ratione qualitatum terreſtriũ quartanæ febri ſubiectus eſt, ita etiã Chriſtus propter aſſumptã carnẽ paſſibilẽ, paſſibilis fuit.

Leo. Secundo in hac prophetia aduertendum, quod Iacobo non ſuffecerit Chriſtum catulum leonis appellaſſe, ſed poſtea eum abſolutè leonem nominet, dicens: *Accubuiſti vt leo,* vt nos doceret, quod ſicuti catulus leonis quodammodo minor eſt patre, à quo eſt generatus, licet in natura æquales ſint: Ita Dominus noſter, ſecundũ humanitatem minor eſt patre, & ſic catulus leonis appellatur: Secundum Diuinitatem vero æqualis eſt patri, & ita leo nominatur. Defigens itaque Iacob oculos ſuos in venturum Meſſiam ait: *Ad prædam fili mi aſcendiſti*: reſpiciebat ſcilicet ad DEVM docentem poſtea Iſaiam, quo no-

Iſaia.8. mine, filiu, ſuu, vocaret, ait, *Voca nomen eius accelera, ſpolia detrahe, feſtina prædari*: hoc enim officium venturi Chriſti erat, qui tanquam leo ad tollendam prædam generoſe aſcendit. Si quæras quo aſcenderit? Reſpondeo in crucis patibulum, & notanter cum Patriacha dico, quod aſcenderit, vt intelligatis non coactum, ſed pleniſſima voluntate & beneplacito mortem pertuliſ-

Aſcẽſus Leoninus Chriſti.

ſe,

ſe,prout ipſemet alibi teſtatur,cum ait: *Ego pono animam meam,vt iterum ſumam eam;Nemo tollit eam à me,ſed ego pono eam à me ipſo*; ideo niſi ego eam deponere velim, nullus mihi eam eripere poterit. Voluntariè itaque ò Chriſte crucem aſcendiſti vt prædã tolleres; *requieſcens accubuiſti vt leo*, mortem Chriſti,quietem,& ſomnum appellat,nam poſt illam humanitas Chriſti à laboribus & doloribus, quos toto vitæ ſuæ tempore tolerauerat requieſcere cepit, vti is qui dormit à laboribus ceſſat & reficitur. Accubuit autem vt leo,nam leo apertis oculis dormit,& quãdo ad prædam inhiat inſtar leporis ſe proſternit, vt beſtiæ aliæ dormire eum putantes,ſecurius accedant, cum autem ille minime arbitrantur horribili rugitu terrefactas inuadit, oſſa eorum comminuit, & in partes lacerat abſque vllo omnino impedimento. Ad ſimilem modum Dominus noſter cruci affixus ſe habuit, vt enim fortitudinem diſſimularet & occultaret, cruci ſe affigi permiſit, & licet totus dormiret,imò mortuus eſſet, ſemper tamen oculos diuinitatis,qui claudi non poterant apertos habuit. Vidiſſes hoc loco hinc mortem inſtar voracis leænæ dentes, quos in Chriſti corpus defigeret acuente illum diabolum inſtar rugientis leonis, vt animam Chriſti captaret,excubias agentem. Mors quem purum hominem putabat, vt vitam tolleret oppugnabat. Diabol. quem inter duos latrones pendentem videbat, non ab omni macula mundum ſperabat. Verum leo noſter non his,ſed Deo Patri ſuo animam reddere volens cepit rugire;nam vt notat Marcus: *Ieſus emiſſa voce magna expirauit*. Tunc enim obſtupuerunt omnes videntes purum hominem poſt tanta tormenta, tanto impetu & clamore animam exhalare non potuiſſe. Verum ſera nimis hæc conſideratio, ſubito enim leo noſter inuaſit mortem, quam arreptam ex ſummo montis Caluariæ præcipitauit, omniaque oſſa ei confregit & comminuuit,ac ſublatis viribus elubem reddidit, vt impleretur quod Iſaias dixit: *Præcipitabit mortem in ſempiternum, & auferet Dominus Deus lachrymam ab omni fatie, & opprobrium populi ſui*, quaſi diceret: veniet aliquando dies cum Deus mortem præcipitabit, & per hoc auferet ab hominibus occaſionem plorandi, & tollet ignominiam populi ſui, qui erat ſub iugo mortis, feræ inſtar

Ioan.10 *Accubitur.* *Marc.5.* *Iſaia 25*

tygridis, & ſub ſeruitute Diaboli plus quam tyrannica.
Atque hæc eſt præda, quam leo noſter crucem aſcendens apprehendit, hæc fortitudo eius qua ſe leonem monſtrauit, vitam morti abſtulit, & diabolum in fugam conuertit, qui campum deſerens acie exceſſit, ad inferos cõfugit ſocijs ſuis huſus prælij noua relaturus. Ex tunc è leone in leænam conuerſus eſt Chriſtus (nam & hoc nomen ei dat Patriarcha dicens, *& quaſi leæna*) vt leæna enim quæ creptos ſibi catulos perſequitur, forti promptitudine poſt Diabolum abijt, ad infernalia illa latibula penetrauit, vt hic & nouam prædam caperet, & leonculos ſuos redimeret, animas ſcilicet Sanctorum Patrum, qui in lymbo erant, & eorum qui adhuc purgatorij pœnis affligebantur, prout probabilior, & magis pia opinio habet, & heri inſinuauimus: has omnes tanquam ſuo partus ex horci faucibus eripuit, & viſione ſuæ diuinæ præſentiæ beauit. Mortuo autem Leone exuuiæ eius, id eſt, corpus in cruce hærebat (ſola enim anima diuinitate comitata ad prædam diabolo extorquendam inferos adijt) poſtea autem à cruce depoſitum nouo ſepulchro in quo nemo iacuerat, honorificè illatũ eſt. *Et quis ſuſcitabit eum?* inquit Patriarcha vltimis prophetiæ huius verbis. Refert Ruffinus, parturientem leænam catulum mortui ſimilem, & vehementiſſimo ſopori, qui triduum duret, immerſum parere, durante autem hoc triduo eam à maximo rugitu non ceſſare, donec partum ſuum, aut reſuſcitet mortuum, aut excitet dormientem: Eodem modo ad excitandum noſtrum catulum leonis, nullum remedium aut melius aut efficaccius quam rugitus & clamor Virginis matris, quæ tanquam vera leæna vnico partu mundo hunc leonem & naſcentem edidit, & morientem reddidit: dolores enim & lachrymæ huius ſanctiſſimæ matris filij reſurrectionẽ accelerarunt, adeo vt poſt exactum in ſepulchro quadraginta horarum ſpatium, anima illa beata ad corpus ſuum redierit propriæ diuinitatis virtute ſe denuo corpori vnitura; ſicuti enim voluntarie mortuus eſt, ita etiam pro ſuo beneplacito quando voluit, non alterius auxilio, ſed propria virtute reuixit. *Quis* ergo *ſuſcitabit eum?* Opus ne hic erit tertia perſona, vt in reſurrectione Lazari è ſepulchro, filij viduæ iuxta Naum, aut fili. Archiſyna-

Chriſtus Leæna.

Suſcitatus vt Leo.

gæ in domo patris?Non ſanè,abſit: Ipſe enim eſt qui omnes hos propria ſua virtute reſuſcitauit, ideoque nullius auxilio indiget vt ſeipſum ſuſcitet. Maternæ preces cor eius emollire quidē potuerunt vt reſurrectionem accelera ret ipſe;eam tamen operari non potuerunt;vt ad vitam rediret nullus ei auxilio fuit,ſola diuinitas animam corpori reuniuit.Quid ergo huic noſtro leoni deeſt;quo minusper omnia omnium animantium regi aſſimiletur?vultis videre quod nihil? attendite, dicunt leonem capta iam preda, & portione neceſſaria ſibi reſeruata reliquum quod ſolus ceperat, cæteris præ innata ſibi generoſitate diſtribuere. Idem facit Dominus noſter his apparitionibus, quas hoc tempore in Eccleſia recolimus,quæ enim morte ſua bona, & dona aquiſierat,diſcipulis ſuis diſtribuit, huic peccata dimittens, illi dimittendi eadem poteſtatem tribuens,omnibus pacem cōmunicans. Et quidem in hodierno Euangelio ſcripturas aperit,donū intellectus, quod paſſione & morte ſua meruerat elargitur. Videamus itaque quid dicat Euang. *Ibant in caſtellum,&c. loquebantur ad inuicem de ijs omnib. quæ acciderant*. Nihil eſt quod adeo Chriſtum ad nos reuocet & attrahat,quam paſſionis eius deuota meditatio, aut ſuper ea facta confabulatio. *Volatilia*, inquit Sapiens,*ad ſibi ſimilia conueniunt*,alauda alaudam, lucinia luciniā quæritat, nec vlla ineſcatione aut fuco facilius quam ſibi ſimilium cantu alliciuntur; Quem autem cantum ſępius, aut quem ſermonem frequentius Chriſtus vitæ ſuæ tempore cecinit, habuit,quā illum mortis & pſſionis ſuæ. Vertite Euangeliorum folia, & quoties de ea loquatur inuenietis. Hic itaque eſt proprius cantus diuinæ illius auis(nam Chriſtum Iſaias autem appellat dicēs) *vocans ab oriente auem, & de terra lõginqua virum voluntatis meæ*. Si itaque velitis diuinam hanc auem allicere, eius cantilenā canite eius paſſionem ruminate. Solebat S. Bernardus dicere,nullum cibum ſibi ſapere, qui aut ſale nominis Ieſu aſperſus, aut iure eiuſdem conditus non eſſet: *Si ſcribas* inquit *non mihi ſapit niſi ibi Ieſum legero: ſi diſputes, aut confe-ras non ſapit mihi, niſi ſonuerit ibi Ieſus*; & nos ſimiliter de paſſione & morte Chriſti dicere poterimus,niſi.n.meditationem paſſionis ſuæ in nobis Chriſtus repererit nihil ſe inueniſſe exiſtimabit: Ideoque quotidie hic in terris ſuæ

Memoria paſſionis vtiliſſima.

Eccl.27.

Iſaia 46

paſſionis memoriale offerri voluit, & in hunc finem ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum inſtituit dicens; *Hac quotieſcunque feceritis in mei memoriam facietis quo-*
Luc. 22. *tieſcunque enim manducabitis panem hunc, & calicem bi-*
1.*Cor.* 11. *betis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat.* Angeli quoque & beati Spiritus in cælis ſcientes quantopere DEVS hac re delectetur, paſſionis Chriſti aſſiduam mentionem faciunt: Audijt hoc & teſtatur in ſua Apocalypſi Chriſto bene dilectus diſcipulus, cum de quatuor anima-
Apoc. 5. libus, & viginti quatuor ſenioribus ait: *Et cantabat canticum nouum dicentes, dignus es Domine accipere librum, & aperire ſignacula eius, quoniam occiſus es & redemiſti nos Deo in ſanguine tuo.* Quod ſeniorum canticum angeli excipientes ſimiliter canebant, *Dignus eſt agnus, qui occiſus eſt, accipere virtutem, & diuinitatem, & regnum,* &c. Adeo vt ſiue terram circumeas, ſiue cælum adeas, vbiq; inuenturus ſis ſemper Chriſto memoriã ſuæ paſſionis placuiſſe. Generoſi Duci gaudium eſt, cum accepta vulnera, effuſum ſanguinem in occupatione caſtrorum hoſtilium audit. In canticis quoque ſponſus ſponſæ ſuæ labia collaudãs, ea coccino com-
Cant. 4. parat, dum ait: *ſicut vti in coccinea labia tua:* Voce coccinea vtitur quia clamis qua poſt flagellationẽ illuſus eſt Chriſtus eiuſmodi coloris erat. Quando itaque ſponſus dicit grata ſibi eſſe labia ſponſæ ſuæ, eo quod coccino tincta ſint, perinde ac ſi diceret, tunc Eccleſiæ ſuæ, ſuorumq; fidelium ſermones ſibi placere cum coloribus paſſionis ſuæ vermiculantur, quando de hac agunt, eiuſque memoriam
1.*Cor.* 1. refricãt. Talia erant labia S. Pauli, qui Choryntios proteſtabatur, ſe apud eos nihil aliud nouiſſe, quam Ieſum & hũc crucifixum, & patet ex epiſtolis eius, vbi toties mortis & paſſionis Domini noſtri Ieſu Chriſti mentionem facit. Mirum itaque non eſt, ſi Dominus noſter audiens hos duos Diſcipulos de ſua paſſione colloquentes, ad eos acceſſerit: Ibant inquit Euangeliſta & *loquebantur ad inuicem de his omnibus quæ acciderant.* Calebat adhuc recens Chriſti effuſus cruor, ideoque eius recens in cordibus Diſcipulorum memoria: nos autem quia memoriam eius tanquam rei veteris & iam diu peractæ ſepelimus, in mille vitiorum genera prolabimur. Neq; quis putet triſte nimis & melancolicum tempore reſurrectionis de plagis age-

agere, nã & Diſcipuli hi aliam diſcurſus ſui materiam nõ quæſierunt, & ipſe Chriſtus vulnerib. ſuis inſignitus, vt cras dicemus reſurgere voluit, vt nos doceret, quod nulla ſit glorioſa reſurrectio, vbi vulnerũ eius nulla fit mentio. Ex quibus vlterius intelligimus cur Chriſtus appropinquãs Diſcipulis ſuis, eos licet audiſſet, roget, *qui ſunt hi ſermones quos confertis ad inuicem ambulantes, &c.* ſcilicet vt etiam ipſi illis in memoriam reduceret & inculcaret quæ pertuliſſet; ſicuti parentes cum audiunt filios ſuos ea quæ placent loquentes, ignorantiã ſimulant, vt eadẽ repetant. Benedictus ſit Deus cui nõ ſufficit tãta amore noſtri pertuliſſe, ſed etiam vult ſibi quotidie horũ memoriã refricari, vt recens ex ea gaudium cõcipiat, ipſe, & nos fructum.

Tu ſolus peregrinus es in Ieruſalẽ, & nõ cognouiſti, quæ facta ſunt in illa his diebus? Mirabãtur Diſcipuli Chriſtum ignorare, quæ illis diebus Ieroſolymis contigerant, & intuẽtes eũ, more peregrino veſtitum animaduertunt, quod eorum admirationem auxit, cũ peregrini ordinariè curioſi & diligentes rerum nouarum inquiſitores ſint; cùm enim de loco in locũ tranſeant, ſolliciti ſunt noua aliqua afferre, exiſtimantes ſic ſe gratiores venturos, & ſicuti mundus nouitatis auidus eſt, lautius ſe tractatum iri ſpirantes. Suppoſita itaq; hac peregrinorũ curioſitate, mirantur ſummoperè hac tam inaudita & publica à peregrino ignorari, & dicunt, *Tu ſolus peregrinus es.* &c. Verum hanc eorum interrogationẽ omittamus; & potius Chriſtum in habitu peregrini, & ipſos Diſcipulos hæc dicentes conſideremus, & deprehendemus hæc veriſſima eſſe, & magis myſtica quã vlla verba quæ vnquã per os eorum exierant. Quod enim Chriſtum concernit, nihil niſi peregrinus fuit, contẽplare benè & eum totum peregrinum & inter omnes ſolũ videbis. Ex parte patris generatio eius peregrina fuit, quippe ex patre ſine matre. Modus autem huius ex patre proceſſus, adeo peregrinus eſt & incognitus, vt neq; ingenio noſtro concipi, neq; lingua exprimi poſſit. Iſaias Propheta & eloquens erat, & multũ à Deo illuminatus, tamẽ huius nouitatis conſideratione totus obſtupuit, & ſibi verba ad myſterium hoc explicandũ deeſſe confeſſus eſt, dũ exclamat: *Generationem eius quis enarrabit?* ſi vero generationẽ ex parte materna cõtemplemur, nihil non nouum & pe- *Iſa. 5.*

Chriſtus peregrinus.

regrinum inueniemus; ex matre enim ſine patrem naſcitur, & intimo virginis vtero hypoſtatica fit vnio naturarum,quam iure meritiſſimo S.Leo ineffabilem fatetur,dũ
Leo ſer. 9.de nat. ait: *vtramque naturam in vnam conueniſſe perſonam niſi fides credat,ſermo non explicat.* Peregrina natiuitas,in qua de materno vtero ſine clauſtri virginalis ruptura proceſſit,quam
Iſa. 7. etiam ipſe Propheta admiratur dicens: *Ecce virgo concipiet*
Ibid 30. verſ.27. *& pariet filium.* Peregrinum nomen,de quo Iſaias: *Ecce nomen Domini venit de longinquo.* Peregrina prædicatio, nam etiam ipſi eius inimici vi veritas compulſi confeſſi ſunt.
Ioan. 7. *Nunquam ſic locutus eſt homo,ſicut hic homo*. Peregrina paſſio, tum propter nouiter excogitata tormenta, tũ propter inauditam patientiam,Peregrinum ſanguinis eius pretiũ,
Actor.1. quo ager in ſepulturam peregrinorum emptus eſt. Peregrina mors,quid enim magis à Deo alienum quam mori? ideoq; de morte Chriſti ita loquitur Iſaias, *Vt faciat opus*
Iſa. 28. *ſuum,alienum opus eius,vt operetur opus ſuum, peregrinum eſt opus eius ab eo.* Peregrinum ſepulchrum,nam cum hic cæterorum hominum gloria ceſſet,& corruptio incipiat, de
Ibid.11. ſepulchro tamen Chriſti ait Propheta, *Et erit ſepulchrum eius glorioſum.* Peregrinus in ſepulchro fuit,nam non ſuo, ſed alieno ſepulchro illatus eſt, in quo nemo poſitus erat, & poſt quem nullus eiuſdem monumenti poſſeſſionem auſus fuerit attentare. Peregrinus quoque fuit,cum ſinguli mortuorum quos ſuſcitauerat eum ad ſua ſepulchra inuitarunt, cum ipſe ſolus proprium nõ haberet. Peregrinũ ſepulchri epitaphium,cũ. n.cæterorũ tumulis inſcribi,aut
Mat.28. inſculpi ſoleat: *Hic iacet,aut quieſcit*, &c. Angelus eius ſepulchro cõtrariũ affigẽdũ docuit dicẽs; *Surrexit,non eſt hic.* Nouiſſime aũt tam in ſe,quã in modo quo contigit, peregrina fuit eius reſurrectio;ſeipſum enim ſuſcitat,& de ſepulchro nũquã eo rediturus egreditur. Nũquid non ergo qui in tot ſuis actib. peregrinus fuit,habitu peregrino apparere potuit?Nũquid nõ meritò ei Diſcipuli dicebãt, *Tu ſolus peregrinus es in Ieruſalẽ?* Et quamuis toto vitæ ſuæ tẽ-
Iere. 12. pore peregrinus fuerit,cũ ipſe per Ieremiã dicat: *Reliqui domum meã,demiſi hæreditatem meã*,vt ſcilicet ouẽ perditam, genus humanum ad patriã reducerem: Nunquã tam magis ſe peregrinum oſtendit,quam poſt reſurrectionem, cum enim adhuc mortalis eſſe propriam habebat quaſi

ſedem

Digitized by Google

ſedem in terra: verum à mortuis immortalis reſurgens in hac terra erat peregrinus, cum ſcilicet à cęlo adhuc abeſſet, & propria eius habitatio in terra non eſſet.

Sed quorſum hæc tam prolixa de cęleſti illo peregrino diſſertatio? An fortè ſicuti in omnibus actibus ſuis peregrinus fuerat, ita etiam nunc in cordibus diſcipulorum erat? Ita ſanè, nam increpans eos dixit: *O ſtulti, & tardi corde ad credendum in omnibus his, quæ locuti ſunt prophetæ?* Imò ipſimet cum Chriſto colloquentes ſatis oſtenderunt, quam habuerint fidem debilem, & ſpem quaſi deperditam, inter cætera enim aiunt: *Nos autem ſperabamus quia ipſe erat redempturus Iſrael, & nunc ſuper hæc omnia tertia dies eſt hodie, quod hæc facta ſunt.* Nota verba, dicunt *ſperabamus*, quaſi iam eſſent ſine ſpe, ac proinde in maximo periculo fidei amittendæ, duæ enim hæ virtutes ordinariè pari paſſu incedunt, vnde & Apoſtolus ait, *Fides eſt ſperandarum ſubſtantia rerum*; vt ſignificet fidem ac ſpem ſorores germanas, ac inſeparabiles eſſe, adeo vt ſi quis fidem ſartam tectam velit, ſpem ſibi conſeruet neceſſe ſit. Vtraq; autem hæc virtus in his duobus diſcipulis miſere exagitata fuit, omniſq; mali cauſa erat, quod arbitrarētur Chriſtum promiſſam reſurrectionem nimium differre, quod ſatis indicant cùm aiunt: *Et nunc ſuper hæc omnia tertia dies eſt.* Mirum ſane, hominem adeo omnis moræ impatientem eſſe, vt ſi Deus vel paululum promiſſa differat, ſtatim ea non impleturum vereatur. Salutare itaque pro fide conſeruanda eſt Iſaiæ conſilium cum ait: *Qui crediderit non feſtinet.* Dixerat antea: *Ecce ego mittam in fundamentis Syon lapidem probatum angularem, pretioſum in fundamento fundatum*, vt nos doceret Eccleſiam ſuam eſſe bene firmam, & fundatam, cùm lapis eius fundamentalis ſit Chriſtus, qui eſt prima, & omninò infallibilis veritas: Et hac veritate ſuppoſita dicit, *Qui crediderit non feſtinet*: quaſi dicat, ſi vanis ſpebus ſeu fundamentis ſpes noſtra inniteretur, feſtinato opus eſſet vt antequam fundamenta ruerent eorum poſſeſſionem adiremus: ſed cum tam firmæ, & ſtabiles ſint, nihil eſt quod feſtinet credens, ne videatur de promiſſionibus quibus fiducia eius fulcitur addubitare. Idem nobis perſuadere conatur Abacuc dicens: *Si moram fecerit expecta eum, quia veniens veniet, & non tardabit.*

Quomodo Chriſtus ſit peregrinus in cordibus noſtris.

Heb. 11.

Promiſſa Dei patienter expectanda.

Iſa. 28.

Abac. 2.

dabit. Multum apud Chriſtianos valere debet emblema cuiuſdam regis, quod anchoram Delphino circundatam exprimebat, cum adiũcto elogio, feſtina lente. Per Delphinum enim qui piſcis agilis eſt, & ad omnia ſua munia promptiſſimus, diligentiam quam in omni negotio exhibere debemus denotabat. Per anchoram verò quæ in mare deiecta nauem firmat, & ſiſtit, patientiam qua ſucceſſũ negotiorũ operimus ſignificabat; quę enim ex alterius voluntate dependent, æquo animo expectanda ſunt. Deſiderium itaque hominis propter nimiam ſuam celeritatem Delphinus eſt promptitudine, qua vnico momento quod optat obtinere auet, ideoque anchora eius impetus ſiſtendus eſt, ne nimijs anxietatibus conſumatur. Hæc autem anchora iuxta Apoſtolum eſt ſpes. huius enim virtutis proprium eſt in medijs inſurgentium in nos tempeſtatum procellis animum conſtantia firmare, & conturbantium nos deſideriorum impetum refrenare. Prædixerat Salu. noſter ſe tertia die reſurrecturũ, omnemq; diligentiã vt promiſſis ſtaret adhibuerat: At Diſcipuli optantes ex tempore ſuo deſiderio ſatisfieri, præfixum terminũ expectare nolebant, ideoq; Chriſtum nimium tardare iudicantes ſpe ſua aut iã exciderant, aut breui exciſuri erãt. Quæ ſane præmatura feſtinatio maximam Dei iram commeretur, vt ſancta illa vidua Iudith ſignificat; cum principes Bethuliæ acriter repræhendit, eo quod quinquiduum ſolum diuinum auxilium operiri, & poſtea ciuitatem hoſti tradere ſtatuiſſent, dicens: *Qui eſtis vos qui tentatis Dominum? non eſt iſte ſermo, qui miſericordiam prouocet, ſed potius qui iram excitet, & furorem accendat: poſuiſtis vos tempus miſerationis Domini, & in arbitrium veſtrum diem conſtituiſtis illi.* Oportet itaque ſpem Chriſtianam perſeuerantem eſſe, & ipſum noſſe haud quaquam opus eſſe, vt ipſo quo optatur puncto Dei auxilium adſit, ſed beneplaciti diuini tempus ſe expectare debere. Non meminiſtis quid Deus Noe, quem à diluuio præſeruare decreuerat, fecerit? Iuſſit ei vt cum ſua familià arcam intraret, & cum intraſſet, inquit ſcriptũ. *Incluſit eum Dominus de foris.* ſed cur hoc? Nunquid Noe qui adeo iuſtus erat clauis confidi poterat? Nunquid ab intus claudi potuiſſet? Poterat, ſed non expediebat, Per hoc enim Noe tanquam iuſto ſignificabatur,

Iudith. 8

Spes debet eſſe perſeuerans.

Gen. 7.

batur, quod de moleſtijs illis, & carcere exiret non cum ſibi, ſed Deo bene placuiſſet, illi enim ſoli clauis ſpei noſtræ committenda eſt. Iure itaque tam acriter hos duos diſcipulos reprehendit Chriſtus, eos ſtultos, & tardos corde appellans, quia ſcilicet in ſpe ſua, quæ diuinæ promiſſioni innitebatur non perſeuerarent, maximè cùm ſtatutum tempus nondum expiraſſet. *Et incipiens à Moyſe, & cætera, Interpretabatur ſcripturas.* Cum diſcipulos arguiſſet, cœpit eis ſcripturas interpretari; ſcripturarum enim interpretatio peculiaris fructus reſurrectionis Chriſti eſt, vt ex pulchra illa Ioannis Apocalypſi colligimus, cum ait: *Et vidi in dextera ſedentis ſupra thronum librum ſcriptum intus, & foris, & ſignatum ſigillis ſeptem: Et vidi angelum fortem prædicantem voce magna, & dicentem; Quis eſt dignus aperire librum, & ſoluere ſignacula eius? & nemo poterat, neque in cœlo, neque in terra neque, ſubtus terram aperire librum, neque reſpicere illum. Et ego flebam multum, quoniam nemo dignus inuentus eſt aperire librum, nec videre eum.* Liber hic quem in manu Dei vidit Ioan. eſt ſacra ſcriptura, cuius ipſe Deus author eſt vt docet Rubertus abbas. Quod autem conſcriptus ſit intus, & foris ſignificat in ſcripturam litteram, & ſpiritum eſſe, illam exteriorem, hunc interiorem, ſimul tamen vnam ſcripturam conſtituunt, & vtrumque ſenſum intelligere oportet, vt omnia myſteria in ijs contenta penetremus, qui ſigillis, ſeptem, id eſt ſeptem principalioribus myſterijs Chriſti conſignatur, ſcilicet incarnationis, paſſionis, mortis, reſurrectionis, aſcenſionis, miſſionis S. Spir. & extremi iudicij, vt autem ſciatis quanti referat hunc librum aperire, ſine quo nullum myſteriorum poteſt intelligi, attendite: Erant in cęlo Angeli, in terris homines, & ſubtus eam Patres veteris teſtamenti in lymbo morabantur; & tamen cognoſcit Ioannes, quod neque angeli in cęlis, neque homines in terris, neque animæ apud inferos poſſint hunc librum aperire, ideoque oculos ſuos conuertit in fontes lachrymarum, & quia hæ ex charitate proueniebant, quidam ex viginti quatuor ſenioribus, qui ſtabant ante thronum, adeo commouerunt, vt accedens ad Ioannem, dixerit: *Ne fleueris, ecce vicit leo de tribu Iuda, radix Dauid aperire librum, & ſoluere ſeptem ſignacula eius.* De Chriſto loquitur,

Interpretatio ſcripturarũ fructus paſſionis Chriſti.

Apoc. 5.

tur, qui eſt catulus leonis ex Iuda originem trahens, qui ad prædandum crucem aſcendit, & de victis hoſtibus triumphauit: Qui inſuper radix Dauid appellatur (vt notat Rubertus) vt ſignificetur quod licet homo fuerit ſecundum carnem, & ex tribu Iuda iuxta initium Euangelij ſancti Matthæi genus ducat; tamen etiam Deus ſit, & ſe eum radix Dauid appellari, eo quod Dauid, ac toto eius poſteritas omne ſuum eſſe ex virtute diuina, tanquam ex radice ſugant. Fuit itaque Chriſtus vtrumque, Deus, & homo, homo vt moreretur, Deus vt vinceret, vti, & vicit, & ſeipſum deuicta morte reſuſcitauit: qua victoria etiam poteſtatem aperiendi librum, & ſoluendi ſignacula conſecutus eſt, vicit enim vt aperiret: vix dum ſenex hæc verba finierat vt S. Ioannem conſolaretur, & vidit *agnum quaſi occiſum, habentem cornua ſeptem, & oculos ſeptem, ſtantem in medio throni, & quatuor animalium, & viginti quatuor ſeniorum*, Mira metamorphoſis, quem paulo ante leonem appellauerat, nunc agnum vocat; erat enim agnus pro humano genere immolandus, ſed erat agnus fortiſſimus, & ideo ſeptem cornua geſtabat. Idem tamen, & leo fuit, cum glorioſus triumphator à mortuis rediens prædam cepit, & inimicorum ſuorum exuuias abſtulit. Quod autem hunc agnum *tanquam mortuum* deſcribat, ratio eſt, quia Dominus noſter in cælis patri ſuo glorioſus aſſiſtens, voluit etiamnum in carne ſua immortali cicatrices plagarum ſuarum, tanquam victoriæ ſuæ trophæa extare. Pergens verò Ioannes ait de agno: *Et venit, & accepit de dextera ſedentis in throno librum: & cum aperuiſſet librum*, &c. Et hoc eſt quod in hodierno Euangelio legitur. *Et incipiens à Moyſe, & omnibus prophetis interpretabatur illis in omnibus ſcripturis, quæ de ipſo erant.* Neque n. dubium eſt quin hæc ſcripturarum interpretatio fuerit libri illius ſignati aperitio, quæ vniuerſæ Eccleſiæ magnum gaudium attulit, hinc namq; in viſione ſequitur: *Et cùm aperuiſſet librum quatuor animalia, & viginti quatuor ſeniores ceciderunt corã agno, habentes ſinguli citharas, et phialas aureas plenas odoramentorum quæ ſunt orationes ſanctorum, & cantabant canticum nouum dicentes: Dignus es Domine accipere librum, & aperire ſignacula eius. Et omnem creaturam que in cælo eſt, & ſupra terram, & ſub terra, & quæ ſunt in mari, & quæ in eo, omnes*

audiui

audiui dicentes, ſedenti in throno, & agno, benedictio, & honor, & gloria, & poteſtas in ſæcula ſæculorum Amen. Quibus verbis vniuerſale gaudium totius Eccleſiæ ob reſuſcitatum Chriſtum, & ſcripturas interpretantem, ſignificatur: eſt enim hoc beneficiũ inter ea quæ de manu eius accepimus haud contemnendum. Sed antequam ſermonem hunc concludamus Auditores, ſiſtamus hic paululum, & videamus cur viginti quatuor ſeniores videntes librum in manu Agni ceperint canere *canticum nouum*: ſcilicet vt ſignificetur, quod poſt reſuſcitatum Chriſtum, & apertum ſcripturarum librum, ex quibus beneficia nobis collata agnoſcimus, promiſſiones fidelibus factas videamus, & minas peccatoribus intentatas contuemur, non debeamus inpoſterum antiquo tono canere, ſed canticum nouum. Huc nos inuitat Pſalmiſta cum ait; *Cantate Domino canticum nouum*, & quare? *quia mirabilia fecit:* ſi enim homines vnquam habuerunt occaſionem noua cantica canendi, maxime ea hoc tempore oblata eſt, nunquam enim maiora miracula, terribiliora prodigia euenerunt, immortalis moritur, morte ſua mortem ſuperat, mundum vincit, & infernum ſpoliat. Mirabiliora vultis? ampliora miracula deſideratis? Is qui placidi inſtar Agni moriebatur, propria virtute reſurgens à mortuis, tanquam magnanimus leo prædam inferno abſtulit, & Diabolum ſpolijs omnibus exutum nudum dimiſit. An adhuc maiora optatis? Quod agnus tanquam occiſus, librum, qui erat in dextera ſedentis in throno, aperuerit, nunquid prodigium maximum eſt? Cùm enim Deus huius libri author ſit, etiam ipſe ſolus eius interpres erit, niſi itaque occiſus iſte agnus etiam Deus fuiſſet, nunquam librum illum aperire potuiſſet. Si igitur mirabilia, & noua, noua cantica canendi anſam nobis præſtent, oportunam hanc occaſionẽ arripite Auditores cantica noua concinite, cantica autem noua, quæ à nobis Deus exigit, ſunt vita noua, & mores noui, ſicut ex Apoſtolo docemur, dum ait: *Conſepulti enim ſumus cum illo per baptiſmũ in mortem, vt quomodo Chriſtus ſurrexit à mortuis per gloriam Patris; ita & nos in nouitate vitæ ambulemus; quicunque. n. baptizati ſumus in Chriſto Ieſu, in morte eius baptizati ſumus:* qua etiã peccatis mortui fuimus, quomodo ergo adhuc viuemus

Tẽpore Paſchali canendũ eſt canticũ nouum.

Pſal. 97.

Rom. 6.

uemus in illo. Ideoque Apoſtolus, quoties reſurrectionis Dominicæ meminit, toties etiam nouorum morum, & vitæ ad Dei beneplacitum reformatæ mentionem ingerit. Si itaque cum Chriſto reſurrexiſtis Auditores, hæc noua cantica à vobis exigo, vitæ nouitatem, morum ſanctitatem; viuit ille vitam nouam, viuamus & nos, abijciamus inueteratas conſuetudines; noua deſideria imbibamus, omnia in nobis ſint noua, mens, lingua, opera, adeoque Dominum noſtrum cum Diſcipulis rogemus, *Mane nobiſcum Domine*, ex tua enim magnifica præſentia mille bona nobis promanarunt, pro nobis naſci, mori, & reſurgere voluiſti, conniuere nobis ne dedigneris, & hæc tua præſentia mentem noſtram renouet, conuerſatio amorem inflammet, bonitas veſtra gratiam ſuam nobis communicet, clementia, & liberalitas ad æternam gloriam nos eleuet. *Quam mihi, & vobis, &c.*

FERIA TERTIA PASCHAE.

Stetit Ieſus in medio Diſcipulorum ſuorum, & ait illis, Pax vobis, &c. Luc. 24.

DAMNA & incommoda, quæ negantes reſurrectionem mortuorum incurrunt, & ab Apoſtolo ad Corinthios ſcribente referuntur, magna ſunt & plurima, quæ nos hodie tranſilimus, ſufficere arbitrantes, ſi vobis impios prolixe de hac re apud Sapiẽtem colloquentes exhibeamus, Quia dicunt, *exiguum & cum tædio eſt tempus vitæ noſtræ, & non eſt refrigerium in fine hominis, & non eſt qui agnitus ſit reuerſus ab inferis, &c. Venite ergo fruamur bonis quæ ſunt, vtamur creatura tanquam in iuuentute celeriter. Vino pretioſo & vnguentis nos impleamus, & non prætereat nos flos temporis: Coronemus nos roſis antequam marceſcant, nullum pratum ſit quod non pertranſeat luxuria noſtra.* Et meo quidem iudicio digniſſimi ſunt, qui cum brutis in prata & paſcua abigãtur; nam animæ immortalitatem, & corporis reſurrectionem pernegantes ipſis beſtijs deteriores ſunt. Atque ſi his terminis ſe continerent impij, tolerabile eſſet, & cum beſtijs cõtemni poſſent, nunc autem non contenti vaniſſimo illo diſcurſu, abſque vllo aut erga Deum timore, aut hominis pudore mille flagitia deſignare conſtituunt; *Opprimamus,* inquiunt, *pauperem iuſtum, & non parcamus viduæ, nec veterani reuereantur canos multi temporis: ſit autem fortitudo noſtra lex iuſtitiæ.* Quodcunque placuerit nobis bonum factum videatur. Quis vnquam tantam impudentiam in mundo habuit? videntur enim ſe directè diuinis legibus opponere, & omnia quæ huic legi contrariantur, facere decreuiſſe, dicit Deus per Prophetam ſuum; *ſubuenite oppreſſo,*

Non credere reſurrectionem cauſa è multorũ peccatorũ. 1. Co. 15

Sap. 2.

Iſa. 1. *preſſo*, dicunt illi, *opprimamus iuſtum*: dicit Deus, *iudicate pupillo*: dicunt illi: *opprimamus pauperem*: dicit Deus, *Defendite viduam*, dicunt illi: *& non parcamus viduæ*: dicit Deus, *quærite iudicium*: dicunt illi: *ſit autem fortitudo noſtra lex iuſtitiæ*: dicit Deus, *coram cane capite conſurge, & honora perſonã ſenis*; illi dicunt, *nec veterani reuereamur canos multi tempo-*
Leui. 19. *ris*. Adeo vt omnia quæcunque Deus ordinauerat, ipſi in-
verſ. 31. uerterint, neque hoc ex alio malo principio, aut fundamento proceſſit, quam quod ab initio præſuppoſuerant, negantes reſurrectionem, & retributionem, quam Deus ſibi ſeruientibus præparauit. Obſecro enim dic mihi quã iniuſtitiam non committet, qui immortalitatem animæ non credit? cui voluptati ſe non dabit, qui de reſurrectione corporum fidem non habet: Cum itaque ex errore, & infidelitate circa hunc fidei articulum tanta incommoda profluant, neceſſarium erat vt Chriſtus cum Apoſtolis ſuis explicaret, eoſque ſpecialiter in hoc puncto confortaret. Et quod amplius, quomodo is qui reſurrectionem corporis non credit, corpus ſuum in medijs laborum difficultatibus, vel ad ſufferendum labores animare, vel ad ſuſcipiendum exhortari poterit? Si enim ſolam animæ immortalitatem credat, reſpondebit ei corpus, laboret anima quantum ei placuerit, cum enim immortalis ſit præmia laborum expectat: Ego autem cur laborabo, cui cum vita omnia bona intereunt? cur præſentibus iucunditatibus me priuabo? Si autem laborare cogatur, fiet id vi quadam, & abſque ſpe vllius retributionis.

Fides reſurrectionis maxima conſolatio. Neceſſaria itaque eſt fides reſurrectionis tam corpori, quam animæ; qui enim corporaliter laborant, maximè cõſolantur dum cogitãt corpus illud quod modo affligitur, aliquando animæ reuniendum, & mercedem bonorum operum recepturum. Admirabile huius rei exemplum habemus in perſona S. Iobi qui in medijs calamitatum, & dolorum fluctibus, ſola ſpe reſurrectionis tanquam marpeſia cautex immotus conſiſtit. Hic quodam tempore hanc interiorem ſuam conſolationem mundo communicare deſiderans, vt tempore oportuno eo recurrerent, in
Iob 19. hæc verba prorupit: *Quis mihi tribuat, vt ſcribantur ſermo-*
verſ. 23. *nes mei? Quis mihi det vt exarentur in libro ſtilo ferreo, &*
& 24. *plumbi lamina, vel celte ſculpantur in ſilice?* Quaſi dicat,

Quis

Digitized by Google

Quis mihi dabit vt verba mea ſcibantur, ne ea ſimul cum voce ventus auferat? Quis mihi hanc gratiam faciet, vt melius cuſtodita libro alicui inſcribantur? Verũ hęc myſteria tanta ſunt, vt charta, quę facile rumpitur, aut laceratur ijs indigna ſitu quis ergo mihi ea ſcribet ſtylo ferreo in plumbi lamina? & quia forte etiã plumbum ob ſui mollitiem tempori cederet, quis mihi ea celte exſculper in ſilice? vt ſic in rupe horum myſteriorum nunquam interitura memoria conſeruetur. Videte Auditores quantum oratorem S. Iob hic ſe exhibeat! quas pulchras gradationes faciat; quomodo quæ nobis dicturus eſt trutinat? nos ergo conſideremus num tanti momenti res ſit, quæ amplis illis oratorijs præambulis indiguerit *Scio* inquit, *quod Redemptor meus viuit, & in nouiſſimo die de terra ſurrecturus ſum: & rurſum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum Saluatorem meum.* Quaſi diceret, infallibili certitudine, vt pote de re quam mihi Deus in maximis his miſerijs reuelauit, certus ſum quod Redemptor meus viuat, (vti habet textus hebræus) ſuper terram, ſiue ſuper puluere ſurget, id eſt, & tempus venturum eſt, quando redemptor meus qui modo viuit, pro me moriturus eſt, non tamen in puluerem conuertendus, ſedglorioſe ſupra terram ſuſcitandus. Notat hoc loco Gregorius Iobum non vti vocabulo creatoris, quod tribus diuinis perſonis commune, ſed redemptoris, quod verbo incarnato proprium erat, dicens, *Qui enim ait non conditor ſed redemptor, aperte eum denunciat, qui poſtquam omnia creauit, vt nos de captiuitate redimeret, inter nos incarnatus apparuit, ſuaque paſſione nos à perpetua morte liberauit.* Si autem redemptor meus reſurget, certus ſum, & quod ego, inquit Iob in die nouiſſima de terra ſurrecturus ſum: non enim ſibi ſoli ſurrexit, ſed vt eſſet primitiæ dormientium, & pignus quoddam futuræ in nobis reſurrectionis: certus ſum quod in hac ipſa carne mea, quæ modo affligitur, à tineis comeditur, fętore, & paupertate operitur, viſurus ſim Deum Saluatorem meum: *Quem viſurus ſum ego ipſe, & oculi mei conſpecturi ſunt, & non alius: Repoſita eſt hac ſpes mea in ſinu meo*, quaſi dicat, non alius quiſpiam pro me reſurget, ſed ego ipſe hiſce meis oculis videbo Deum Saluatorem meum: & hæc eſt ſpes

Vers. 25.

Greg. lib. 14. Mor. ca. 29.

Vers. 26.

mea, quæ me in medio tribulationum, & afflictionum ſuſtentat, hanc in imò ſinu meo abſcondi, vnde eam neq; Chaldæi, neque Sabæi, ſicuti bonorum meorum maximã partem abſtulerant, rapient. Neque enim deceret tantum theſaurum extra me in ciſta aliqua collocari, ſed in imis cordis penetralibus, vt ſcilicet emplaſtrum eo loco inueniatur, vbi maximus dolor ſentitur. Et hæc ſunt quæ Iob nobis dicenda habebat, & in duriſſimis rupibus exarari optabat; vt venturis ſeculis ea legentes hac ſpe, quæ omnibus afflictis conſolandis oportuniſſima eſt, etiam ipſi conſolarentur: Deus autem hoc eius deſiderium impleuit, nam ſermones iſtos ſacris ſcripturarum voluminibus inſcribi fecit, quæ quamuis duriſſima rupe diutius ſunt duratura. Si itaque S. Iob in hac maxima tribulatione conſtitutus, ad extremam pauperiem redactus, tantis infirmitatibus circundatus, ab amicis ſuis derelictus à toto mundo illuſus, imò ab ipſo Deo perſecutionem paſſus, nam ait, quare perſequimini me ſicut Deus; ſpe tamen futuræ reſurrectionis ſe conſolabatur, quid ij facient, qui iam habent Ieſum Chriſtum pignus, & arrham reſurrectionis iam inchoatæ, & in nobis conſummandę? ſi autem ipſe ſolus reſurrexiſſet, ſuſpicari aliquis poſſet hoc ideo factum, quia Deus, & homo erat, puros autem homines eodem priuilegio non gauiſuros. Cum vero tantus mortuorum numerus cum ipſo reſurrexerit, & multis in ciuitate ſancta apparuerit, quis adeo duri & obtuſi ſenſus eſt, vt de reſurrectione corporum adhuc dubitet? Meminiſtis ex Ioanne, quomodo granum ſi mortuum fuerit per putrefactionem non ſolum renaſcatur, ſed ſpicam in quo multa grana ſunt proferat; hoc enim eſt quod Chriſtus inſinuat, cum ait: *ſi autem mortuum fuerit multum fructum affert.* Mortuus eſt Chriſtus ſolus, & ſepultus *ſolus*, granum moritur, & ſub terra conditur, an ſolus reſurget? Non certè, ſed multis alijs comitatus, qui ei per charitatem vniti & adhærentes vnam ſpicam præſtantiſſimi frumenti glorioſis granis grauidam efficiebant. Placuit enim Deo ideo quoſdam cum Chriſto reſurgere, vt natura humana non ſolum in Chriſto, ſed in puris hominibus futuræ reſurrectionis poſſeſſionem adiret, & in medijs militiæ noſtræ, quam profitemur: laboribus hac ſpe animus pugnan-

Chriſtus primitiæ & arrha reſurrectionis.

Mat. 27 verſ. 52.

gnantium erigatur: ſicuti accidit Iobo, dum ait: *Cunctis diebus quibus nunc milito, expecto donec veniat immutatio mea*, quando ſcilicet corpus meum reſurget, non iam ad prælium, ſed præteritis bellis ad debitum triumphum. Atque hæc præcipua cauſa eſt Auditores, cur his diebus Eccleſia nobis tot Chriſti apparitiones diuerſis diuerſo tempore, & occaſione factas ob oculos ponat, vt ſcilicet illum tanti momenti articulum de reſurrectione corporum in nobis confirmet, & huius memoriam refricando nos ad labores pro Chriſto perferendos animet: nam vt inquit S. Paulus. *Si compatimur & conglorificabimur*, vlterius autem hodiernam glorioſam apparitionem proſequamur. *Iob* 14. *Rom.* 8.

Stetit Ieſus in medio Diſcipulorum ſuorum. Dominus noſter Ieſus Chriſtus eſt cor Eccleſiæ ſuæ, & illa ſponſa eius, vnde, & ſponſa dicit: *Ego dormio, & cor meum vigilat*, quaſi diceret: Quamuis ego dormiam, & negotiorum meorum non adeo exactam curam geram, cor tamen meum, quod ſponſus meus eſt: ſemper vigilat, & pro me ſolicitudinem agit. Cum itaque Chriſtus ſit cor Eccleſiæ, conueniens eſt eum in medio eſſe; medium enim animalis, vt docet Philoſophus, & alij, eſt propria ſedes cordis, quod ipſum admirabili naturæ prouidentia ordinatum eſt, cum enim cor ſit fons, & origo ſanguinis, & ſpirituum vitalium in medio collocari oportuit, vt ex æquali diſtantia omnibus partibus corporis de neceſſarijs æqualiter poſſet prouidere: licet in homine, vt penſiculatius annotauit Ariſtoteles, cor nonnihil in ſiniſtrum latus inclinet; eo quod hæc pars ſit debilior magiſque cordis auxilio, & refrigeratione indigeat. Quæ omnia etiam in Chriſto, qui eſt verum cor ſuæ Eccleſiæ verificantur: volens enim membris ſuis ſanguinem, & vitam communicare, vt ſic omnia viuendi media haberemus, venit ad terræ medium, iuxta illud Pſalmi: *Deus autem Rex noſter, ante ſæcula operatus eſt ſalutem in medio terræ.* Quæ verba multi Doctores de opere redemptionis noſtræ intelligunt, & venerabilis Beda dicit mōtem Caluariæ eſſe in medio terræ habitabilis, atque ideo Chriſtus ibi mortem pati voluit, vt Paſſionem ſuam omnibus offerret æqualiter: cùmque verbum Dei ſit precipuus modus ſpiritus vitales communicandi, voluit illud primo in medio terræ habitabilis prædicari, vti per *Cur Chriſtus in medio diſcipulorum.* *Lib. 4. Poli. ca. 11.* *Ariſt. li. 3. de par. animal.* *Pſal. 73*

Rr 2 Iſaiam

Iſa.10. Iſaiam prædixerat; *Conſummationem, & abbreuiationem Dominus Deus exercituum faciet in medio omnis terræ.* Quæ verba iuxta communiorem interpretationem ad litteram de verbo abbreuiato, & compendioſo legis Euangelicæ intelliguntur: Hoc autem cor in Eccleſia in ſiniſtram vergit: nam Chriſtus peccatores libenter recipiebat, & cum iiſdem qui ſunt pars debilior Eccleſiæ ordinariè conuerſabatur. Peculiaris illa cura, quam poſt reſurrectionem de Petro habuit, nunquid cor in ſiniſtrum latus propendere oſtendit? cum dixit Thomæ, *veni, & mitte manum tuam in latus meum, &c.* nunquid ad debiliorem partem ſe extendit? Chriſtus itaque bene cordis officio fungitur, ideoque ſe hodie in medio Diſcipulorum ſuorum ſe collocauit, vt eos in fide glorioſiſſimæ ſuæ reſurrectionis confirmaret; omnium neceſſitatibus ſubueniret, ſingulis, & vitam, & vitales ſpiritus communicaret. Collocat etiam ſe in medio, nam cum acturus eſſet de pace, & communi bono, neceſſarium erat medium obtinere, nec magis verſus hanc quam illam partem inclinare, vt prælatos doceat, ſi in ſuis communitatibus pacem conſeruare velint, oportere eos præciſe medium occupare. Hoc eſt quod nominatus ille inter Iudæos philoſophus Cælanus nomine inſinuabat. Is enim cum in publicum locum corium vaccæ planè ſiccum adferri iuſſiſſet, cepit illud ex vna parte pede premere, quod ſtatim ab oppoſita parte eleuatum eſt, conuerſus autem ſubito ad alteram partem eam quidem pede depreſſit, ſed continuò priorem eleuauit, nec quietem habuit, quamdiu corium in extremitatibus calcauit, donec tandem in medio corij pedes figens totum depreſſis, neq; alterutram partium eleuauit. Ex quibus Magnates diſcāt, ſi regionum ac populorum ſuorū ſalutem amant, in medio eorum habitare, neque vni magis quam alteri fauere, aut extremitates amare. Huc facit differentia quę inter vnctionem Dauidis, & Saulis Regum Iſrael reperitur, quamque ſubtiliter Gregorius magnus annotauit; de huius vnctione dicitur, quod in extrema parte ciuitatis contigerit. Verum de Dauide ait ſcriptura, *& vnxit eum in medio fratrum ſuorum*, ita vt vnus eorum in extremitate, alter in medio vnctus fuerit, quod præſagium fuit Saulē, quia extremi-

Prælati debent medium obtinere.

1.Reg.9. & 10.

1.Reg.16.

tremitates amabat,id eſt, perſonas accipiebat, vti fecit cũ Regi Amalech,percuſſo reliquo populo,pepercit,ſe,& regnum ſuum perditurum: Dauidem autem optimum Regem futurum, eo quod medium amaret; cùm.n. vidiſſet angelum populum ſuum interficientem, ſemetipſum obiecit, & pro omnibus mori optauit dicens: *Ego ſum qui peccaui,ego inique egi:iſti qui oues ſunt quid fecerunt? vertatur obſecro manus tua cõtra me,& cõtra domũ patris mei.* Offert ſe hic Rex non magis pro diuitibus, q̃ pauperibus,inimicis ſuis,quã filijs: O regiã diſcretionem,& prudentiam? certum enim eſt Reges,Prælatos, & patres familias, ſi alicui ſubditorum maiorem fauorem aut amicitiæ ſigna oſtendant quam alteri, inuidiam inter eos,quantumuis fratres ſint, concitare, vti ex Hiſtoria Ioſephi Patriarchæ clariſſime liquet. Preſentius autem remedium ſimilibus incommodis adhiberi nequit, quam ſi ſuperior medium occupet: quod ipſum etiã in legibus,& conſtitutionibus ne ſcilicet inſtar Phariſicorum onerum, inſupportabiles ſint, obſeruandum erit. In punitionibus quoq; & modo executionis medium tenuiſſe laudabile erit, ita vt ſumma prudentia,neque omnia, quantumuis minima puniat neque cuncta quantumuis maxima diſſimulet.

2. Reg. 24. — *Gen. 37.*

Et dixit eis,pax vobis. Diſcipuli, & Apoſtoli grauiſſime ſuum, & noſtrum Dominum ac magiſtrum offenderant, quem tanquam vecordes tempore maximæ neceſſitatis turpiter deſeruerant,ideoque merito iuſtam eius indignationem timere poterant. Verum vt eis dubium hoc eximeret, & de ſua bona erga eos affectione certiores redderet in medio eorũ conſiſtẽs,dixit eis *Pax vobis*,quaſi dicat, ſe non ideo reſuſcitatum,vt bellum eis faceret, ſed pacem ferret,atq; vt ipſos ſecuros redderet, & generoſum animi ſui, tantas iniurias condonantis robur cõmonſtraret Poſt datam autem pacem,oſtendit ipſis vulnera ſua,quaſi diceret,nunquid meminiſtis quod Iſaias dixerit: *Et erit opus iuſtitia pax,& cultus iuſtitia ſilentium,& ſecuritas vſq; in ſempiternum*: id eſt,effectus,& fructus iuſtitiæ, eſt pax, iuſtitia .n. furem in exilium mittit, ſeu relegat, adulterum decollat,latronem ſuſpendit,vt pax reipublicæ conſeruetur. Ita etiam Deus vt pacem Eccleſiæ ſuæ conferret, omnia veſtra peccata in me puniuit; non ergo ego qui tanta pro

Ex iuſtitia pax oritur. Iſai. 32.

vobis paſſus ſum, vt pacem vobis parerem bellum illaturus aduenio; honorate itaque eum ſilentio hanc iuſtitiæ vindictam, quam in me exercuit Deus filium puniens, vt pacem ſerui conſequerentur: Confitemini ineffabilem eſſe, & in animabus veſtris orietur ſecuritas vſque in ſempiternum: Animum itaque reſumite, & in pace bona ac ſecuritate viuat Eccleſia; omnes enim ictus diuinæ iuſtitiæ quos timere debebatis ceciderunt ſuper me. Vnde ſubiungit Propheta, *& ſedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiducia, & in requie opulenta*. Vulnera enim Chriſti omnium horum cauſa ſunt, ideoque à Propheta *diſciplina pacis noſtra*

Iſa.53. rum cauſa ſunt, ideoque à Propheta *diſciplina pacis noſtra* appellatur. Vbi obiter aduertendum, quod Propheta ſtatim poſt pacem ſubiungat fiduciam, ſecuritatem, & requiem opulentam, quaſi dicat, Populus meus ſua vmbraculo ſpei, quaſi in militari tentorio, bellis attritum Spiritum reſumpturus reſidebit, & diuitijs ac abundantia pacis, perfruetur: ſicuti enim bellum, paupertas, & myſteria, eo quod ſolita militum proteruia omnia etiam neceſſaria proterat, comitatur: ita pacem quies, & rerum omnium abundantia conſequitur, vbi enim pax ibi omnium copia, ideoque omnes eam appetunt, & amant. Hinc Alciatus aptiſſime hæc duo emblemata coniunxit primo inſcribens, *Ex bello pax*, nam vt inquit Ariſtoteles, *Negotia ſuſcipimus, vt in otio ſimus; & bella gerimus, vt in pace viuamus*. Nunquam enim bella ſuſcipimus, niſi vt nos contra perturbatores pacis defendamus, vt Cicero docet: vt autem hoc emblematice ſignificetur, oportet pingere caſſidem ſeu galeamquam ſubintret apis ad mellificandum: Galea enim bellum, & apis pacis dulcedinem plus quam ſaccaritiam ſignificabunt.

Effectus Pacis.

Lib.10. Eth.ca.7

Lib.1. off.

Hoc emblema alterum ſequitur cum tali inſcriptione: *Ex pace vbertas*; ad quod ſignificandum pingebat Alcyonem pullos ſuos ſuper multos frumenti manipulos excludentem, hæc enim auis pacis, & ſecuritatis ſymbolum eſt, quamdiu enim ouis ſuis incubat neque ventus, neq; tempeſtas in mari, quantumuis ſit hyems, exurgit; ideo hoc tempus quatuordecim dierum, qui halcyonij appellantur obſeruantes nautæ ſecure nauigant: frumenti vero manipuli ſeu aceruus abundantiam ſignificat, nullus enim annus

nus fertilis iudicabitur, niſi granis, & frumento abundauerit. Bellum itaque, Pax, & abundantia ita ſibi concatenata ſunt, vt ex bello pax oriatur, pacem verò abundantia conſequatur. Idem ex quibuſdam Dauidis verſiculis colligitur, vbi Pax, & abundantia ordinarie colliguntur, vt, *Rogate quæ ad pacem ſunt Ieruſalem, & abundantia diligentibus te:* & iterum. *fiat pax in virtute tua, & abundantia in turribus tuis*. Quam verum hoc in Chriſto ſit deſideratis videre? Bellum patiendo confecit, hinc naſcitur inter Deū, & homines, homines, & angelos, populum iudaicum, & gentilium pax, & concordia: Quam pacem abundantia gratiarum, meritorum, donorum ſpiritualium, Sacramentorum, & innumerabilium diuitiarum cælestium comitatur. Quis ergo pacem non amet? quis eam procurare non ſtudeat? quis pro ea conſeruanda quæuis non exponat? Quid bene ei eſt qui pacem non habet? quid ei male eſt qui pace fruitur? Ipſū latinum vocabulū *Pax* ſuis litteris myſteriū Trinitatis exprimit, vt ſignificetur in Trinitate ſūmā pacē eſſe: Prima .n. littera, quæ eſt P. patrē deſignat, tum quia eſt initiū huius vocis *Pater,* tū quia eſt principiū totius Trinitatis, & omniū rerū. Secunda quę eſt A. repræſentat filium, qui eſt alpha, & omega. Tertia quæ eſt X. ex duabus tranſuerſis, & per ſe mutuo immiſſis lineis compoſita, Spiritum ſanctum, qui eſt vinculum quoddam patris, & filij ab vtroque procedens ſignificat. Si autem litteræ huius vocis tantum myſterium continent, quale ſub ipſo ſignificato latebit? ſicuti ergo ad integritatem vocis *Pax* tres litteræ requiruntur, ita etiam vt ſignificatum huius vocis perfectum, & completum ſit tria concurrūnt, ſcilicet conformitas cum Deo, concordia cum proximo, & pariformitas cum nobiſmetipſis: Quando pars animæ noſtræ ſuperior Deo conformatur, eiuſq; legi, & voluntati obedit, pacem cum ipſo habemus. Cum ſenſualitas, quę pars inferior nominatur, rationi obtemperat, & ſubijcitur, quæ in parte ſuperiore tanquam Regina reſidet, pacem nobis cum obtinuimus. Quando voluntates noſtras proximorum accommodamus, concordiam cum ipſis conſequimur. Vt autem hanc triplicem pacem Dominus noſter doceret, tribus diuerſis vicibus hanc virtutem commendauit: primo cum intraret mundum, & Angeli eius Nati-

Pſ. 121.

Myſticatio vocis Pax.

Luc. 2. uitatem annunciarent dicentes: *Gloria in altiſſimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*; & hæc eſt prima pax quam cum Deo habemus: Secundo paululum ante ſuam

Ioan. 14 mortem cum ait, *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis*, &c. hęc eſt pax cum proximis, Chriſtus enim ibi Apoſtolis ſuis fraternum amorem ſuadebat. Tertio poſt mortem ſuam pacem promulgauit tum hic, tum alibi, &c. hęc eſt pax quam cum nobiſmetipſis habemus; confertur enim Apoſtolis, vt timorem qui animi pacem perturbare ſolet, auferat; Adeo vt Chriſtus hunc mundum intrans ad pacem nos inuitauerit, conueſcens, &c. hic conuerſans eandem commendarit; poſt mortem autem ad Patrem abiturus eadem nos ſalutauit, vt Chriſtiani intelligant initium, progreſſum, & finem vitæ in pace tranſigi oportere, ſine pace enim omnia eis deeſſe, cum in pace ſit quies, ſilentium, abundantia, imò ipſemet Deus, & cum Deo omnia.

Chriſti vulnera ſunt nobis cōſolationi. *Ego ſum nolite timere*, &c. vſque *oſtendit eis manus, & pedes*. Addit S. Ioannes, quod vulnera etiam eis monſtrauerit: nihil enim eſt quod piam ac deuoram mentem magis ſecuram reddat quam Chriſtum vulneribus pro ſuo amore coopertum cernere. Quis hunc Deum timeat, qui in ſingularis amoris ſignum, manus, pedes, ac latus videnda ac palpanda offert? Intra ô Chriſtiane per latus Redemptoris tui, &c. cognoſces quam te ſecurum aduerſus diuinam iram rediderit: Memorare in apertione lateris de vulnere ſanguinem, &c. aquam fluxiſſe; nihil nunc reſtare. Si autem iuxta communem philoſophorum ſententiam ira nihil ſit aliud, quam ebullitio ſanguinis circa cor, propter appetitum vindictæ, quomodo Chriſtus tibi iraſci poterit, qui omnem ſanguinem de corde ſuo effudit, ne in iram contra te ebullire & efferueſcere poſſet? Certum eſt eum qui extra ædes lignū

Sibi gloria. abijcit, domi ſuæ ignem accendi nolle. Voluit autem Dominus noſter ſua vulnera etiam poſt reſurrectionem ſuam reſeruare, inſtar victorioſi Ducis, qui finito iam bello in ſignum victoriæ ſuæ trophæum erigit: & tu ô Chriſtiane quam fiduciam maiorem optares quacunque neceſſitate ingruente, quam Deum tuum intueri, qui ob tui amorem ſuſcepta vulnera tanquam trophæum etiam nunc ſeruat,

vnde Apoſtolus ait; *De cætero nemo mihi moleſtus ſit; ego e- nim ſtigmata Domini Ieſu in corpore meo porto.* Quaſi dicat; Nemo mihi amplius moleſtiam faceſſat, cum in corpore meo tanquam ſigna victoriæ vulnera quæ pro Chriſti nomine ſuſcepi portem,quæ bene vulnera Chriſti dico,nam quæcunque nos ſerui eius pro eo vulnera ſuſcipimus ſua reputat:ex quibus Doctores colligunt,quanta fuerit Pauli erga Deum charitas,qui tantopere de plagis pro Seruatore noſtro ſuſceptis gloriabatur, atque eas tanquam trophæa ſuæ victoriæ iactitaret,quæ fundamenti inſtar & baſis gloriæ ſuæ ſubſtrauerat. Si autem hæc vulnerum oſtentatio in Sancto Paulo magni amoris euidens argumentum ſit,multo euidentius maioris charitatis in Chriſto Ieſu ſignum erat,tum quia Chriſtus abſque comparatione Apoſtolo eſt dignior,tum quia homo vt pro eo patiatur Deus eſt indignior: Quis ergo tanta ſigna amoris in Iudice ſuo conſpiciens fiduciam ſuam non concipiet? ſi autem addidero, ideo Chriſtum vulnera ſua cælo intuliſſe vt ea tanquam ſigna Redemptionis noſtræ oſtentans Patri,efficacius eum commoueret, quis totaliter de bono ſuo ſecurus erit? *Chriſtus enim aſſiſtens Pontifex futurorum bonorum, non in manu facta ſancta introiuit exemplaria verorum,ſed in ipſum cælum vt appareat vultui Dei pro nobis:* quaſi dixiſſet Apoſtolus, Chriſtus non intrauit in ſancta ſanctorum,quæ hominum manibus fabricata erant,ſed in ipſum cælum vt ſe conſpectu Dei pro nobis exhiberet, cauſam noſtram vt aduocatus perageret. Ex quo vlterius Doctores colligunt hunc intercedendi modum in eo conſiſtere,quod Patri ſuo deſiderium ſalutis noſtræ exhibeat, noſtræ naturæ infirmitatem ei exponat, vulnera noſtri amore ſuſcepta ei oſtentet, his enim quaſi poſtulat redemptionem noſtram,quam his ipſius promeritus eſt; ita docent angelicus ille Doctor S. Thom part.3.q.57. ar 6.& ſup.cap.2.ep.15. Ioan. Greg. Nazianzenus orat.36 Chryſoſt. hom.25. in epiſt. ad Roman. & alij qui nos de bono ſtatu negotiorum noſtrorum apud Deum certiores reddunt. Si enim Deus adeo ad faciendam miſericordiam inclinetur, vti infinite miſericors eſt, quomodo intuens ſanctiſſima illa ſigna ſalutis noſtræ filio ſuo pater negare quid poterit? Scribunt Alphonſum primum huius nominis

Galat.5.

Heb.9.

nis Portugalliæ Regem, cum iam quinque Maurorum Reges debellaſſet, bonorum ſuorum maximam partem expendiſſet, imò ſanguinem ſuum profudiſſet, & vitam pene prodegiſſet, nouam quandam exactionem regno ſuo impoſuiſſe, vt ſe à debitis belli cauſa factis exſolueret. Verum quia ſine conſenſu Romani Pontificis id præſumpſerat Romam citatur & perſonaliter comparare iubetur: Paret, ac dato die Romæ comparet & ſola ſola tunica ſuper indufium tectus ad conſiſtorium Papæ & Card. properat, tanquam inobediens ſanctæ ſedi accuſatur; verum ille reiecta nonnihil tunica corpus vulneribus, & maxime quinque lætalibus, quæ omnia pro defenſione fidei Catholicæ ſuſceperat, oneratum oſtendit, & pro omni ſua aduerſus obiecta reſponſione, hæc pauca ſubiunxit: Verone ſimile putatis Patres, eum quicquam in malum Eccleſiæ Dei machinatum eſſe, qui pro eius defenſione tot vulnera ſuſcepit? Quæ adeo ſanctiſſimum Patrem, omnesque circumſtantes commouerunt, vt Regem tanquam optimum catholicum & laudauerint, & admirati fuerint; Immo ſanctiſſimus Dominus ei indulſit, vt pro trophæo horum quinque vulnerum in ſuis inſignibus quinque orbiculis ceruleis in argenteo plano depictis vteretur, quibus vſque in hodiernum diem eius ſucceſſores vtuntur, & à ſuis appellantur. *Quinas de Portugal*. At nos Auditores paulolum mentem noſtram erigentes, ſicut Chriſtianos decet philoſophemur & hanc concluſionem faciamus, ſi vulnera hominis quantumuis Regis adeo alterũ hominem quantumuis Papam commouere potuerunt, vt non ſolum reus læſæ maieſtatis ab intentato crimine liberaretur, ſed etiam veri Catholici nomine, nouiſque regijs inſignibus honoraretur. Quid vulnera Domini noſtri Ieſu Chriſti Dei & hominis Deo Patri ſuo exhibita, Patri inquam clementiſſimo, & miſericordiſſimo oſtenſa efficient? Sine dubio reſpondebit Pater, fiat quod petis fili, ſint vulnera tua trophæa: Et quis adhuc adeo abiecti animi & diffidentis cordis erit, qui in hęc trophæa oculos eleuans certam ſpem fiduciamue non concipiat? *Filioli mei*, inquit S. Ioan. *hæc ſcribo vobis vt non peccetis, ſed & ſi quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrem Ieſum Chriſtum iuſtum, & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris*. Idem vobis

Notabile exẽplũ.

1. Ioan. 2

inculco

inculco Auditores, & quicunque hunc librum lecturis eſtis, alium ſcopum non habui, neque habeo quam vt vos ab offenſa Dei auerterem. Quod ſi autem forte aliquis diuinam maieſtatem offenderit, aut offendat, de venia tamẽ non deſperet, habemus enim aduocatum apud Deum Ieſum Chriſtum in ſanctiſſima redemptoris noſtri vulnera oculos ſuos conijciat, in hæc foramina petræ tanquam columba ſine felle ſe abſcondat, penetralia miſericordiæ diuinę per vulnus lateris intueatur, & videbit hinc omne noſtrum bonum promanare: Hinc ſanguis profluxit, qui nos redemit, exiuit aqua, quæ in baptiſmo à peccatis nos abluit: Hinc omnis ſacramentorum virtus, meritorum principium, & gratiarum omnium augumentum. Per foramen hoc porta nobis ad æternam gloriam panditur, *Quam mihi & tibi praſtare dignetur Ieſus Mariæ filius, Amen.*

FINIS.

LAVS Deo, eiuſque matri Virgini, & S. Didaco.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

7-2-2